



The Karl Weinhold
Library. Presented
to the University
of California by
John D. Spreckels
A.D. MDCCCCIII
768

R. Weinhold.

R. Steuer
st. j. Berlin
1837. 13 sg.

POETAE SCENICI
LATINORUM.

POETAE SCENICI LATINORUM.

COLLATIS CODD. BEROLINENSIBUS, FLORENTINO, FRIBURGENSI, GOTHANO, GUELPHERBYTANIS, HELMSTADIENSIBUS, MONACENSI, PALATINO, PARISIO, ULTRAJECTINO, ALIISQUE SPECTATAE FIDEI LIBRIS,

RECENSUIT

FRIDERICUS HENRICUS BOTHE.

VOLUMEN PRIMUM. PLAUTUS.

HALBERSTADII,
APUD HENR. VOGLERUM.
1821.

IMPRESSUM TYPIS ORPHANOTROPHEI BRUNSVICENSIS.

M. ATTI PLAUTI

COMOEDIAE.

RECENSUIT

FRIDERICUS HENRICUS BOTHE.

VOLUMINIS PRIMI PARS PRIOR,

QUAE CONTINET

AMPHITRUONEM, ASINARIAM, AULULARIAM, BACCHIDES, CAPTIVOS, CASINAM, CISTELLARIAM, CURCULIONEM, EPIDICUM, MENAECHMOS ET MERCATOREM.

HALBERSTADII.

APUD HENR. VOGLERUM,

1821.

(Dieser Titel wird statt des Eingeschnittenen genommen.)

PRAEFATIO.

Cum carius quam pro multorum supellectile philologorum venire viderentur editiones poëtarum Latii scenicorum, quas pridem a me curatas majores non displicere intellexi peritis justisque harum rerum aestimatoribus: faciendum mihi duxi, ut eosdem scriptores, in unum velut corpus conjunctos brevius, denuo darem emendatiores limaque postrema mea castigatos. Ut enim dies diem docet, et in re pene nova facile est falli atque labi: denuo schedas librosque huc pertinentes varios perscrutatus, jamdudum satis multa deprehenderam in illis editionibus, quae posita nollem, juvenili calore fusa, parumque explorata, quibus retractandis et partim de integro scribendis locatum quasnomen expungendum erat meum. Accesserunt monita amicorum doctorum, quae monita eo ma-

joris facere soleo, quo minus moveor cavillationibus calumniisque invidorum, inprimis ejus, qui bis terque Plautum meum rictu impudentissimo latravit, coci cujusdam mortuorum sublingio. Denique, ex quo primum fabulis hisce poliendis animum adjeci, externorum quoque subsidiorum numerus auctus est. Ex quibus, praeter fragmenta Plauti nova, quae debemus Angeli Maji, viri clarissimi, industriae, tria prae ceteris nuncupanda sunt haec: primum Sarsinatis codex MS., quem Decurtatum vocant, a Camerario is quidem, Pareo, Taubmanno aliisque usurpatus olim, sed non ea, qua par erat, diligentia excussus, quem codicem, nuper receptum, liberaliter nobis communicavit Academia Heidelbergensis; deinde ab Academia Friburgensi, suasu viri venerabilis, qui insigne ejus decus est, Hugii, missa nobis Terentii vetus editio, incerto loco et sine notatione temporis publicata, quae, nondum, quod sciam, ad emendandum Comicum adhibita, cum optimis fere ejus codicibus, Helmstadiensi praesertim, quem olim versavimus, consentit, propriaque etiam nonnulla habet, quae cognoscere interest eruditorum; tum tantopere tamque longo ex tempore desideratae editionis Senecae tragoediarum Badenianae volumen prius, anno superiore typis excusum, quod volumen continet Herculem furentem, Thyestem, Phoenissas, Hippolytum, Oedipum et Troadas, cujus

utilissimi operis reliqua expectare rationes vetabant optimi redemtoris.

His igitur nos freti auxiliis et meliora iam excogitasse confidimus multis, quae ipsi olim scripsimus in commentariis, quibus hos poëtas, inprimis Comicos, illustrare studuimus, et praeferenda effinxisse speramus putidis istorum chartis, qui dum membranas nescio quas raras atque incognitas crepant, nihil tamen inde proferunt, quod luce dignum sit, vixque unum vel alterum locum paulo difficiliorem longis verborum phaleratorum ambagibus explanantes in perspicienda tota horum studiorum ratione pessime coecutiunt. Quorum quidem promissa quo tandem casura sint, neque operae pretium videtur experiri, et metuendum est, ne, dum eos respicio, ipsi quo minus proprio ingenio valent, eo avidius aliorum feliciter reperta invadant, nostrorumque inprimis scriptorum, quidquid boni in illis inest excerpentes et pro suo venditantes, fructum intercipiant.

Sed missos faciamus ignavos istos, qui dum nobis incommodare student, ipsis bonis litteris, quibus opera dicata nostra est, officiunt, gratiasque potius agamus Academiis, quae florent Berolini, Friburgi, Heidelbergae, Monachii, Ultrajecti (nam Helmstadiensis fuit), item bibliothecarum Desbilloniae, quae Manhemii est, atque Gothanae et Guelferbytanae custodibus meritissimis, aliisque vi-

ris eruditione claris, qui propensam erga nos voluntatem cum amicis compellationibus, tum commodandis libris perutilibus, declaraverunt. Quibus ut probetur hoc syntagma, dignumque videatur, quod multorum veniat in manus, excussis Acrisiorum hujus generis scriptis plurimis, vehementer opto.

SYLLABUS CODICUM MSS.,

quibus in condendo hoc opere usi sumus.

I. Plauti codd.

1. Guelferbytanus, qui Gottingae nunc adservatur, membranaceus, quartae, quam vocant formae, litterisque minusculis scriptus; optimae quidem notae liber Italicus seculi undecimi, ut opinor, qui desinit in Epidici act. 5. scen. 2. versu 28., et nondum, quod sciam, a quoquam Plauti editore collatus est.
2. Heidelbergensis, quem Palatinum nuncupare soleo κατ' ἐξοχὴν, liber notissimus et a multis, neque uno tempore, versatus, item in membrana scriptus, vel potius rescriptus, a pluribus, sed fere aequalibus, ut videtur, librariis satis imperitis, Guelferbytano quidem descriptore non multo recentioribus; qui liber ceterorum, a nobis usurpatorum scriptorum, defectum supplet, continens quippe XII. Plauti comoedias posteriores has, Bacchides, Mostellariam, Menaechmos, Militem, Mercatorem, Pseudolum, Poenulum, Persam, Rudentem, Stichum, Trinumum, Truculentum. Priorem hujus codicis partem vel ablatam esse, vel forte intercidisse, indicant non penitus erasae schedarum fere omnium in extremis paginis signaturae, quae majores iis, qui nunc ibi leguntur, numeros ostendunt, velut quae nunc scheda est XIV., ante fuit XXX., et XLV., quae nunc est XXIX. Constat autem 29. schedis 8 foliorum cum dimidia et pagina, sive paginis 473 formae quartae, numerusque inscriptus est 1613.
3. Helmstadiensis ejusdem ferme aetatis nec dissimilis formae liber chartaceus, minime contemnendus, cujus usum, suasu virorum clarissimorum, qui bonas ibi litteras docebant, Brunsii et Bredovii, liberaliter nobis permisit Academia tum Julia, post Halas Borussorum translata, cujus in bibliotheca numerabatur Miscellaneorum codicum MSS. 13.

4. Monacensis codex ejusdem formae membranaceus, qui, numero 412. destinctus, habetur in bibliotheca serenissimi Regis Bavariae, minuta ille scriptura elegantissima exaratus, nec vel aetate vel bonitate lectionum ceteris, quos usurpavi, codicibus inferior; quem librum, editoribus Plauti haud notiorem Guelferbytano atque Helmstadiensi, jussu nobilis Aretini utendum nobis dedit litterator doctissimus Berolinensis, Julius Erduinus Kochius, mense Aprili 1808.; quo fere tempore etiam duo, quos modo nominavi, codices evoluti a nobis sunt; Palatinus autem et praeteriti mense Novembri et hujus, qui nunc volvitur, anni mensibus Majo atque Junio, postquam librorum MSS. bibliothecae Heidelbergensis usum domesticum concesserant nobis, qua sunt benignitate, illustris Badensium Archiducis consiliarii, quibus profectu bonarum litterarum nihil est antiquius.

II. Terentii codd.

1. Berolinenses tres, Regios inter libros custoditi omnes. Quorum primus, in membranis maximae formae nitidissime scriptus eleganterque pictis scenarum litteris initialibus exornatus, sicut etiam codex horum tertius, ἐπιγραφὴν habet in exteriore volumine, qua ἐπιγραφῇ ad seculum 15. refertur, cum scripturae genus consideranti olim mihi ducentis minimum annis videretur antiquior; liber bene conservatus dignissimusque nobilium, quiqui fuerunt, cura possessorum, ut qui cum optimae notae libris Terentianis fere consentiens nonnulla etiam ipsi propria ostendat, interpretationibusque inter versus et in margine perscriptis non inelegantibus juvet lectorem. Alter horum codicum Georgii Fabricii olim fuit, alius tamen ejusdem Fabricii libro eo, quo usus est Bentlejus; recentior ille quidem satisque negligenter in charta minoris formae scriptus, saepiusque rasus ac mutatus a mala manu, nec tamen propterea parvi aestimandus, cum secundas facere melioribus Comici apographis etiam ipse soleat, neque propriis careat suis, quibus constet non magis excussum adhuc esse quam ceteros, quos inspeximus, Terentii codices manu exaratos. Habet autem hic quoque liber notata quaedam cum inter lineas, tum in marginibus paginarum, quibus notatis obscuriora visa librario explicantur. Denique tertius Berolinensium codex, eorumque procul dubio veter-

rimus, cui seculum a Christo nato 13. non inepte titulus assignat; rursus in membrana, sed non maximae formae, scriptus est litteris grandiusculis ex earum genere, quas Gothicas vocant; cumque in duobus illis, de quibus dixi, codicibus ita distincti versus sint, ut rei metricae rationem aliquam librarios habuisse appareat: contra hic uno tenore exarata omnia prosae orationis speciem referunt, multaque, Donati partim vel Pseudodonati, cum inter lineas, tum in marginibus scripturâ subinde evanidâ notata venerandae antiquitatis testimonia cetera confirmant. Actuum principia et hujus libri descriptor et primi Berolinensium in margine indicat, scenarumque ibidem brevis legitur expositio; secundus harum rerum vestigium ostendit nullum, nisi quod inter singulas fabularum partes nomina interlocutorum perscripta sunt. Satis autem illitteratus fuisse videtur codicis tertii librarius, qui Eunuchi 3, 2, 33. vocabulum *pauperis* in duos versus distrahat hoc modo:

— — — — — *pa*

uperis — — — —;

ceterum exemplar optimum glossematisque minus oppletum religiosissime secutus.

2. Duo Guelferbytani, quorum, Brunsio ab humanissimo Langero anni 1805. mense Augusto missorum, lectiones potiores in usum meum benevolenter excerpserunt. Bredovius, historiarum Helmstadii tum professor, et Gesenius, quo theologiae atque linguarum orientalium doctore gaudet Academia Halensis. De horum codicum altero potiore in litteris ad me datis ita scribit eruditissimus Gesenius:

„Nach dem, auf innere und äussere Merkmale gestützten, Urtheil der Herren Hofräthe *Langer* und *Bruns* geht dieser Codex höchst wahrscheinlich bis in das dreizehnte Jahrhundert hinauf. Das Pergament ist zum zweiten Male gebraucht, wie man aus den Nadelstichen, die jetzt an der Schnittseite sich befinden, und an vielen umschriebenen, wahrscheinlich durch das Putzen entstandenen, Löchern in der Mitte*), erkennt. Fast eben so alt scheint der mit Schweinsleder überzogene dicke hölzerne und mit Metall, das zum Theil durch

*) Ejusmodi fissiones videntur etiam in Plauti codice Palatino.

den Gebrauch wieder abgegangen ist, beschlagene Band zu sein. Die Schriftzüge aber weichen auffallend ab von denen der Handschriften aus dem funfzehnten Jahrhundert. Es ist beinahe kein Wort ausgeschrieben, sondern eine Abbreviatur auf die andere gehäuft, so dass sogar lange Wörter mehrere haben. Besonders hiedurch unterscheidet sich das Ganze von vier Blättern, welche die Schlusszene der Andria und zwei Akte des Eunuch enthalten, und von späterer Hand geschrieben sind, die auch im Übrigen verschiedenes Sinnlose verbessert hat. In diesen Blättern findet sich theils fast keine Abbreviatur, theils scheinen die sehr saubern und denen des übrigen MS. ähnlichen Schriftzüge zwar ebenfalls noch ein beträchtliches Alter zu verrathen, sind aber doch offenbar neuer, sowie das Pergament schön, glatt und ohne Nadelstiche."

Alter Guelferbytanorum codicum in charta scriptus est, de quo Bredovius in litteris die 14. Sept. 1805. scriptis: „Dieser jüngere enthielt so viel Schreibfehler, und so gar nichts Eigenthümliches, dass es mir nicht der Mühe werth schien, ihn ganz zu vergleichen." Substitit igitur viri doctissimi, nobisque, dum in vivis fuit, longe amicissimi, diligentia in Andriae 4, 1, 23, quam diligentiam in excutiendo toto eo codice ut aemuletur aliquis vir doctus, qui minus occupatus sit, collatis Andriae 2, 1, 30; 2, 2, 16; 2, 6, 17; 3, 2, 49, 51; 3, 3, 44; 3, 4, 9; 3, 5, 12, denique 4, 1, versu 16., serio optamus.

3. Helmstadiensis olim Academiae liber MS., quo item usus est, cum editionem Terentii pararet, vir clarissimus, Carol. Augustus Boettigerus, cujusque lectiones paulo memorabiliores publicavit doctissimus J. Facius in T. C. Harlesii Opusculis varii argumenti, Hal. 1773., a pagina 214. usque ad 386. Is liber, amice mecum communicatus, quantum profuerit ad emendandum Comicum elegantissimum, ex nostris quoque annotationibus intelligetur.

III. Senecae codicum MSS. nullum quidem ipsi usurpavimus, sed ad manum tamen fuere trium librorum excerpta ἀνέκδοτα:

1. Medicei seu Florentini, qui omnium Senecae praestantissimus merito censetur, cujus lectiones varias ex ordine perscriptas in codicillis quibusdam

Jacobi Gronovii, una cum ipsius Jacobi patrisque celeberrimi animadversionibus haud malae notae, utendas dedit nobis vir nobilissimus, Dietzius, olim Friderico Secundo, Borussorum regi, a consiliis intimis, ejusque apud Turcas legatus.

2. Ejusdem viri insignis liberalitati Ultrajectini quoque codicis cujusdam debeo notitiam, cujus codicis varias lectiones minime contemnendas in Hercule furente, Hippolyto et Octavia enotaverat olim Nicolaus Bondtius.

3. Denique in bibliotheca serenissimi Ducis Gothani LI. numeratur minoris formae codex membranaceus, nitidissime scriptus ad exemplar libri cujusdam optimi antiquissimique, ut docet Cyprianus in Catalogo manuscriptorum bibliothecae Gothanae; qui codex, Herculem furentem continens, hortatu F. Th. Welkkeri, linguae utriusque in Rhenana Borussorum Academia professoris clarissimi, in usum nostrae editionis perlectus est ab E. F. Wüstemanno, Gothano, de quo adolescente bene sperare litteratam jubeo rempublicam.

CONSPECTUS

metrorum minus cognitorum, quibus hi scriptores utuntur.

Non inutile mihi videtur breviter dicere de metris, quibus vulgo minus cognitis utuntur poëtae Latinorum dramatici. Nemo est enim hodie, qui nesciat, in ea re vel maxime spectari ingenium horum scriptorum, neque proficere in illis criticum quamvis alioqui doctum ac sagacem sine subtiliore metrorum notitia. Idque effectum inprimis est opera Richardi Bentleji, in recensendo Terentio collocata, cujus viri litteratissimi acutissimique schediasma de metris Terentianis postquam recudi jussit Fridericus Volgangus Reizius, in eum res locum deducta est, ut qui olim vel Guyetos, Burmannos, Gronovios, male haberent scrupuli, ii ne a tironibus quidem amplius sentiantur. Verum ut fieri solet, ubi exstitit vir magnus, qui opus aliquod viribus dignum suis aggreditur, superatisque impedimentis plurimis viam munit ad perficiendam rem antea tantum non desperatam (posteri, praeclari facti gloria velut occoecati non pergunt, qua ille praeivit, neque ab-

solvunt inchoata, sed tanquam nihil jam supersit faciendum, subsistunt, et alienae virtuti velut indormiunt): ita etiam hic accidit, ut, ex quo tempore cum aliorum doctorum testimoniis, tum inprimis Gesneri (in nota ad Quinctil. 9, 4, 75.) atque Reizii (in scripto de Burmanno, Bentleji judice parum idoneo, Lipsiae 1778.), virorum peritissimorum, suffragiis de ingenio meritisque Angli celeberrimi constiterat, plerique omnes satis haberent *jurare in verba magistri*, eumque laudare mallent quam imitari. Ipse Reizius neque in editione Rudentis Plautinae neque alibi, inventis Bentleji quidquam addidit, nisi quod versus aliquot anapaesticos eruit ex Sarsinate, asynartetumque illum, qui constat trochaïco dimetro acatalecto et similis moduli jambico, sed catalecto, agnovit in ejusdem Milite glorioso, cujus metri exemplum exstat apud Mar. Victorinum pag. 2551. Putsch. Cujus viri modestissimi discipulus quidam dum majora promittit, minus etiam praestitit, itaque grassatus est in his litteris, ut candidus Ernestiorum error, totum hoc genus tollentium, praeferendus videatur sciolae illius ignorantiae, qua fretus, quae haud intelligit, audacissime mutat depravatque. Quae pestis non per Germaniam modo serpit, sed jam etiam Belgos infecit: velut Bosscha, vir ceteroqui doctus, alios locos ne commemorem, Captivorum act. 4. scen. 2. intra spatium 11 versuum quinquies vulgatam lectionem mutat, ut afficta scilicet Plauto metra extundat, de quibus ne per somnium quidem ille cogitavit. A qua licentia, obscuris digniore seculis quam hoc nostro, nisi tandem temperent eruditi, eo res deveniet, ut Plautus in libris tantum scriptis vel pridem cusis quaerendus sit, qui manus istorum correctorum non sunt experti.

Quorum nos aversati arrogantiam, quascumque invenimus in his poëtis formulas metrorum collegimus, et exemplis cum aliorum Latinorum, tum Graecorum, illustrare atque confirmare studuimus. E quibus formulae jambicorum atque trochaïcorum versuum, item bacchiacorum atque creticorum omniumque simplicium et aliunde satis notae sunt, et ex Bentleji Schediasmate libroque Godofredi Hermanni de metris Graecorum atque Romanorum, nostris quoque de Comico utroque et Tragico copiosioribus commentariis, cognosci possunt. Attendendum autem inprimis est ad hiatum, qui, frequens apud Plautum, praesertim in incisione legitima jambici senarii, quae fit post quintum semipedem, et in mediis

jambicis trochaïcisque tetrametris, apud Terentium raro invenitur, nec nisi in interpunctione, ut monui ad Andriae 2, 2, 8, in Senecae vero tragoediis, quae aetatem tulerunt, ne semel quidem deprehenditur. Etiam de versuum ab Alcaeo, Archilocho, Asclepiade appellatorum, aliorumque, quibus lyrici epicique generis utitur Annaeus, ratione non est quod verba faciam, quae metra etsi annumerari non possunt simplicibus, nota tamen sunt in vulgus; nisi quod a communibus eorum regulis descivit nonnunquam Tragicus harum rerum liberrimus, dum Neronis sui mobilem fastidiosumque animum variis artis lenociniis delenire studet: velut anacreonticum versum forma antispastica habet Oedip. 484, asclepiadeum et glyconeum, in quibus pro choriambo usurpatus est molossus, ibidem 713, contraque sapphicum soluto spondeo ibid. 412; qualia qui miratur negatque ferenda esse: *nae is*, cum Terentio ut loquar, *facit intelligendo ut nihil intelligat.* Quin invertit quoque Seneca versum alcaïcum Agam. 596, 845, 857, et asclepiadeum Oedip. 406, cujus versus mobili loco dactylum usurpat Agam. 589, adhibet jambicos trochaïcosque clodos, quos vix alibi in hoc genere reperias, anapaesticos trochaeo finit, denique nulla re abstinet, qua levari posse sperat taedium uniformitatis. Verum haec ludum jocumque dicas omnia prae versibus asynartetis, quorum ad exprimendos identidem mutantes animi affectus aptissimorum frequentissimus apud Plautum usus est, satis creber apud Senecam, fere nullus apud Terentium, modestum pene usque ad vitium. Eorum versuum formas multiplices qui assidua lectione penitus perspexerit, illum demum ego dicam intelligere, quid sit res metrica horum scriptorum. Quas formas, maxima ex parte a me primo non sine longo multoque labore ac taedio pervestigatas, ubi indicavero, finem praefandi faciam, hominesque venustiores ad ipsam fabularum latinarum lectionem tuto dimittam.

Index metrorum asynartetorum, quibus utuntur poëtae scenici Latinorum.

I. Plauti et Terentii.

A. Versus asynarteti, ex trochaïco dimetro simílique, sed non unius moduli, jambico compositi.

1. troch. dim. et jamb. dim. catalecticus. Metrum a Reizio repertum in Milite glorioso

versibus 1000 et seqq., quo metro saepissime Plautus utitur, nonnunquam etiam Terentius, velut Eun. 3, 5, 12, 13.

2. troch. dim. et jamb. dim. Asin. 307, 8, 353, 4, Aul. 168, 195, 218, 19, 569, Bacch. 41, 499, 513, 597, Capt. 716, 875, Saturionis fragm. 3, Terent. Andr. 2, 1, 2, ubi vid. not.

3. troch. dim. et jamb. dim. hypercatalecticus. Amph. 910, Bacch. 1141, 1152, 1157, 1176, Pers. 249, Pseud. 1317 sequ. 1323, Stich. 14 — 16, Truc. 674, Terent. Eun. 4, 1, 6, 7.

B. Alii asynarteti, ex trochaïcis jambicisque constantes.

4. troch. dim. et jamb. hypercat. Menaechm. 35, Pers. 796, 800.

5. ithyphallicus, sive trochaïcus dim. brachycatalecticus, et jamb. dim. Most. 889.

6. ithyphall. et jamb. hypercatal. Amph. 498, Trin. 259 sequ.

7. ithyphall. et jamb. Most. 315.

8. troch. et jamb. hypercat. Bacch. 595, Most. 314, 317, 323 sequ., Pers. 795. Cf. Senec. Agam. 595.

9. troch. et jamb. Metri genus Graecorum Tragicis et Lyricis usitatum. Amph. 497, et fortasse Mil. 1335. Cf. Senec. Agam. 595.

C. Asynarteti versus trochaïci.

10. Duo ithyphallici hypercat. Epid. 71.

11. Duo ithyphallici. Amph. 426 — 429, Aul. 93 — 95, Bacch. 1101, Capt. 432, cum clausula solenni in hoc genere versuum, hoc est versu ejusdem moduli dimidio, sive ithyphallico, 707 sequ., Cas. 71, 684 etc. Most. 144. itidem cum clausula, 781, 885, Stich. 307, etc.

12. Idem metri genus syllaba brevius, sive catalecticum, habetur Capt. 755.

13. Duo trochaïci hypercat. Bacch. 588, 592, 610, Cas. 60, 75; Pseud. 1104 — 1107.

14. Tres, Most. 113.

D. Asynarteti versus, in quibus trochaïci cum metri generibus aliis quam jambicis copulantur.

15. troch. dim. et ejusmodi anapaest. Rud. 825.

16. ithyphall. et bacchiacus dim. Capt. 434. sequ. Pseud. 1243.

17. ithyphall. catal. et bacch. trim. Cas. 60.

18. versus catal., qui constat ex 2 troch. h. et cr. d. Cist. 207.
19. troch. dim. et creticus dim. catal. Curc. 158 — 160. Acatal. ejusmodi cret. junctus est Capt. 163. 4.
20. troch. hypercat. et cret. dim. Most. 110.

E. 21. Versus asynart., qui conflatus est ex jambico dim. et ithyphallico. Bacch. 1088, Artamonis fragm. 1. Cf. Herrmann. lib. de metris pag. 386. Cf. Senec. Agam. 624.

F. Asynarteti versus jambici.
22. Duo versus anacreontei, Cas. 61, Pseud. 575, cum clausula, sicut etiam Cas. 594, Truc. 422. Cf. Senec. Med. 852 sequ.
23. Jambici hypercatalecti duo, metrum Tragicis Graecorum et Aristophani frequentatum, quod Sapphicum vocat, Victorin. p. 2552. Putsch. Amph. 24, 425, Aul. 99 seqq. cum clausula, Capt. 584, Epid. 167, 8, Men. 503, sequente catalectico, Most. 871 — 873, 893, 4, Pers. 268, 9, Pseud. 590 seqq., Rud. 816, 7. Cf. Senecae Oedip. 471, 481, 486, 500, 712, 731, Agam. 632, 826 etc.
24. Tres, Capt. 147, 585, cum clausula, quae constat jambico hypercat., Epid. 62, 326, Rud. 849.
25. anacreont. et jamb. Most. 104, 5, 123, 4.
26. anacreont. et jamb. hypercat. Capt. 148.

G. 27. Asynartetus versus compositus ex jambico hypercat. et bacchiaco dim. Amph. 500, Capt. 853, 4, Truc. 430 seqq.

H. Diversorum generum versus asynarteti.
28. anapaesticus paroemiacus et bacch. dim. Rud. 135.
29. anapaest. dim. et troch. dim. catal. Stich. 700 seqq., Truc. 534.
30. anapaest. dim. et creticus dim. catal. Amph. 13, 14.
31. bacch. dim. et jamb. hypercat. Amph. 499, Capt. 713, Cas. 544, 547, 557, 564, 573 — 575, 580, 1, 691, Cist. 9, Epid. 521, Most. 121, 306, 7, 762 — 764, 769, 772, Rud. 111 sequ., Truc. 428, 9.
32. bacch. dim. et jamb. dim. catal. Aul. 92.

33. bacch. dim. et jamb. Most. 121, 306, 7, 875, Pers. 806, 7, Pseud. 1260.
34. bacch. dim. et troch. Capt. 428, 9, 715, Cas. 545, 570, Cist. 8, Most. 771, 780.
35. Syllaba longiores versus sunt Cist. 419, 420, Truc. 100.
36. bacch. dim. et ithyphall. Bacch. 586, Cist. 10 — 13, Merc. 330 — 332, Rud. 180 sequ.
37. bacch. dim. et anapaest. Capt. 430.
38. creticus dim. et troch. Capt. 146, Cist. 210 sequ., Curc. 141 — 143, Most. 330 — 332.
39. Ejusmodi versus hypercatalectici leguntur Bacch. 580 — 591, 625 — 629, Epid. 83, 84, cum clausula, 165, Most. 109, 112, 129 — 132, 136 sequ., 328, 333, 670 seqq., Pseud. 1306 sequ., Rud. 187, 8, Truc. 553.
40. cretic. dim. et ithyphall., Bacch. 621, Capt. 140, Cas. 59, Pseud. 1241 sequ.
41. creticus et choriambicus dimetri Cas. 68.
42. choriamb. dim. ἰαμβίζων et ithyph., quo metro usus est Anacreon, teste Hephaestione (vid. Hermann. libri de metris Graec. et Rom. pag. 387), Curc. 96 sequ.

II. Senecae propria.

43. Adonius et creticus dimeter catal. Agam. 621.
44. Ei metro ex altera parte respondet Oedip. 475.
45. a. et cr. d. c. Agam. 811.
46. cretic. dim. catal. et glycon., Oedip. 490.
47. cretic. dim. catal. et ithyphall., Oedip. 488, Agam. 801.
48. cret. dim. cat. et jamb. hyp. Agam. 808.
49. glycon. et jamb. hypercat., Oedip. 410.
50. jamb. hypercat. et adon., Oedip. 489, 493, Agam. 605, 610, 615.
51. jamb. hypercat. et archilochius, Oed. 413.
52. similis jamb. et dochmius, Oedip. 718.
53. Idem metrum inversum ibid. 720.
54. jamb. hypercat. et cret. dim. cat. Agam. 820.
55. troch. et cretic. dimet. catal., Oed. 405. 411.
56. 2 cretici dim. catal., Oedip. 473 sequ., 482, Agam. 620, 804 etc.
57. 2 glyconii, Agam. 841.
58. glycon. et pherecrat., ibid. 633.

Hisce metrorum asynartetorum generibus variis quid objici possit, video: primum rarius inveniri quam usitatissimas jambicorum atque trochaïcorum ceterorumque versuum simplicium formas; deinde pleraque omnia haec metra a veteribus, praesertim grammaticis, non commemorari; tum ea mutari saepius, singulaque etiam venire nonnunquam, ut dubitari posse videatur, an non planiores olim fuerint ii loci, in quibus habeantur, idque studendum sit, ut hiulca haec et subinde interrupta magis uno tenore, velut apud Terentium, legantur. Ad quae respondeo, primum cantica, quae fere horum metrorum sedes sunt, non posse non infrequentiora esse dialogismis, quibus consuetiores animorum affectus exprimuntur; tum grammaticos veteres tam rudes esse solere rei metricae, ut vel princeps eorum Priscianus non agnoscat bacchiacos istos apud Afrum Andr. 3, 2, adeoque perverse Amphitruonis Plautinae accipiat principium (vid. Putsch. pagg. 1323 et 1326), ut ipsis tironibus, nedum eruditis, risum hodie debeat; postremum mirum non esse, si alia ex aliis fingantur metra in fabulis valde motoriis, quales pleraeque omnes sunt Plautinae (nam de Plauto inprimis disceptatur), cum praesertim constet, nimium fuisse in eo genere Sarsinatem. Eorum igitur formulas varias et ad pingendos animi motus affectusque aptissimas addiscere cupis? habebis, in quo aliquamdiu industriam exerceas tuam. Fastidis sterilem visum tibi laborem, et mutare insolita quam nosse mavis? nunc addendo, nunc demendo sine codicum suffragio torquebis scriptorem, horrebunt planissima grammaticis tuis commentis, peribit lepor, peribit gratia, peribit ipsa lingua, qua Musas locuturas esse dicebat Varro, si quando sermonem serere vellent cum hominibus. Quid igitur faciendum? Scilicet Plauto et veteribus concedendum est, ut ingenio quisque suo ductus via grassetur propria; magistri autem superbi quidam monendi sunt, ne spernant, quaecunque in commentarios suos non retulerunt.

Vale, lector aeque, nobisque tibi cupientibus vicissim fave. Dabam Vintzemiae in Palatinatu, ipsis Calendis Octobr. MDCCCXX.

Explicatio signorum metricorum.

a., anapaesticus versus. *ad.*, adoneus. *Aeol.*, Aeolius, *alc.*, alcaïcus. *an.*, anacreonteus. *archil.*, archilocheus. *as.*, asynartetus. *asclep.*, asclepiadeus.

b., bacchiacus. *br.*, brachycatalecticus.

c. vel *cat.*, catalecticus. *chor.*, choriambus vel choriambicus. *cl.*, clodus.

d., dimeter. *dact.*, dactylicus. *do.* vel *dochm.*, dochmius, dochmiacus.

gall., galliambus. *glyc.*, glyconeus.

h. vel *hyp.*, hypercatalecticus. *hend.*, hendecasyllabus. *her.*, heroïcus. *hexam.*, hexameter.

i., iambicus. *inv.*, inversus. *i. t.* iambicus tetrameter.

log., logaoedicus.

m., monometer.

pent., pentameter. *pher.*, pherecrateus. *pol.*, polyschematistus.

s. vel *sen.*, senarius. *sapph.*, sapphicus. *sp.*, spondaïcus.

t. vel *tr.*, trochaïcus. *tetr.*, tetrameter. *tr.*, trimeter, *t. t.*, trochaïcus tetrameter.

DE M. ATTIO PLAUTO

Excerpta

ex J. A. Fabricii Bibliotheca latina,

cum additamentis quibusdam et correctionibus editoris.

---

*M. Attius a pedum planitie sive πλατύτητι initio Plotus, postea Plautus (Fest. in Ploti) est dictus, patria Sarsinas ex Umbria lepidissimus poëta Comicus. A temporibus belli Punici secundi floruit, ingenio magis dives quam opibus: nam ad molas manuarias (Hieronym. Chronic. et Gell. 3, 3.) se locare coactus est pistori. Fatis concessit Romae, cum Terentius vix novennis esset, anno U. C. 570., ante Chr. nat. 184., P. Claudio et L. Porcio Coss. *).*

*Plautum ad exemplar Siculi properare Epicharmi scripsit Horatius lib. 2. Epist. 1. v. 58., non tam quod ejus fabulas expresserit, quam quod ut ille Graecas, sic hic Latinas comoedias cum singulari laude composuerit. Quinctiliani tamen judicio 10, 1, in comoedia maxime claudicant Latini, nec comparandi Graecis sunt, licet Varro dicat, Musas Aelii Stilonis sententia Plautino sermone locuturas esse, si Latine loqui vellent; et Cecilium veteres laudibus ferant; Terentii autem scripta ad Scipionem Africanum referantur. Exstant ex ipsius comoediis, quarum 130. aetate A. Gellii sub Plauti nomine circumferebantur, viginti **) ordine fere litterarum a Grammaticis digestae, ad evolvendi, ut credibile est, facilitatem ***). Eas col-*

---

*) Cic. Brut. cap. 15. [Alii, in his Jo. Freinshemius in Exceptionibus chronologicis ad Florum, Plauti mortem referunt ad a. U. C. 552, sive ante Chr. 198. Koeleri autem rationem sequentibus, qui Terentium natum censet a. U. C. 556, ante Chr. 194, Plautus circa annum U. C. 547, sive ante Chr. 203, diem obiisse dicendus erit. *F. H. B.*]

**) Nec tamen vel illae omnes integrae. *F. H. B.*

***) Plane secundum eum ordinem Plauti fabulae dispositae sunt in nostris ejus editionibus. *Idem.*

locatas hoc ordine a Prisciano putant, et acrosticha, singulis comoediis praemissa ad eundem referunt; quod tanquam incertum et non magnae rei in medio relinquo.

Aetatem igitur tulerunt, praeter unam Vidulariam, comoediae Plauti Varronianae omnes, sive 21 illae, quas Varro in libris de comoediis Plautinis consensu omnium pro genuinis habuit teste Gellio l. l. Vidularia quoque exstitit olim in antiquissimis membranis Palatinis, in quibus ejus titulum post Truculentum observarunt viri docti, sed fabula ipsa desiderabatur, quam plus simplici vice in testimonium citant Nonius Priscianus et alii.

Post mortem Plauti ejus comoediae, quae incertae ferebantur, Plautinae tamen de jocorum copia cognitae sunt, ut narrat Macrobius lib. 2. Saturnal. c. 1. Aliarum Plautò passim tributarum auctores fuere M. Aquilius quidam, vel M. Attius sive Acutius vel Plotius, vel denique Turpilius.

*Plautum illustraverunt Grammatici veteres Aruntius Celsus, Flavius Caper, L. Sisenna, Q. Terentius Scaurus. Indices Plauti fabularum scriptos a Vulcatio Sedigito, L. Aelio, Claudio quodam, itemque Attio *) et Aurelio Manilioque, memorat Gellius; Varronis librum secundum Plautinarum Quaestionum Diomedes. Sed horum omnium labores pridem intercidere.*

*Plauti comoediae 20. primum ad MS. Florentinum excusae prodiere Venetiis opera et impendio Joannis de Colonia Agrippinensis et Vindelini de Spira a. 1472. fol., cura Georgii Merulae Alexandrini Statielensis **), et inde Tarvisii 1482. fol., opera et impendio Pauli de Ferraria atque Dionysii de Bononia. Post Merulam recognitae ab ejus discipulo sunt Eusebio Scutario, Vercellensi, Mediolani 1490. fol., in officina Ulderici Scinzenzeler, ipsius et magistri Joannis Legmani opera et impendio. Hinc ut omittam editiones Daventriensem anni 1482., Venetam a. 1495. 4., Brixiensem cum commentario Bernh. Saraceni, quam procuravit Simon Papiensis, Venetasque cum commentario ejusdem Saraceni et Jo. Petri Vallae additis etiam*

---

*) Accios dicunt Fabricius aliique viri docti: vid. Clav. Cic. F. H. B.

**) In praefatione dicit, omnia exempla Plauti, quae extent, ab uno exemplari ducta esse, eamque ob causam Plauti correctionem difficilem esse. Vid. Brixia litter. t. 1. pag. 2.

commentariis Jo. Baptistae Pii Bononiensis 1499 et 1511: Plautus cum ejusdem Pii commentariis, Burchardi Pyladis Brixiani scholiis in 5 priores comoedias (qui et ipse Plautum edidit Brixiae 1506. fol.), aliorumque in reliquas, prodiit Mediolani 1500. fol. Commemorandae porro veniunt editiones Argentinensis, curante Adolfo Mulingo, a. 1508., quam laudat Taubmannus; Lipsiensis singularum Plauti comoediarum annis 1506, 1511, 1512 etc. fol.; Lugdunensis, ut videtur, Simonis Carpentarii, a. 1513. 8., qui quidem versus paulo melius ordinavit; Juntinae a. 1514 et 1522. 8., curante Nicol. Angelio; Aldinae, quarum prima typis impressa est, cura Franc. Asulani, Venetiis 1522. 4.; Roberti Stephani Paris. 1529. fol.; Gryphianae 1535, 1540. 8. etc.

*Sospitator Plauti jure dicitur Joachimus Camerarius, qui 5 primum comoedias recensuit a. 1545. 8., dein totum Plautum a. 1551 et 1558. 8., editum Basileae, cum fragmentis a Georgio Fabricio collectis, et praefixa Camerarii de carminibus Comicis dissertatione. Usum se esse testatur membranis antiquis Viti Verleri Franci, quem Lipsiae comoedias Plautinas interpretantem audierat, deinde antiquissimis bibliothecae Palatinae *). Operam ejus*

---

*) Rectius Jo. Aug. Ernest. in praef. Plauti Gronoviani ab ipso editi Camerarianos codd. bibliothecae Palat. illatos esse dicit. Quorum duo praecipui fuerunt alter, quem veterem appellat Camerarius, omnes Plauti fabulas, quae aetatem tulere, continentem, quo, ut etiam ceteris MSS. Palatinis, quid factum sit, hodie nescitur; alter, membranaceus, seculo 11. vel 12. scriptus, in quo habentur hae fabulae, Bacchides, Mostellaria, Menaechmi, Miles gloriosus, Mercator, Pseudolus, Poenulus, Persa, Rudens, Stichus, Trinummus, Truculentus; quem librum, Roma et Parisiis reversum nuper Heidelbergam, ipse versari, perutilem illum quidem ad fidem lectionum qua firmandam, qua explorandam, et ex quo, quamvis excusso saepius ac fere consentiente cum editionibus quibusdam antiquis, in his Veneta a. 1499. et inprimis sequentis anni Mediolanensi, tamen nova quaedam eruerim, velut *ferculi* illud, pro vulgato *peculi* a me repositum Most. 247, et Militis versum 995. His libris adhibitis, quibus unice meritoque confidebat, contemtis incertae fidei exemplaribus impressis, pro genio cum suo ipsius, tum seculi, in quo floruit, multum sane auxilii Plauto attulit Camerarius; sed in eo erravit, quod neque ubique, neque satis diligenter, quid quoque poëtae loco paulo difficiliore in membranis suis repererit, annotavit, et depravata sibi visa, praesertim in canticis, pro lubitu supplere atque reformare, quam intacta relinquere, et insequentium temporum studiis reservare, maluit, superiorum Plauti edi-

in Plauto navatam eximie laudat Dousa Explan. Plaut. p. 108. Ipse dicit, nullum esse prope versiculum sine aliqua emendatione sua. Hinc igitur sequentes editiones fluxere, ut Plantiniana cum castigationibus ejusdem Camerarii, Coelli Secundi Curionis Jo. Sambuci, Adr. Turnebi, Andr. Junii, Caroli Langii, et aliorum.

*Novi exempli recensio e MSS. *) et edd. deinde facta est per Dionysium Lambinum cum commentariis ab ipso institutis, sed perfectis, cum mors ejus intercessisset, ab collega ejus Jo. Helia; eaque primum prodiit Paris. 1577., deinde 1587. fol., cujus repetitiones sunt Colon. 1578. Genev. 1581. etc.*

*Post Lambinum Janus Gruterus Plautum ad codices Palatinos **) edidit a. 1592. ita, ut comoedias actibus et scenis versuumque numeris distingueret. Quem eundem poëtam satis bene curavit etiam Janus Douza, filius, cum brevibus animadversionibus, Antverp. 1589., post Lugd. Bat. 1595. et Francof. 1610. 12.*

Praestantissimae autem ad intelligendum hunc Comicum sunt edd. Taubmannianae, quarum prima publicata est Francof. 1605., altera 1612. cum secundis Frid. Taubmanni curis tertia post illius obitum (vita enim excessit Wittebergae a. 1613. IX. Cal. April.), accedente eximii viri Iani Gruteri, sed variis invectivis in Io. Philippum Pareum molesti, industria, a. 1621. Hae edd. licet non usquequaque sint emendatae: tamen contextum pluribus locis habent meliorem, ac praeter luculentos commentarios fragmenta ex amissis Plauti

---

torum prava ambitione etiam ipse nonnihil affectus. Quam tamen viri negligentiam audaciamque postea Gruterus ejusque discipulus Pareus XII et Taubmannus contentiore, qua vetustos illos libros perscrutati sunt, industria compensaverunt. *F. H. B.*

*) Qui fuerint isti codd. MSS., nusquam neque ab ipso Lambino, neque ab Helia, dicitur; saepeque libri Lambiniani ridentur, a Dousa, Acidalio et Taubmanno. Etiam commentarius Lambini stilo quidem polito scriptus, sed is, in quo fere vulgaria et minime obscura ambitiose enarrentur, recondita vero et non cuivis patentia jaceant. Quod item dicendum de Taubmanniana farragine, nisi quod ibi, tot praesertim in medium productis et saepe inter se dissentientibus viris doctis, ne stili quidem ratio apparet. *F. H. B.*

**) Imo etiam Vaticanos aliosque ad partes vocat, quibus saepe deterioribus posthabet Palatinos. *Idem.*

fabulis, post G. Fabricium diligentius collecta, tum hypobolimaea seorsim ad calcem conjecta notisque illustrata, continent. Eadem fragmenta deinceps subjuncta sunt Plauto cum indice phrasium excuso Cothenis a. 1620. 8.; tum editionibus Plauti, quas consultis MSS., inprimis Camerarianis, adornavit Io. Phil. Pareus, Francof. 1610. 8., Neapoli Nemetum sive Spirae 1619. 4., itidemque Francof. 1641. 8.; tum illis, quas cum variorum notis vulgavit Lugd. Bat. M. Zuerius Boxhornius a. 1645. 8., a Nic. Heinsio exemplar manu Ios. Scaligeri notatum nactus, a. 1664. et 1684. 4. Etiam Nic. Heinsius recensuit Plautum ediditque Lugd. Bat. 1635. 12., quae recensio repetita est Amsterd. 1661. 12.

Sed quod ad criticam rationem pertinet, melius longe meritus de Plauto est Io. Frid. Gronovius, qui e sex codd. MSS. atque ex sagaci ingenio non paucis Plautum locis correctiorem fecit, etiam multa egregie interpretatus, Amst. 1684. 8., quae editio repetita est, cum praefatione Io. Aug. Ernesti de editionibus Plauti, Lips. 1760. 8., additis excerptis ex ejusdem Gronovii Lectionibus Plautinis, quae excusae fuere a 1740. 8. Vide Gronovii epist. ad Nic. Heinsium pag. 493. 496. t. 3. Syll. Burm. Gronovium in Plauto senariorum versuum rationem non satis habuisse perspectam, arguit Bentlejus in emendationibus ad Menandri reliquias p. 54.).*

Plautus nimirum inest etiam in corpore poëtarum Latinorum Genevae edito, additis etiam variis lectionibus 1603. 1611. 4. Lugduni 1616. 4. et, praestantissimo viro Mich. Maittaire curante, Londini 1713. fol. Idem editus est in usum Galliae Delphini a Iacobo Operario; nitide vero atque emendate a doctissimis fratribus Ioanne Antonio et Hieronymo Vulpiis Patavii 1725. 8., cum utili indice rariorum dictionum dilucide explicatarum.

*Prodiit etiam Plautus ex Franc. Guyeti, critici severissimi recognitione, addita Gallica translatione prosaria Mich. Marollesii Paris. 1658. **). Ab eo tempore*

---

*) Commemoranda etiam sunt h. l. M. Acci Plauti Fragmenta inedita, item ad P. Terentium Commentationes et picturae (h. e. lineationes) ineditae, inventore A. Majo, Medio. 1815. 8. pagg. 67. *F. H. B.*

**) Hoc quidem seculo et toto eo, quod effluxit, in Plauto emendatius edendo non multum occupati fuerunt viri docti,

*Anna Tan. Fabri filia quasdam Plauti comoedias Amphitruonem puta, Rudentem atque Epidicum nova veste Gallica induit, notisque et dramatum ad leges theatri examine illustravit, Paris. 1683. et Amsterd. 1691. 12. tribus voll. Stichum et Trinummum versibus, reliquas Plauti fabulas sermone prosario Gallico expressit Limierius, pluribus aliis scriptis et Ludovici XIV., Galliarum regis, historia clarus, Amsterd. a. 1718. 12., 10 voll. Quam versionem secuta est alia, item gallice scripta, tota prosaria, sed liberior vividiorque, Gueudevillii, monachi Benedictini, Leovardiae a. 1719. 8 voll. Belgicam versionem aliquot Plauti comoediarum edidit Ianus Hautenus, in quam hendecasyllabos habes Iusti Lipsii in ejus poëmatis num. 17. Anglice versi Amphitruo, Epidicus et Rudens, cum notis criticis prodiere Lond. 1694. 8. etc. *).*

Praeterea Plauti comoediis lucem attulere. I. Lipsius in antiquarum Lectionum libris 5., usus 4. codd. MSS.; Herm. Buschius in Decimationibus Plautinis; Ianus Mellerius Palmerius in Spicilegiis tomo 5. Facis artium Gruterianae; Ian. Guilielmius cum in verisimilibus, tum in Quaestionibus Plautinis Paris. 1583. 8. et Facis art. Gruter. tom. 3., item in Miscellis Quaestionibus in Plautum; Ian. Douza pater in Centurionatu, sive Plautinarum explanationum libris 4. Lugd. 1587. et Francof. 1602. 12.; Ian. Gruterus in 9. libris Suspicionum, Witteberg. 1591. 8.; Casp. Scioppius in Su-

---

nisi quod, Terentium Bentlejanum aemulatus, F. V. Reizius Rudentem non omnino male edidit Lips. 1789. 8. De G. Hermanni editione Trinummi quid mihi videretur, significavi, in notis ad Plautum a me editum 4. voll. 8. Berol. annis 1809. et duobus seqq. Pejores etiam conatus ut omittam, Captivos, 47 codicibus collatis, Neapoli edidit M. Avellinus, 1807, itemque Jo. Bosscha, disciplinae Lennepianae alumnus, Traj. ad Rhenum 1807 etc. *F. H. B.*

*) Plautum germanice nuper verterunt Danzius, Küffnerus et inprimis G. G. S. Köpke, professor bonarum litterarum in gymnasio Berolinensi (Berol. 1820. 2 voll. 8 maj.); qui idem et Terentii Eunuchum et Phormionem vertit Lips. 1805. 8. maj. Totius Terentii fidi apud nos interpretes extiterunt, alios ut omittam, B. F. Schmiederus, Hal. Sax., 1790 — 1793. 8, et C. V. Kindervaterus, Jen. 1799. 2 voll. 8; libere neque ineleganter et ipsius scenae in usum transtulit Comicum Nobilis ab Einsiedel Lips. 1806. 2 voll. 8. Absolutae ab omni parte utriusque scriptoris versiones vernaculae adhuc expectantur. *Idem.*

spectarum lectionum libris 5., Norimb. 1597. 8.; Ian. Fruterius in Conjectaneis verisimilibus; Io. Meursius in Curis Plautinis sive parte priore Exercitationum crit. Lugd. Bat. 1598. 8.; Valens Acidalius in libris 20 Divinationum et interpretationum Plautinarum, Francof. 1607. 8. et tomo 6. Facis art. Gruter.; Franc. Dissaldeus in Animadversionibus ad Plautum, Salmur. 1611. 8. Io. Phil. Pareus in Lexico Plaut., edito Hanoviae 1634. 8., et Electis Plautinis, Neap. Nemetum 1617. 4. Videndi quoque de variis Plauti locis Iosephus Scaliger in Conjectaneis ad Varronem, et Octav. Ferrarius Electorum lib. 2. cap. 27.; nec silentio praetereundi sunt Adr. Turnebus in Adversariis; Henr. Stephanus, qui scripsit dissertationem de Plauti latinitate, quae dissertatio addita est ejusdem libello de latinitate falso suspecta Paris. 1578. 8.; Simon Ulricus Pistor, cujus animadversiones in Plautum Taubmannus laudat, nunquam illas quidem, ut videtur, typis impressas; denique βιογράφοι Plauti Casp. Sagittarius, qui edidit Diatribam de vita ac scriptis Plauti, Terentii et Ciceronis, Altenb. 1671. 8., et Germanici decus nominis, G. E. Lessingius, cujus dissertationem, germanica lingua eleganter scriptam, de vita et scriptis Plauti videre licet in Operum ejus tomo 22.

AMPHITRUO.

ARGUMENTUM.

In faciem vorsus Amphitruonis Jupiter, i. s.
Dum bellum gereret cum Teleboïs hostibus,
Alcmenam uxorem cepit usurariam;
Mercurius formam Sosiae servi gerit
Absentis: his Alcmena decipitur dolis.
Postquam rediere veri Amphitruo et Sosia,
Uterque deluduntur in mirum modum.
Hinc jurgium, tumultus, uxori et viro:
Donec, cum tonitru voce missa ex aethere,
Adulterum se Jupiter confessus est.

ALIUD ARGUMENTUM.

Amore captus Alcumenas Jupiter i. s.
Mutavit sese in ejus formam conjugis,
Pro patria Amphitruo dum decernit cum hostibus;
Habitu Mercurius ei subservit Sosiae.
Is advenientis servum et dominum frustra habet;
Turbas uxori ciet Amphitruo; atque invicem
Raptant pro moechis; Blepharo, captus arbiter,
Uter sit, non quit, Amphitruo, decernere.
Omnem rem noscunt: geminos illa enititur.

Argum. 1. vers. 7. vulgo legitur, numeris pessimis: *U. luduntur dolis mirum in mod.* A Palatinis 1. et 2. aberat *dolis*, omnesque illi codd. habebant, quod et noster Helmstad.: *deluduntur.*

Argum. 2. v. 3. vulgo: *cernit*, sed in vet. codice Camerarii inter versus adscriptum erat *de*, ut esset *decernit*. – 9. *Libri* versu pessumdato: *gem. Alcmena* (vel *Alcumena*) *enititur.*

DRAMATIS PERSONAE.

MERCURIUS.
SOSIA. - Servus
JUPITER.
AMPHITRUO.
BLEPHARO.
ALCUMENA.
BROMIA.

P R O L O G U S.

MERCURIUS.

Ut vos in vostris voltis mercimoniis
Emundis vendundisque me laetum lucris
Adficere atque adjuvare in rebus omnibus,
Et uti res rationesque vostrorum omnium
Bene expedire voltis peregrique et domi,
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro
Quasque incepistis res, quasque inceptabitis;
Et uti bonis vos vostrosque omnis nuntiis
Me adficere voltis; ea adferam, ea uti nuntiem,
Quae maxume in rem vostram communem sient
(Nam vos quidem id jam scitis concessum et datum
Mi esse ab dis aliis, nuntiis praesim et lucro);
Haec ut me voltis adprobare ac nitier,
Lucrum ut perenne vobis semper suppetat:
Ita huic facietis fabulae silentium,
Itaque aequi et justi hic eritis omnes arbitri.
Nunc, quojus jussu venio et quam ob rem venerim,
Dicam, simulque ipse eloquar nomen meum.
Jovis jussu venio; nomen Mercurio est mihi;
Pater huc me misit ad vos oratum meus,
Tametsi pro imperio vobis, quod dictum foret,
Scibat facturos: quippe qui intellexerat,
Vereri vos se et metuere, ita ut aequom est, Jovem;
Verum profecto hoc petere me precario
A vobis jussit leniter dictis bonis:
Etenim ille, quojus huc jussu venio, Jupiter
Non minus quam vostrum quivis formidat malum,
Humana matre natus, humano patre:

13. Sic Ald. prima. a. 1522. Basil. a. 1568. excusa: *ac adnitier.* V.: *H. ut me v. a. adnitier.* 19. Ita Pal. 5. V.: *Mercurii.*

Mirari non est aequom, sibi si praetimet;
Atque ego quoque etiam, qui Jovis sum filius,
Contagione patris mei metuo malum.
Propterea pace advenio ad vos, pacem adfero.
Justam rem et facilem esse oratum a vobis volo:
Nam justa ab justis justus sum orator datus:
Nam injusta ab justis impetrari non decet;
Justa autem ab injustis petere insipientia est:
Quippe illi iniqui jus ignorant neque tenent.
Nunc jam huc animum ad ea, quae loquar, advortite.
Debetis velle, quae velimus: meruimus
Et ego et pater de vobis et republica.
Nam quid ego memorem, ut alios in tragoediis
Vidi, Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam, conmemorare, quae bona
Vobis fecissent? quis benefactis meus pater,
Deorum regnator, architectus omnibus;
Sed illi nunquam mos fuit patri meo,
Ut exprobraret, quod bonis faceret boni;
Gratum arbitratur esse id a vobis sibi,
Meritoque vobis bona se facere, quae facit.
Nunc, quam rem oratum huc veni, primum proloquar;
Post argumentum hujus eloquar tragoediae.
Quid contraxistis frontem, quia tragoediam
Dixi futuram hanc? deus sum: conmutavero
Eadem, si voltis; faciam hanc, ex tragoedia
Comoedia ut sit omnibus isdem versibus,
Utrum, sit, an ne, voltis? Sed ego stultior:
Quasi nesciam vos velle, qui divos siem.
Teneo, quid animi vostri super hac re siet:
Faciam, ut conmista sit Tragicocomoedia:
Nam me perpetuo facere ut sit comoedia,
Reges quo veniant et di, non par arbitror.
Quid igitur? Quoniam hic servos quoque partis habet,
Faciam sit, proinde ut dixi, tragicomoedia,
Nunc hoc me orare a vobis jussit Jupiter,

32. V.: *P. p. a. et pacem ad vos affero.* 34 V.: *Nam juste.* 35. Fortasse pro *decet* legendum est *licet*, quae verba non semel sunt confusa. 38. Sic librorum pars major. Vulgo tamen: *N. i. h. a. omnes ea, quae l., a.* Monacensis: *quae dicam.* *Loquar* vi r litterae posteriorem syllabam producit. Cf. fab. 70 etc. 41. Non male Fruter. Verisimm. 2, 20 legendum putat *alias.* 46. Sic fere libri. V.: *illic.* 54. *Eadem*, eâdem operâ. Ita Guelf. et Helmst. V.: *Eandem hanc, si voltis: faciam, ex trag.* 56. Ita Guelf. V.: *an non voltis?*

Conquisitores singuli in subsellia
Ut eant per totam caveam spectatoribus:
Si quoi favitores delegatos viderint,
Ut his in cavea pignus capiantur togae.
Seu qui ambiissent palmam histrionibus,
Seu quoiquam artifici (seu per scriptas litteras,
Seu qui ipsi ambissent, seu per internuntium);
Sive adeo Aediles perfidiose quoi duint:
Sirempse legem jussit esse Jupiter,
Quasi magistratum sibi alterive ambiverit.
Virtute dixit vos victores vivere,
Non ambitione, neque perfidia: qui minus
Eadem histrioni lex sit, quae summo viro?
Virtute ambire oportet, non favitoribus:
Sat habet favitorum semper, qui recte facit,
Si illis fides est, quibus est ea res in manu.
Hoc quoque etiam dederat mi in mandatis, uti
Conquisitores fierent histrionibus:
Qui sibi mandassent, delegati ut plauderent,
Quive alter quo placeret fecissent minus,
Eis ornamenta et corium uti conciderent.
Mirari nolim vos, quapropter Jupiter
Nunc histrionibus curet; ne miremini:
Ipse hanc acturust Jupiter comoediam.
Quid admirati estis, quasi vero novom
Nunc proferatur, Jovem facere histrioniam?
Etiam histriones anno quom in proscenio hic
Jovem invocarunt: venit; auxilio eis fuit.
Praeterea certe prodit in tragoedia.
Hanc fabulam, inquam, hic Jupiter hodie ipse aget,
Et ego una cum illo. Nunc vos animum advortite,
Dum hujus argumentum eloquar comoediae.
Haec urbs est Thebae. In illisce habitat aedibus
Amphitruo, natus Argis ex Argo patre,
Quicum Alcumena est nupta, Electri filia.
Is nunc praefectus Amphitruo est legionibus:
Nam cum Telebois bellum est Thebano poplo.

65. Libri versu impedito: *Ut conq. s. in s. Eant etc.* Delebat *Ut* Fruter., nos aptiore loco posuimus. 67. Ita Guelf. et 4 Palatt. Cf. 78, 79. V.. 69. V.: *Sive qui ambissent.* Argent. a. 1514.: *ambiissent.* 71. V.: *Sive qui.* 81, 82. V.: *H. q. et mihi in mand. dedit, Ut conqu. f. h.* Ald. Argent. a. 1514. Paris. a. 1530. Basil. 1568.: *dederat.* 87. Ita Guelf. V.: *histriones.* 93. Sic itidem ille codex. V.: *certo.* 95. *Vos* legitur in Gryph. V.: abest cum pernicie versus.

Is priusquam hinc abiit ipsemet in exercitum,
Gravidam Alcumenam fecit uxorem suam.
Nam ego vos novisse credo jam, ut sit meus pater,
Quam liber harunc rerum multarum siet,
Quantusque amator sit, quod conplacitum est semel:
Is amare occoepit Alcumenam clam virum,
Usuramque ejus corporis cepit sibi,
Et gravidam fecit etiam conpressu suo.
Nunc, de Alcumena ut rem teneatis rectius,
Utrimque est gravida, et ex viro et ex summo Jove;
Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat;
Et haec ob eam rem nox est facta longior,
Dum ille illam, quacum volt, voluptatem capit;
Sed ita adsimulavit se, quasi Amphitruo siet.
Nunc, ne hunc ornatum vos meum admiremini,
Quod ego huc processi sic cum servili schema:
Veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam:
Propterea ornatus in novom incessi modum:
Nam meus pater nunc intus, eccum, Jupiter
In Amphitruonis vortit sese imaginem,
Omnesque eum esse censent servi, qui vident:
Ita vorsipellem se facit, quando lubet;
Ego servi sumsi Sosiae mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone hinc abiit indu exercitum:
Ut praeservire amanti meo possem patri,
Atque ut ne, qui essem, familiares quaererent,
Versari crebro hic quom viderent me domi:
Nunc, quom esse credent servi conservom suom,
Haud quisquam quaeret, qui siem, aut, quid venerim
Pater nunc intus suo animo morem gerit:
Cubat conplexus, quojus cupiens maxume est;
Quae illi ad legionem facta sunt, memorat pater
Meus Alcumenae; illa illunc censet virum
Suom esse, quae cum moecho est. Ibi nunc meus pater
Memorat, legiones hostium ut fugaverit;
Quo pacto sit donis donatus plurimis.

104. Fort.: *Jam ego v. n. cr., pater ut sit meus.* *Nam* vix locum hic habet. 109. V.: *Et gr. f. is eam c. s.* Sed MS. quidam, cujus lectiones perscriptae sunt in ed. Pareana, quam nunc possidet vir venerabilis Rothius, Sen. Sebast. Norimb.: *Etiam gr. fec. eam c. s.* Inde *etiam* arcessivi. 114. V.: *Dum ille, quac. volt, v. c.* Sed Guelf.: *Dum illam.* Alii libri, in his ipse vet. cod. Camer.: *D. illa.* Argent. a. 1514.: *Dum ille illa.* 120. V.: *intus nunc est.* 125. V.: *in exerc.* 129. Inepte libri: *cred. servum et conservum s.* 134. V.: *at illa.* *At* non habetur in vett., tam scriptis quam impressis. Nomen Alcumenae non elidendum.

Ea dona, quae illic Amphitruoni sunt data,
Abstulimus: facile meus pater, quod volt, facit.
Nunc hodie huc veniet Amphitruo ab exercitu
Et servos, quojus hanc ego fero imaginem.
Nunc, internosse ut nos possitis facilius,
Ego has habebo usque in petaso pinnulas;
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso; id signum Amphitruoni non erit.
Ea signa nemo horum familiarium
Videre poterit; verum vos videbitis.
Sed Amphitruonis illic servos Sosia
Est; a portu illic nunc cum laterna advenit.
Abigam jam ego illunc advenientem ab aedibus.
Adeste: erit operae pretium hic spectantibus
Jovem et Mercurium facere histrioniam.

SOSIA. MERCURIUS.

So. Qui me alter est audacior homo, aut qui confidentior, i. t. I,
Juventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?
Quid faciam nunc, si Tresviri me in carcerem conpegerint,
Inde cras quasi de cella promtuaria depromar t. t.
Ad flagrum, nec causam liceat dicere mihi, neque in hero quidquam
Auxili siet, nec quisquam sit quin me omnes esse dignum
Deputent, ita quasi incudem me miserum homines octo validi
Caedant, ita peregre adveniens hospitio accipiar poplicitus?
Haec heri immodestia cogit, t. d.
Me qui hoc noctis a portu ingratiis cr. t.
Excitavit! cr. h.
Nonne idem hoc me luci mittere potuit? t. tr. br.
Opulento homini hoc servitus dura est; as. a. d. cr. d. c.
Magis hoc miser est divitis servos.
Noctesque diesque adsiduo satis superque est, i. tr. h.

150. V.: *Adest: ferit*, cum ostium Sosia nusquam adeat, quippe qui ante vapulet a Mercurio. Emendavit locum Palmer. in Spicil. Lamp. Gruter. 4. p. 749. Fabulae v. 1. *aut qui me conf.* legitur, reclamantibus tantum non omnibus, qui quidem innotuere, libris vett. 9. *cogit* Guelf. Monac. Palat. 5. V.: *coëgit*, quo metrum corrumpitur. 10. V.: *ingratis*. Vocabula *qui* et *portu* non eliduntur.

Quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis.
Ipse dominus, dives operis et laboris expers,
Quodcunque homini accidit libére, posse retur;
Aequom esse putat, non reputat, laboris quid sit;
Neque, aequom anne iniquom imperet, cogitabit. b. t.
Ergo in servitute expetunt multa iniqua; as. ith. b. d.
Habendum et ferendum hoc onust cum labore. b. t.
Me. Satius est, me queri illo modo servitutem hodie cr. pent. c.
Qui fuerim liber, eum nunc potivit. as. s. i. h.
Pater servitutis; b. d.
Hic, qui verna natust, queritur. t. d.
Sum vero verna verbero! So. Numero mihi in mentem fuit, i. t.
Dis advenientem gratias pro meritis agere atque adloqui.
Nae illi edepol, si merito meo referre studeant gratias,
Aliquem hominem adlegent, qui mihi advenienti os occillet probe:
Quoniam bona, quae in me fecerunt, ingrata ea habui atque inrata.
Me. Facit ille, quod volgo haud solent, ut, quid se sit dignum, sciat.
So. Quod nunquam opinatus fui, neque alius quisquam civium,
Sibi eventurum, id contigit, ut salvi potiremur domum.
Victores, victis hostibus, legiones reveniunt domum,
Duello exstincto maxumo atque internecatis hostibus.
Quod multa Thebano poplo acerba objecit funera,
Id vi et virtute militum victum atque expugnatum oppidum est,
Imperio atque auspicio heri mei Amphitruonis maxume.
Praeda atque agrod adoreaque adfecit popularis suos,
Regique Thebano Creonti regnum stabilivit suom.
Me a portu praemisit domum: haec ut nuntiem uxori suae:
Ut gesserit rempublicam ductu, imperio, auspicio suo.
Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam, quom illo advenero.
Si dixero mendacium, solens meo more fecero:
Nam quom pugnabant maxume, ego fugiebam maxume;
Verum, quasi adfuerim, tamen simulabo atque audita eloquar.
Sed, quo modo et verbis quibus me deceat fabularier,

31. V.: *irrita.* Cf. 67, 781, 762, aul. A. 757, 76, 765, etc.
37. V.: *Qui m. T. populo.*

Prius ipse mecum etiam volo hic meditari. — Sic hoc proloquar.
Principio ut illo advenimus, ubi primum terram tetigimus,
Continuo Amphitruo delegit viros primorum principes;
Eos legat; Telebois jubet sententiam ut dicant suam:
Si sine vi et sine bello velint rapta et raptores tradere,
Si, quae asportassent, reddere: se exercitum extemplo domum
Reducturum, abituros agro Argivos, pacem atque otium
Dare illis; sin aliter sient animati, neque dent, quae petat;
Sese igitur summa vi virisque suom oppidum expugnassere.
Haec ubi Telebois ordine iterarunt, quos praefecerat
Amphitruo: magnanimi viri, freti virtute et viribus
Superbi, nimis ferociter legatos nostros increpant;
Respondent: bello se et suos tutari posse: proinde uti
Propere de finibus suis exercitum deducerent.
Haec ubi legati pertulere: Amphitruo castris eloco
Producit omnem exercitum; contra Teleboae ex oppido
Legiones educunt suas, nimis pulcris armis praeditas.
Postquam utrimque exitum est maxumā copiā, c. t.
Dispartiti viri, dispartiti ordines;
Nos nostros nostro instruximus more et modo; i. s.
Item hostes contra suas legiones instruont;
Deinde uterque imperator in medium exeunt, c. t.
Extra turbam ordinum conloquontur simul:
Convenit, victi utri sint eo proelio,
Urbem, agrum, aras, focos seque uti deduint.
Postquam id actum est: tubae utrimque contra canunt;
Consonat terra; clamorem utrimque ecferunt;
Imperator utrimque hinc et illinc Jovi

54. Ita corrector veteris cod. Camer., teste Pareo. V.: *redderent*, quod soloecum. 57. *suum* Guelf., quod elegantius vulgato *eorum*, illius procul dubio glossemate. 67. V.: *dispertiti* utroque loco; sed 5 Pall. et 3 nostri *dispartiti*. Cf. 31. 68. sequ. V.: *Nos nostras more n. et m. instr. legiones. Item hostes etc.* Guelf.: *Nos nostros.* 70. V.: *utrique imperatores*, itidem jugulato versu cretico. Pal. 2.: *uterque;* recte. Syllaba *or* in *imperator* ante vocalem producitur, ut passim apud Plautum. Vide Acidal. Divinatt. pagg. 450 sequ., nos ad prol. 38. in ed. majore, et cf. 76. 71. *colloquontur* pleraeque edd. vett., in his Juntinae, more antiquo, quem nos alibi etiam sine librorum auctoritate restituimus. 73. Soloece libri: *dederent.* 74. Edd.: *utrinque canunt: contra consonat terra.*

Vota suscipere, hortari exercitum;
Pro se quisque id, quod quisque et potest et valet,
Edit, ferro ferit; tela frangunt; boat
Coelum fremitu virum; ex spiritu et anhelitu
Nebula constat; cadunt volneris vi et virum.
Denique, ut voluimus, nostra superat manus;
Hostes crebri cadunt; nostri contra ingruont:
Vicimus vi ferocis. c. d. h.
Sed fugam in se tamen nemo convortitur, c. t.
Nec recedit loco, statim quin rem gerat,
Animam amittunt priusquam loco demigrent;
Quisque, ut steterat, jacet obtinetque ordinem.
Hoc ubi Amphitruo conspicatust herus:
Eloco equites jubet dextera inducere.
Equites parent: c. h.
Citi ab dextera maxumo cum clamore involant impetu alacri, b. s.
Foedant et proterunt hostium copias c. t.
Iure injustas c. h.
Me. Nunquam etiam quidquam adhuc verborum est prolocutus perperam: i. t.
Namque ego fui illi in re praesenti et meus quom pugnatum est pater.
So. Perduelles penetrant se in fugam: ibi nostris animus additust:
Vortentibus Teleboïs telis conplebantur corpora,
Ipsusque regem Amphitruo Pterelam sua obtruncat manu.
Haec illic est pugnata pugnad usque a mane ad vesperum;
Hoc adeo hoc conmemini magis, quia illo die inpransus fui:
Sed proelium id tandem diremit nox interventu suo.
Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes,
Velatis manibus; orant, ignoscamus peccatum suom;
Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem et liberos,
In ditionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.
Post ob virtutem hero Amphitruoni patera donata aurea est,

77. Verba *susc.* et *hort.* non eliduntur, figura frequentissima apud hunc nostrum. 80. Ita pleraeque edd. vett. V.: *spir. atque anh.* Scripti fere: *spiritus anh.* 81. V.: *virium* Guelf. plane *virum.* 87. Sic Pal. 4. et corrector libri Monacensis. V.: *omittunt.* 96. V.: *illic*, metro minus expedito. 99. Ita Helmst. et Monac. V.: *obtruncavit.*

Qui Pterela potitare rex est solitus. Haec sic dicam herae.
Nunc pergam heri imperium exsequi et me domum capessere.
ME. Attat, illic huc iturust: ibo ego illi obviam, t. t. c.
Neque ego hunc hominem hodie ad aedis has sinam unquam accedere.
Quando imago est hujus in me, certum est hominem eludere.
Et enimvero, quoniam formam hujus cepi in me et statum,
Decet et facta moresque hujus habere me similis item:
Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum, admodum,
Atque hunc telo suo sibi, malitia, a foribus pellere.
Sed quid illuc est? coelum adspectat: observabo, quam rem agat.
SO. Certo edepol, si quidquam est aliud, quod credam aut certo sciam,
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium:
Nam neque se septentriones quoquam in coelo commovent,
Neque se luna quoquam mutat atque uti exorta est semel:
Nec jugula, neque vesperugo, neque vergiliae occidunt:
Ita statim stant signa; neque nox quoquam concedit die.
ME. Perge, Nox, ut occoepisti! gere patri morem meo!
Optume optumo optumam operam das, datam pulcre locas.
SO. Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
Nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem;
Eam quoque edepol etiam multo haec vincit longitudine. i. t.
Credo edepol equidem dormire Solem, atque adpotum probe. t. t. c.
Mira sunt, nisi invitavit sese in coena plusculum.
ME. Aiin' vero, verbero? esse deos tui similis putas?
Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer,
Accipiam! modo sis veni huc: invenies infortunium!
SO. Ubi sunt isti scortatores, qui solite inviti cubant?
Haec nox scita est exercendo scorto conducto male.
ME. Meus pater nunc pro hujus verbis recte et sapienter facit,

116. Fortasse *a* praepositio delenda est. 122. *Jugula* Junt. Ald. etc. Cf. Festum et Varr. de L. L. 6, 3. V.: *jugulae*. 131. V.: *Ain'*. 134. H. e. qui solent inviti cubare seu jacere in lectis ad dormiendum. Cf. Mil. 284. Libri vetusti fere: *soliti*. V.: *soli*.

Qui complexus cum Alcumena cubat amans, animo obsequens.
So. Ibo, ut, herus quod imperavit, Alcumenae nuntiem.
Sed quis hic est homo, quem ante aedis video hoc noctis? Non placet.
Me. Nullus est hoc meticulosus aeque. So. Mi in mentem venit:
Illic homo hocce denuo volt pallium detexere.
Me. Timet homo: deludam ego illum. So. Perii, dentes pruriunt:
Certe advenientem hic me hospitio pugneo accepturus est.
Credo misericors est: nunc, propterea quod me meus herus
Fecit, ut vigilarem, hic pugnis faciet hodie obdormiam.
Oppido interii! obsecro hercle, quantus et quam validus est!
Me. Clara advorsum fabulabor: hic auscultet, quae loquar.
Igitur mage modum in majorem in sese concipiet metum.
Agite, pugni: jam diu est, quod ventri victum non datis:
Factum jampridem videtur, here quod homines quatuor
In soporem conlocastis nudos! So. Formido male,
Ne ego hic nomen meum conmutem, et Quintus fiam e Sosia.
Quatuor viros sopori se dedisse hic autumat:
Metuo, ne numerum augeam illunc. Me. Hem, nunc jam ergo! sic colo.
So. Cingitur! certe expedit se! Me. Non feret, quin vapulet!
So. Quis homo? Me. Quisquis homo huc profecto venerit, pugnos edet!
So. Apage! non placet me hoc noctis esse: coenavi modo:
Proin tu istanc coenam largire, si sapis, esurientibus.
Me. Haud malum huic est pondus pugno. So. Perii, pugnos ponderat!

140. V.: — *aeque* So. *quem?* (Pal. 1. 2. *quem mihi*, vet. cod. Camerar.: *quom*, Helmst.: *quid*, Monac.: *que*) *in m. v.* 143. Sic Acid. Divinatt. p. 11. V.: *pugnae.* 145. Guelferb. Junt. Ald. *ut obd.* V.: *ut dormiam.* 154. Sic fere scripti, in quibus Guelf. vel *sicolo*, *sitolo*. *Sic colo*, h. e. *sic vivo*. (Poen. prol. 13. etc.), probavit. Gruterus, habentque Taubm., Gronov. Ernest. Sed. Junt. Ald. Cam. Lamb.: *Sic volo.*

Me. Quid, si ego illunc tractim tangam, ut dormiat?
So. Servaveris:
Nam continuas has tris noctis pervigilavi. Me. Pessumum est
Facinus, nequiter ferire malam maledicis, Manus:
Alia forma oportet esse, quem tu pugno legeris!
So. Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.
Me. Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris.
So. Mirum, ni hic me, quasi muraenam, exossare cogitat.
Ultro istunc, qui exossat homines! perii, si me adspexerit!
Me. Olet homo quidam malo suo. So. Hei, numquidquam ego obolui?
Me. Atque haud longe abesse oportet; verum longe hinc abfuit.
So. Illic homo superstitiosust. Me. Gestiunt pugni mihi.
So. Si in me exerciturus, quaeso, in parietem ut primum domes.
Me. Vox mihi ad auris advolavit. So. Ut ego homo infelix fui,
Qui non alas intervelli: volucrem vocem gestito.
Me. Illic homo a me sibi malam rem arcessit jumento suo.
So. Non equidem ullum habeo jumentum Me. Onerandus est pugnis probe.
So. Lassus sum hercle; navi ut vectus huc sum, etiam nunc nauseo;
Vix incedo inanis: ne ire posse cum onere existumes.
Me. Certe enim hic nescio quis loquitur So. Salvos sum: non me videt:
Nescio quem loqui autumat: mihi certo nomen Sosia est.
Me. Hinc enim mihi dextera vox auris, ut videtur verberat. i. t.
So. Metuo, vocis ne vice hodie hic vapulem, quae hunc verberat. t. t. c.
Me. Optume, eccum, incedit ad me. So. Timeo! totus torpeo!
Non edepol nunc, ubi terrarum sim, scio, si quis roget,
Neque miser me conmovere possum prae formidine!
Ilicet, mandata heri perierunt una et Sosia!

162. Ita Gruter. Suspic. 5, 5. V.: *malam male discit manus.* 168. V.: *H. nummam* (script. fere *nunquam*) *ego ob?* 172. Ita Guelf. et 3 Palatt. V.: *nae ego h. i. f.* 176. V.: *L. s. h. e. navi, ut* etc. Sequor Lambinum. In Guelf. *sum* non legitur.

Verum certum est confidenter hominem contra conloqui,
Igitur qui possim videri huic fortis: abstineat manum.
ME. Quo ambulas tu, qui Volcanum in cornu conclusum geris?
So. Quid id exquaeris tu, qui pugnis os exossas hominibus?
ME. Servosne es, an liber? So. Utcunque animo conlubitum est meo.
ME. Aiin' vero? So. Ajo enimvero. ME. Verbero! So. Mentire nunc.
ME. At jam faciam ut verum dicas dicere. So. Quid eo est opus?
ME. Possum scire, quo profectus, quojus sis, aut quid veneris?
So. Huc eo, heri mei sum servos. Numquid nunc es certior?
ME. Ego tibi istam hodie scelestam conprimam linguam. So. Haud potes:
Bene pudiceque adservatur. ME. Pergin' argutarier?
Quod apud hasce aedis negotium est tibi? So. Imo quod tibi est?
ME. Rex Creo vigiles nocturnos singulos semper locat.
So. Bene facit: quia nos eramus peregri, tutatust domi.
At nunc abi sane: advenisse familiaris dicito.
ME. Nescio quam tu familiaris sis: nisi actutum hinc abis,
Familiaris accipiere faxo haud familiariter!
So. Hic, inquam, habito ego, atque sum horunc servos. ME. At scin' quomodo?
Faciam ego hodie te superbum, ni hinc abis! So. Quonam modo?
ME. Auferere, non abibis, si ego fustem sumsero!
So. Quin me esse hujus familiai familiarem praedico.
ME. Vide, sis, quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abis!

191. V.: *Ain' v.?* So. *a. e.* M. *verb.* So. *mentiris nunc jam* Verum *jam* vix in ullo comparet veterum librorum. 195. Parum placet ὁμοιοτέλευτον. Fort.: *comprimo*, significatione futuri, quam praesentia non raro habent. 197. Ita Guelf. et edd. vett V.: *Quid a. h. a. negotii e.t.?* So. *i. quid t. e.?* 199. Sic bona pars codicum, in his vet. Camer., et Junt. V.: *domum*. Opponuntur inter. se *peregri* et *domi*. Vid. Guil. Quaest. in Amph. c. 2. 204. ni Pal. 1. Camer. Basil. a. 1568. V.: *nisi*, quod si servandum est, versus erit asynartetus, constans ex trochaïco et jambico dimetris. Sed nolim hoc propterea quod ejus metri exemplum nullum est in tota scena. 206. V.: *familiae*.

So. Tun' domo prohibere peregre me advenientem postulas?
Me. Haeccine tua domust? So. Ita, inquam. Me. Quis herus est igitur tibi.
So. Qui praefectus nunc Thebanis Amphitruo est legionibus,
Quicum nupta est Alcumena. Me. Quid ais? quod nomen tibi est?
So. Sosiam vocant Thebani, Davo prognatum patre.
Me. Nae tu istic hodie compositis tuo malo mendaciis
Advenisti, audaciai columen, consutis dolis!
So. Imo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis
Me. At mentiris etiam: certo pedibus, non tunicis, venis.
So. Ita profecto. Me. Nunc profecto vapula ob mendacium!
So. Non edepol volo profecto. Me. At pol profecto ingratiis!
Hoc quidem profecto certum est, non est arbitrarium.
So. Tuam fidem obsecro! Me. Tun' te audes Sosiam esse dicere,
Ego qui sum? So. Perii! Me. Parum etiam, praeut futurum est, praedicas.
Quojus nunc es? So. Tuos: nam pugnis usufecisti tuom.
Proh fidem, Thebani cives! Me. Etiam clamas, carnufex?
Eloquere, quid venisti? So. Ut esset, quem tu pugnis caederes. i. t.
Me. Quojus es? So. Amphitruonis, inquam, Sosia.
Me. Ergo istoc magis, t. t. c.
Quia vaniloquos, vapulabis: ego sum, non tu, Sosia.
So. Ita di faciant, ut tu potius sis, atque, ego te ut verberem.
Me. Etiam muttis? So. Jam tacebo. Me. Quis tibi herust? So. Quem tu voles.
Me. Quid igitur? qui nunc vocare? So. Nemo, nisi quem jusseris.
Me. Amphitruonis te esse ajebas Sosiam. So. Peccaveram:
Nam me Amphitruonis volui sociennum esse dicere.
Me. Scibam equidem, esse nullum nobis, nisi me, servom Sosiam.

214. V.: *audaciae.* Sensit vitium Camer. 223. Sic Ald. Paris. a. 1530. Guelf.: *fidc* (fidē). V.: fidi. Cf. As. 8. 231. *sociennum* recte Camer. Libri vett. fere: *socium ne.* V.: *socium nae.* 232. Sic Pal. 2 V.: *Sciebam.*

Fugit te ratio. So. O utinam istuc pugni fecissent tui!
Me. Ego sum Sosia ille, quem te dudum esse ajebas mihi.
So. Obsecro, ut per pacem liceat te adloqui, ut ne vapulem!
Me. Imo induciae parumper fiant, si quid vis loqui.
So. Non loquar, nisi pace facta: quando pugnis plus vales.
Me. Dicito, si quid vis: non nocebo. So. Tuae credo fidae?
Me. Meae. So. Quid, si falles? Me. Tum Mercurius Sosiae iratus siet. i. t.
So. Animum advorte: nunc licet mihi libere quidvis loqui. t. t. c.
Amphitruonis ego sum servos Sosia. Me. Etiam denuo?
So. Pacem feci! foedus feci! vera dico! Me. Vapula!
So. Ut lubet; quod tibi lubet, fac: quoniam pugnis plus vales.
Verum utut es facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen.
Me. Tu me vivos hodie nunquam facies, quin sim Sosia.
So. Certe edepol tu me alienabis nunquam, quin noster siem;
Nec me praeter nobis alius quisquam est servos Sosia,
Qui cum Amphitruone hinc una iveram indu exercitum.
Me. Hic homo sanus non est. So. Quod mihi praedicas vitium, id tibi est.
Quid, malum? non sum ego servos Amphitruonis Sosia?
Nonne hac noctu nostra navis huc ex portu Persico
Venit, quae me advexit? nonne me huc herus misit meus?
Nonne ego nunc hic sto ante aedis nostras? non mi est laterna in manu? i. t.
Non loquor? non vigilo? non hic homo me pugnis contudit? t. t. c.

234. *te* edd. quaedam mediae et Lamb. V.: *tu*. 235. Sic vett. V.: *ut* priore loco non legitur. 238. V.:

Dicito, si quid vis, n. n. So. *tuae fidei cr.?* Me. *meae.* So. *Quid, si f.? etc.*

quasi horum versuum prior sit jamb. tetram., correpta scilicet postrema syllaba verbi *Dicito*, contra morem prisci seculi, vel eo verbo pronuntiato ut *Dic'to*, quod durissimum. 247. V.: *N. nobis praeter med. alius q. e. s. S.* 248. V.: *ieram in ex.* 254. V.: *homo modo me.* Non legitur *modo* in Guelf. Venet. 1495. Sarrac. Mediol., aliis.

Fecit hercle: nam etiam mi misero nunc malae dolent.
Quid igitur ego dubito? aut cur non introëo in nostram domum?
Me. Quid? domum vostram? So. Ita enimvero.
Me. Quin quaeque dixti modo,
Omnia ementitus: equidem sum Amphitruonis Sosia:
Nam noctu hac soluta est navis nostra e portu Persico;
Et, ubi Pterela rex regnavit, oppidum expugnavimus;
Et legiones Teleboarum vi pugnando cepimus:
Et ipsus Amphitruo obtruncavit regem Pterelam in proelio. i. t.
So. Egomet mihi non credo, quom illaec autumare illum audio: t. t. c.
Hic quidem certe, quae illi sunt res gestae, memorat memoriter. —
Sed quid ais? quid Amphitruoni a Telebois est datum?
Me. Pterela rex qui potitare solitus est, patera aurea.
So. Elocutus est! — Ubi patera nunc est? Me. In cistellula;
Amphitruonis obsignata signo est. So. Signi dic quid est?
Me. Cum quadrigis sol exoriens. Quid me captas, carnufex?
So. Argumentis vincit! aliud nomen quaerundum est mihi.
Nescio, unde haec hic spectavit. Jam ego hunc decipiam probe:
Nam quod egomet solus feci, nec quisquam alius adfuit
In tabernaclo, id quidem hodie nunquam poterit dicere.
Si tu Sosia es, legiones quom pugnabant maxume,
Quid in tabernaclo fecisti? Victus sum, si dixeris. i. t.
Me. Cadus erat vini; inde implevi hirneam . . So. Ingressust viam! t. t. c.
Me. Eam ego, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri.
So. Mira sunt, nisi latuit intus illic in illac hirnea!
Factum illud est, ut ego illic vini hirneam ebiberim meri. i. t.

255. Sic edd. mediae, nisi quod habent *mihi mis.* V. pronomen desideratur, ruente quidem versu. Guelf.: *misere.* An fuit: *n. et misero misere n. m. d.* 258. V.: *Quin quae dixisti.* Sed plerique omnes libri: *quaeque;* Langiani etiam *dixti.* 263. Helmst. et Monac.: *Ego mihimet non cr.* 265. Libri versu μειύρῳ: *a Tel. dat. est?* Helmst.: *a Tel. hostibus d. e.*, unde olim feci: *a Tel. dat. hostibust?* Cf. 574. 267. V.: *cistula.* Nostri et Pall. 5.: *cistella.* Neutrum versui sufficit. Helmst.: *ubi pat. aurea n. est?* 277. Vocabulum *vini* neque hic neque, 279. elidendum est.

Me. Quid nunc? vincon' argumentis, te non esse Sosiam? t. t. c.
So. Tu negas med esse? Me. Quid ego ni negem, qui egomet siem?
So. Per Jovem juro, med esse, neque me falsum dicere.
Me. At ego per Mercurium injuro, tibi Jovem non credere:
Nam injurato, scio, plus credet mihi, quam jurato tibi.
So. Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? Te interrogo.
Me. Ubi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia;
Nunc, quando ego sum, vapulabis, ni hinc abis ignominis.
So. Certe edepol, quom illunc contemplo et formam cognosco meam,
Quemadmodum ego sum (saepe in speculum inspexi): nimis similist mei;
Itidem habet petasum ac vestitum; tam consimilist atque ego: —
Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, vel labra,
Malae, mentum, barba, collum, totus .... quid verbis opust?
Tergum si cicatricosum, nihil hoc simili est similius.
Sed quom cogito, equidem certe sum idem, qui semper fui:
Novi herum, novi aedis nostras: sane sapio et sentio:
Non ego illi obtempero, quod loquitur: pultabo foris.
Me. Quo agis te? So. Domum. Me. Quadrigis si nunc inscendas Iovis
Atque hinc fugias, ita vix poteris ecfugere infortunium!
So. Nonne herae meae nuntiare, quod herus meus jussit, licet?
Me. Tuae, si quid vis nuntiare; hanc nostram adire non sinam.
Nam si me inritassis, hodie lumbifragium hinc auferes!
So Adeo potius. Di inmortales, obsecro vostram fidem,
Ubi ego perii? ubi inmutatus sum? ubi ego formam perdidi?

283. *injuro.* Hoc requirunt sequentia, non *juro* vulgatum. Rapuit praepositionem littera m similis, quae antecedit, sicut non raro factum est in libris. 285. Extrema syllaba in nomine *Sosia* pro longa est propter interpunctionem. Cf. 730, Ba. 366. Capt. prol. 11., et fortasse Parasiti pigri fragm. 1, 2; item As. 607. etc. Nam *Ted* legi nolim propterea, quod pronomen illud loco non est ὀρθοτονούμενον. 286. *nolim* haud liquescit hoc. 287. *ignominis* nomine privatus; unde derivatum *ignominia*. Cf. Nicol. Perotti Cornucop. p. 553. ed Ald. V.: *ignobilis*. 294. Ita Guelf. V.: *idem sum*.

An egomet me illic reliqui, si forte oblitus fui?
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quae antehac fuerat, possidet.
Vivo fit, quod nunquam quisquam mortuo faciet mihi.
Ibo ad portum atque, haec ut sunt facta, hero dicam meo;
Nisi etiam is quoque me ignorabit, quod ille faciat Jupiter:
Ut ego hodie raso capite calvos capiam pileum.
Me. Bene prospereque hoc hodie processit mihi! i. s.
Amovi a foribus maxumam molestiam:
Patri ut liceret tuto illam amplexarier.
Jam ille illuc ad herum quom Amphitruonem advenerit:
Narrabit servom hinc sese a foribus Sosiam
Amovisse; ille adeo illum mentiri sibi
Credet, neque credet huc profectum, ut jusserat:
Erroris ambo ego illos et dementiae
Complebo atque omnem Amphitruonis familiam,
Adeo usque satietatem dum capiet pater
Illius, quam amat; igitur demum omnes scient,
Quae facta. Denique Alcumenam Jupiter
Rediget antiquam conjugis in concordiam:
Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet,
Atque insimulabit eam probri; tum meus pater
Eam seditionem illi in tranquillum conferet.
Nunc, de Alcumena dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos;
Alter post mense decumo nascetur puer,
Quam seminatus; alter mense septumo.
Eorum Amphitruonis alter est, alter Jovis;
Verum minori puero major est pater,
Minor majori. Jamne hoc scitis, quid siet?
Sed Alcumenae hujus honoris gratia
Pater curavit, uno ut foetu fieret,
Uno ut labore absolveret aerumnas duas:
Clandestina ut celetur consüetio.

307. *ut* fere vett., non *uti*, sicut vulgo. Vox *portum* non liquescit. 309. *ego* non elidendum. 310. Libri, in ordinem, recepto glossemate: *hoc hod. operis p. m.* 319. Port.: *capiat.* 325. Ita Guelf. et Taubm. atque Par., nihil monentes. V.: abest *illi* 329. Guelf.: *semin est.* 335. *Exsolveret* aetatis mediae edd. V.: *absolvat*, cum praecesserit *fieret.* 336. V.: — *duas, Et ne in suspicione ponatur stupri, Et* (Helmst. *Sed*) *clandestina ut celetur suspicio* (Argent. a. 1514. Lamb. *susceptio*). Horum versuum prior haud dubie est a glossatore. Posteriorem sic laudat Donat. ad Terent. Adelph. 4, 5, 32.: *Et cland. ut cel. consuetudo*, ubi *consuetio* recte posuit Scioppius. Vid. Fragm. incert. 73.

Quamquam, ut jamdudum dixi, resciscet tamen
Amphitruo rem omnem. Quid igitur? nemo id probro
Profecto ducet Alcumenae. Nam deum
Non par videtur facere, delictum suom
Suamque ut culpam expetere in mortalem sinat.
  Orationem conprimam: crepuit foris.
Amphitruo subditivos, eccum, exit foras
Cum Alcumena, uxore usuraria.

JUPITER. ALCUMENA. MERCURIUS.

Ju. Bene vale, Alcumena! cura rem communem, quod facis, t. t. c. I, 2.
Atque inperce, quaeso: mensis jam tibi exactos vides.
Mihi necesse est ire hinc; verum natum quod erit, tollito.
Al. Quid istuc est, mi vir, negoti, quod tu tam subito domo i. t.
Abeas? Ju. Edepol haud, quod tui me, neque domi, distaedeat; t. t. c.
Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum:
Citius, quod non facto est usus, fit, quam, quod facto est opus.
Me. Nimis hic scitust sycophanta, qui quidem sit meus pater.
Observatote eum quam blande mulieri palpabitur.
Al. Ecastor te experior, quanti facias uxorem tuam.
Ju. Satin' habes, si foeminarum nulla est, quam aeque diligam?
Me. Edepol nae illa si istis rebus te sciat operam dare:
Ego faxim te Amphitruonem esse malis quam Jovem.
Al. Experiri istuc mavellem me, quam mihi memorarier.
Prius abis, quam, ubi cubuisti, lectus concaluit locus.
Here venisti media nocte; nunc abis: hoccin' placet?
Me. Accedam atque hanc adpellabo et supparasitabor patri.

341. Sic vet. cod. Cam. Sarrac., Argent. a. 1514. V.: *S. e exp. in m. ut sin.* 344. Cave elidas verba. *Cum* et *Alcumena.* 346. Ita 3 Pall. (5. quoque: *esse exactos*), item vett. ed. praeter 2 priores Venetas. V.: *tibi esse actos n.* 347. Ita Guelf. V.: *quod erit natum.* 350. Vel corripienda posterior syllaba in *adest*, vel prima in *exercitum.* Utrumque durum, extremo praesertim versu. Quare haud nolim legi: *S. u. s. i. ne adest apud ex.* 352. Ita libri plurimi. V.: *meus sit pater.* 354. V.: secundum Douzam patrem: *E. re exp.*

Nunquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem suam
Sic ecflictim amare, proinde ut hic te ecflictim deperit.
Ju. Carnufex, non ego te novi? abin' e conspectu meo?
Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut mutitio?
Quoi ego hoc jam scipione ....! Al. Ah noli ...!
Ju. Muttito modo!
Me. Nequiter pene expedivit prima parasitatio.
Ju. Verum quod tu dicis, mea uxor, non te mi irasci decet:
Clanculum abii a legione; operam hanc subripui tibi:
Ex me primo prima scires, rem ut gessissem publicam;
Ea tibi omnia enarravi. Nisi te amarem plurimum,
Non facerem. Me. Facitne, ut dixi? timidam palpo percutit.
Ju. Nunc, ne legio persentiscat, clam illuc redeundum est mihi:
Ne me uxorem praevortisse dicant prae re publica.
Me. Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem.
Ju. Tace! —
Ne conrumpe oculos: redibo actutum. Al. Id actutum diu est.
Ju. Non ego te hic lubens relinquo neque abeo abs te.
Al. Sentio:
Nam qua nocte ad me venisti, eadem abis. Ju. Cur me tenes?
Tempus est: exire ex urbe, priusquam lusciscat volo,
Nunc tibi hanc pateram quae dono mi illi ob virtutem data est,
Pterela rex qui potitavit, quem ego mea occidi manu,
Alcumena, tibi, condono. Al. Facis, ut alias res soles.
Ecastor condignum donum, qualist, qui donum dedit!
Me. Imo sic condignum donum, qualist, quoi dono datum est!
Ju. Pergin' autem? nonne ego possum, furcifer, te perdere?
Al. Noli amabo, Amphitruo, irasci Sosiae causa mea!
Ju. Faciam ita, ut vis. Me. Ex amore hic admodum quam saevos est.

366. Ita Guelf. Sarrac. V.: *jam hoc*. 369. Vocabula *abii* et *leg.* (praesertim hoc in commissura versûs) non eliduntur. 380. V.: *illic*. 382. Repetitum *tibi* παθητικῶς. Cf. 388 etc.

Ju. Numquid vis? Al. Ut, quom absim, me ames, me, tuam absentem, tamen.
Me. Eamus, Amphitruo: luciscit hoc jam. Ju. Abi prae, Sosia: i. t.
Iam ego sequar. Numquid vis? Al. Etiam, ut actutum advenias.
Ju. Licet. t. t. c.
Prius tuad opinione hic adero: bonum animum habe. —
Nunc te, Nox, quae me mansisti, mitto, ut cedas die:
Ut mortalibus inluciscat luce clara et candida;
Atque quanto, Nox, fuisti longior hac proxuma,
Tanto dies ut brevior fiat, faciam: ut aeque dispar et i. t.
Dies nocte accedat. — Ibo et Mercurium subsequar.

AMPHITRUO. SOSIA.

Am. Age, i tu secundum! So. Sequor, subsequor te. b. t. II, 1.
Scelestissimum te arbitror. So. Nam quamobrem?
Am. Quia id, quod neque est nec fuit nec futurum est,
Mihi praedicas. So. Eccere jam tuatim
Facis, nulla apud te tuis ut fides sit.
Am. Quid est? quo modo? Jam quidem hercle ego tibi istanc
Scelestam, scelus, linguam absciudam! So. Tuos sum:
Proinde, ut commodum est et lubet, quidque facias:
Tamen, quin loquar haec, uti facta sunt hic,
Nunquam ullo modo me potes deterrere.
Am. Scelestissume, audes, mihi praedicare,
Domi te esse nunc, qui hic ades? So. Vera dico.
Am. Malum quod tibi di dabunt, atque ego hodie
Dabo! So. Istuc tibi est in manu: nam tuos sum.
Am. Tun' me verbero, audes, herum, ludificari?
Tun' id dicere audes, quod nemo unquam homo antehac

391. *Opin.* non liquescit. 392. *mitto* non eliditur; vel legendum *uti* cum Taubmanno. 393. V.: secundum veterem librum Cam.: *mortalis*. V. quoque: *inluciscas*, sed in Helmst. legitur *inluciscat*, quod conjectura assecutus erat Acidalius. 395. Sic plané Pal. 6. Helmst. et Monac. V.: *aeque disparet*, *Et dies e nocte acc.* 396. *Ibo* non liquescit. 409. *quod*, aliquod. Vid. Parei lexic. Plaut. v. *Malum quod isti* etc. Cf. Stich. 248.

Vidit, nec potest fieri tempore uno,
Homo idem duobus locis ut simul sit?
So. Profecto, ut loquor, res ita est. Am. Jupiter te
Perdat! So. Quid mali sum, here, tua ex re promeritus?
Am. Rogasne, improbe, etiam, qui ludos facis me?
So. Merito mihi maledicas, si non id ita factum est;
Verum haud mentior, resque uti facta dico.
Am. Ebrius hic homo est, ut opinor. So. Utinam ita essem!
Am. Optas que facta. t. t.
So. Egone? Am. Tu istic! Ubi bibisti? So. Nusquam equidem bibi.
Am. Quid hoc sit
Hominis? So. Equidem decies dixi: domi ego sum, inquam, — ecquid audis? —
Et apud te adsum Sosia idem. Satin' hoc plane, satin' diserte,
Here nunc videor tibi locutus? t. d.
Am. Vah, apage te a me! So. Quid est negoti? as. 2. i. h.
Am. Pestis tenet te. So. Nam quid istuc est, quod dicis? as. 2 ith.
Equidem valeo et salvos sum recte Amphitruo. Am. At te
Ego faciam hodie, proinde ac meritus, minus ut valeas
Et miser sis, salvos domum si rediero jam!
Sequere sis, qui herum ludificas dictis delirantibus, t. t. c.
Qui, quoniam herus quod imperavit, neglexisti persequi,
Nunc venis etiam ultro inrisum dominum; quae neque fieri
Possunt neque fando unquam accepit quisquam, profers carnufex,
Quojus ego hodie intergum faxo ista expetant mendacia!
So. Amphitruo, miserruma istaec miseria est servo bono,
Apud herum qui vera loquitur, si id vi verum vincitur.
Am. Quo id, malum, pacto potest nam (mecum argumentis puta)
Fieri, nunc hic ut tu sis et domi? id dici volo.
So. Sum profecto et hic et illi. Hoc quoivis mirari licet,

415. Sic vett. V.: *ita res est*, quae scriptura minus apta bacchiaco. 418. Sic bona pars codicum. vett.: nam in vulgatis *non* desideratur. 420 — 429. Haec prorsus ἄμετρα in libris. 424. V.: *locutus esse?* 426. V.: *nam cur istuc dicis?* Sed Guelf. optimae notae liber: *nam quid est istud quod dicis?* 428. V.: *meritus es*, quae est interpretatio ἄμετρος. Subaudienda copula, ut passim. 434. Sic Lamb. Acid. V.: *tergo*. 436. Fort.: *Sid vi verum v.* 438. Sic fere vett. V.: *nunc uti tu hic sis et d.* 439. V.: *illic.*

Neque tibi istuc mirum mage videtur, quam mi, Amphitruo.
Am. Quomodo? So. Nihilo, inquam, mirum magè tibi istuc quam mihi,
Neque, ita me di ament, credebam primo mihimet Sosiae,
Donec Sosia ille egomet fecit sibi uti crederem.
Ordine omne, ut quidquid actum est, dum apud hostis sedimus,
Edissertavit; tum formam una abstulit cum nomine;
Neque lac lacti magis est simile, quam ille ego similist mei.
Nam ut dudum ante lucem a portu me praemisisti domum . . .
Am. Quid igitur? So. Prius multo ante aedis stabam, quam illo adveneram.
Am. Quas, malum, nugas? satin' tu sanus es? So. Sic sum, ut vides.
Am. Huic homini nescio quid est mali mala objectum manu,
Postquam a me abiit. So. Fateor: nam sum obtusus pugnis pessume.
Am. Quis te verberavit? So. Egomet memet, qui nunc sum domi.
Am. Cave quidquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.
Omnium primum, iste qui sit Sosia, hoc dici volo.
So. Tuos est servos. Am. Mihi quidem uno te plus etiam est quam volo,
Neque, postquam sum natus, habui nisi te servom Sosiam.
So. At ego nunc, Amphitruo, dico, Sosiam servom tuom,
Praeter me alterum, inquam, adveniens faciam ut offendas domi,
Davo prognatum patre eodem, quo ego sum, forma, aetate item,
Qua ego sum, Quid opust verbis? geminus Sosia hic factust tibi.
Am. Nimia memoras mira. Sed vidistin' uxorem meam?
So. Quin introire in aedis nunquam licitum est.
Am. Quis te prohibuit?
So. Sosia ille, quem jamdudum dico, is, qui me contudit.
Am. Quis istic Sosia est?
So. Ego, inquam! quotiens dicundum est tibi? i. t.

440. *Amphitruo* additum a Pareo ad integrandos numeros.
443. *egomet* syllaba media porrecta. Cf. As. 585, 786. Aul. 28.

Am. Sed quid ais? num obdormivisti dudum? So. Nusquam gentium.
Am. Ibi forte istum si vidisses quendam in somnis Sosiam.
So. Non soleo ego somniculose heri imperia persequi:
Vigilans vidi, vigilans nunc te video, vigilans fabulor.
Vigilantem ille me jamdudum vigilans pugnis contudit.
Am. Quis homo? So. Sosia, inquam, ego ille! quaeso, non me intellegis?
Am. Qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita nugas blatis.
So. Verum actutum nosces. Am. Quem? So. Illum nosces servom Sosiam.
Am. Sequere hac igitur me: nam mi istuc primum exquisito est opus.
Sed vide ex navi adferantur, quae imperavi, jam omnia!
So. Et memor sum et diligens, ut, quae imperes conpareant.
Non ego cum vino simitu ebibi imperium tuom.
Am. Utinam di faxint, infecta re dicta eveniant tua!

ALCUMENA. AMPHITRUO. SOSIA.

Al. Satin' parva res est voluptatum in vita atque in aetate agunda, b. s. II. 2
Prae quam quod molestum est? b. d.
Ita quoique comparatum est in aetate hominum, i. tr. h.
Ita dis est placitum, i. h.
Voluptatem ut moeror comes consequatur, b. t.
Quin incommodi plus malique eloco adsit, boni si obtigit quid. b. s.
Nam ego id nunc experior domo atque ipsa de me scio, quoi voluptas
Parumper data est, dum viri mei potestas videndi fuit mi
Noctem unam modo, atque is repente abiit cr. t. c.

467. Vocabula *somnic.* et *heri* non eliduntur. 474. Sic Monac. V.: *efferantur.* 476. *ego* (ἐγὼ) posteriore syllaba longa legendum est, contra morem insequentium Latii poëtarum. 480. *comparatum* non liquescit. *Simitu* non liquescit. 481. Quod in vulgatis hodie libris haud legitur, *est* habent Langiani, Par. et editione altera Taubm. 482. Vett. edd.: *voluptati.* 486. Cessat ecthlipsis in verbo *Noctem.*

A med hinc ante lucem. cr. d. h.
Sola hic mihi nunc videor, quia ille hinc abest, quem ego amo praeter omnis; b. s.
Plus aegri ex abitu viri quam ex adventu voluptatis cepi.
Sed hoc me beat saltem, quod perduellis h. t.
Vicit et domum laudis conpos revenit; id solatio est. t. t. c.
Absiet, dum modo laude parta domum cr. t.
Recipiat se. cr. h.
Feram et perferam usque abitum ejus animo forti atque obfirmato, t. t.
Id modo si mercedis detur mi, ut meus victor vir belli
Clueat; satis mihi esse ducam. t. d.
Virtus praemium est optumum; as. t. i.
Virtus omnibus rebus anteit profecto; as. ith. i. h.
Libertas, salus, vita, res, parentes, as. b. d. i. h.
Patria et prognati tutantur, servantur; as. i. h. b. d.
Virtus omnia in se habet; omnia adsunt bona, quem penes est virtus. t. t.
Am. Edepol me uxori exoptatum credo adventurum domum, t. t. c.
Quae me amat, quam contra amo; praesertim re gesta bene,
Victis hostibus, quos nemo posse superari ratust:
Eos auspicio meo atque ductu primo coetu vicimus.
Certe enim, me illi expectatum optato venturum scio.
So. Quid? me expectatum non rere amicae venturum meae?
Al. Meus vir hic quidem est. Am. Sequere hac tu me. Al. Nam quid illic revortitur,
Dudum qui properare se aibat? an ille me tentat sciens?
Atque id si volt experiri suom abitum ut desiderem:
Ecastor med haud invita se domum recipit suam.
So. Amphitruo, redire ad navim meliust nos. Am. Qua gratia?
So. Quia domi daturus nemo est prandium advenientibus.
Am. Qui tibi istuc nunc in mentem venit? So. Quia enim sero advenimus. i. t.
Am. Qui? So. Quia Alcumenam ante aedis stare saturam intellego. t. t. c.

489. *aegri* quoque ἀνεκθλίπτως pronuntiandum est, itemque *Feram* 494. 491. *domum* elisa o littera legendum est; *revenit* est tempus praesens. 492. V.: *Absit*, corrupto quidem metro cretico. 494. Vid.: not. ad 489. 495. Sic Monac. V.: *datur*.

Am. Gravidam ego illanc hic reliqui, quom abeo. So. Hei, perii miser!
Am. Quid tibi est? So. Ad aquam praebendam commodum adveni domum
Decumo post mense, ut rationem te ductare intellego.
Am. Bono animo es! So. Scin', quam bono? Si situlam jam cepero:
Nunquam edepol tu mihi divini creduis post hunc diem,
Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero.
Am. Sequere hac me modo! alium ego isti re adlegabo; ne time.
Al. Mage officium nunc meum facere, si huic eam advorsum, arbitror.
Am. Amphitruo uxorem salutat laetus speratam, suam,
Quam omnium Thebis vir unam esse optumam dijudicat,
Quamque adeo cives Thebani vero rumificant probam.
Valuistin' usque? exspectatusne advenio? So. Haud vidi magis
Expectatum: eum salutat magis haud quidquam quam canem.
Am. Et quom gravidam et quom te pulcre plenam adspicio, gaudeo.
Al. Obsecro ecastor, quid tu me deridiculi gratia
Sic salutas atque adpellas, quasi dudum non videris,
Quasique nunc primum recipias te domum huc ex hostibus,
Atque me nunc proinde adpellas, quasi multo post videris?
Am. Imo equidem te, nisi nunc, hodie nusquam vidi gentium.
Al. Cur negas? Am. Quia vera didici dicere. Al. Haud aequom facit,
Qui, quod didicit, id dediscit. An periclitamini,
Quid animi habeam? Sed quid huc vos revortimini tam cito?
An te auspicium conmoratum est? an tempestas continet,
Qui non abiisti ad legiones, ita uti dudum dixeras?
Am. Dudum? quam dudum istuc factum est? Al. Tentas? Jamdudum modo.

520. V.: *div. quicquam cred.*, versu ὑπερμέτρῳ. Illud *quicquam* a manu haud meliore additum, quam quae verba *animo* et *sim* explicationis gratia inferuit in praegressis. 528. V.: *quisquam*. 540. Libri versu pentametro: *Tentas; jam dudum, pridem, modo.* Suppositicium esse *pridem*, ex Amphitruonis responsione intelligitur.

Am. Qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis, jamdudum, modo?
Al. Quid enim censes? te ut deludam contra, lusorem meum,
Qui nunc primum te advenisse dicas, modo qui hinc abieris.
Am. Haec quidem deliramenta loquitur. So. Paulisper mane.
Dum edormiscat unum somnum. Am. Quaene vigilans somniat?
Al. Equidem ecastor vigilo et vigilans id, quod factum est fabulor:
Nam dudum ante lucem et istunc et te vidi. Am. Quo in loco?
Al. Hic in aedibus, ubi tu habitas. Am. Nunquam factum est.
So. Non taces?
Quid, si e portu navis huc nos dormientis detulit?
Am. Hei!
Etiam tu quoque adsentaris huiic? So. Quid vis fieri?
Non tu suis, Bacchae bacchanti si velis advorsarier,
Ex insana insaniorem facies: feriet saepius.
Si obsequare: una resolvas plaga. Am. At pol quin certa res
Hanc est objurgare, quae med hodie advenientem domum
Noluerit salutare. So. Inritabis crabrones. Am. Tace. —
Alcumena. unum rogare te volo. Al. Quid vis rogare? t. t.
Rogita. Am. Num tibi aut accessit stultitia, aut superbia t. t. c.
Superat? Al. Qui istuc in mentem est tibi, mi vir, percontarier?
Am. Quia salutare advenientem me solebas antidhac,
Adpellare itidem ut pudicae suos viros quae sunt solent; t. t. c.
Eo more expertem te factam adveniens offendi domi.
Al. Ecastor equidem te certo heri advenientem eloco,
Et salutavi, et, valuissesne usque, exquisivi simul.

550. V.: *huic.* 551. Si haec recte se habent, *velis* extrita e littera legendum est. Sed scribendum fortasse est *sid advorsari velis.* Vide Lipsii Antiqu. Lectt. 2, 14. Ejusmodi obsoleta sublata fere sunt a magistris male fastidiosis. 556 — 558. V. numeris modo abundantibus, modo mancis:

— — *Quid vis rogare? roga.*
Am. *Num tibi aut stultitia accessit, aut superat superbia?*
Al. *Qui istuc in mente est tibi, mi vir, percontarier?*

Rogare et *Rogitare* subinde permiscentur in codd. *Mentem* praebuere Langg. et Pal. 5. Helmst.: *ex me percontarier.*

Mi vir, et manum adprehendi et osculum tetuli tibi.
So. Tun' heri hunc salutavisti? Al. Et te quoque etiam Sosia.
So. Amphitruo, speravi ego istanc tibi parituram filium.
Verum non est puero gravida. Am. Quid igitur? So. Insania.
Al. Equidem sana sum et deos quaeso, ut salva pariam filium;
Verum tu magnum malum habebis, si hic suom officium facit;
Ob istuc omen, ominator, capies, quod te condecet! i. t.
So. Enimvero praegnati oportet ad malum malum dari: t. t. c.
Ut, quod obrodat, sit, animo si male esse occoeperit.
Am. Tu me heri hic vidisti? Al. Ego, inquam, si vis decies dicere.
Am. In somnis fors. Al. Imo vigilantem vigilans.
Am. Vae misero mihi! i. t.
So. Quid tibi est? Am. Delirat uxor. So. Atra bili percita est: t. t. c.
Nulla res tam delirantis homines concinnat cito.
Am. Ubi primum tibi sensisti, mulier, inpliciscier?
Al. Equidem ecastor sana et salva sum. Am. Cur igitur praedicas,
Te heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus?
Ibi coenavi atque ibi quievi in navi noctem perpetem,
Neque pedem meum huc intuli etiam in aedis, ut cum exercitu
Hinc profectus sum ad Teleboas hostis, eosque ut vicimus.
Al. Imo mecum coenavisti, et cubuisti mecum.
Am. Quid id est? t. t.
Al. Vera dico.
Am. Non quidem hercle de hac re; de aliis nescio. t. t. c.
Al. Primulo diluculo abivisti ad legiones. Am. Quomodo?
So. Recte dicit, ut conmeminit: somnium narrat tibi;
Sed, mulier, postquam experrectad es, prodigiali Jovi

564. Sic idem liber. V.: *prehendi*. 571. *praegna tiv*et. cod. Cam. Pal. 2. et Langg. V.: *praegnanti*, quod glossema est formae priscae. Dein libri: — *op. et malum et malum d.*, quale verbum si in dominam servus jecisset, profecto superbus factus foret, ut ille ait supra 204. *Ad malum malum*, h. e. malum Punicum contra malum seu morbum gravidarum. Captavit Plautus vocabuli *malum* duplicem intellectum. Cf. Ba. 589. 574. V.: *In s. fortasse*, quae ost interpretatio ἄμετρος. Similiter peccatum videtur Asin. 770.

Aut mola salsa hodie, aut thure, comprecatam oportuit.
Al. Vae capiti tuo! So. Tua istuc refert si curaveris.
Al. Iterum jam hic in me inclementer dicit, atque id sine malo.
Am. Tace tu! — Tu dic: egone abs te abii hinc hodie cum diluculo?
Al. Quis igitur, nisi vos, narravit mi, illi ut fuerit proelium?
Am. An etiam id tu scis? Al. Quippe quae ex te audivi, ut urbem maxumam i. t.
Expugnavisses, regemque Pterelam tute occideris.
Am. Egone istuc dixi? Al. Tute istic, etiam adstante hoc Sosia.
Am. Audivistin' tu me narrare hoc hodie? So. Ubi ego audiverim?
Hanc roga: me quidem praesente nunquam factum est, quod sciam.
Al. Mirum, quin te advorsus dicat. Am. Sosia, age, me huc adspice.
So. Specto. Am. Vera volo loqui te, nolo adsentari mihi:
Audivistin' tu hodie me illi dicere ea, quae illa autumat?
So. Quaeso edepol, num tu quoque etiam insanis, quom id me interrogas,
Qui ipsus equidem nunc primum istanc tecum conspicio simul?
Am. Quid nunc, mulier? audin' illum? Al. Ego vero, ac falsum dicere.
Am. Neque tu illi, neque mihi, viro, ipsi credis? Al. Eo fit, quia mihi
Plurimum credo et scio, istaec facta proinde, ut proloquor.
Am. Tun' me heri advenisse dicis? Al. Tun' te abisse hodie hinc negas?
Am. Nego enimvero, et me advenire nunc primum ajo ad te domum.
Al. Obsecro, etiamne hoc negabis, te auream pateram mihi
Dedisse dono hodie, qua te illic donatum esse dixeras i. t.
Am. Neque edepol dedi, neque dixi; verum ita animatus fui, i. t. c.

597. Verba *hanc roga* vulgo Amphitruoni tribuuntur. 605. Ita Guelf. Helmstad. Pal. 3, V.: *Quin nunc, mulier, a. illum?*

Itaque nunc sum, ut ea te patera donem. Sed qui istuc tibi
Dixit? Al. Ego quidem ex te audivi, et ex tua accepi manu
Pateram. Am. Mane, mane, obsecro te! — Nimis demiror, Sosia,
Qui illaec illi me donatum esse aurea patera sciat,
Nisi tu dudum hanc convenisti et narravisti haec omnia.
So. Neque edepol dixi, neque ego istam vidi, nisi tecum simul.
Am. Quid hoc sit hominis? Al. Vin' proferri pateram? Am. Proferri volo. i. t.
Al. Fiat! — At tu, Thessala, intus pateram proferto foras, t. t. c.
Qua hodie vir meus me donavit. Am. Secede huc tu, Sosia.
Enimvero illud praeter alia mira miror maxume,
Si haec habet pateram illam. So. An etiam id credis, quae in hac cistellula
Tuo signo obsignata fertur? Am. Salvom signum est? So. Inspice.
Am. Recte! ita est, ut obsignavi. So. Quaeso, quin tu istanc jubes
Pro cerrita circumferri? Am. Edepol quin facto est opus:
Nam haec quidem edepol larüarum plena est. Al. Quid verbis opust?
Hem tibi pateram, eccam! Am. Cedo mi! Al. Age, adspice huc sis nunc iam
Tu, qui, quae facta, inficiare, quem ego hic convincam palam!
Estne haec patera, qua donatus illi? Am. Summe Jupiter,
Quid ego video? haec ea profecto est patera! Perii, Sosia!
So. Aut pol haec praestigiatrix mulier multo maxuma est,
Aut pateram hic inesse oportet. Am. Agedum, solve cistulam!
So. Quid ego istam exsolvam? Obsignata est recte. — Res gesta est bene:
Tu peperisti Amphitruonem; ego alium peperi Sosiam;
Nunc si pateram patera peperit, omnes congeminavimus.

611. V.: *Sed quis i. t.*, metro quidem difficiliore. 614. *Illi* Monac. V.: *illic*. 618. *At* raptum videtur ab antecedente syllaba. 631. Frustra codd.: *Ag.*, *eam s. cist.*

AM. Certum est aperire atque inspicere. SO. Vide sis, signi quid siet;
Ne posterius in me culpam transferas. AM. Aperi modo:
Nam haec quidem nos delirantis facere dictis postulat.
AL. Unde haec igitur est, nisi abs te, quae mihi dono data est?
AM. Opus mi est istuc exquisito. SO. Jupiter! proh Jupiter!
AM. Quid tibi est? SO. Hic patera nulla in cistula est! AM. Quid ego audio?
SO. Id, quod verum. AM. At cum cruciatu jam, nisi adparet, tuo!
AL. Haec quidem adparet. AM. Quis igitur tibi dedit? AL. Qui me rogat.
SO. Captas me, quia tute ab navi clanculum huc alia via
Praecucurristi, atque hinc pateram tute exemisti, atque eam
Huic dedisti, posthac rursus obsignasti clanculum.
AM. Hei mihi, jam tu quoque hujus adjuvas insaniam! —
Ain', heri nos advenisse huc? AL. Ajo; adveniensque eloco
Me salutavisti, et ego te, et osculum tetuli tibi.
SO. Jam illud non placet principium de osculo. AM. Perge exsequi.
AL. Lavisti. AM. Quid, posteaquam lavi? AL. Adcubuisti.
SO. Euge! optume! i. t.
Nunc exquire! AM. Ne interpella. — Perge porro dicere. t. t. c.
AL. Coena adposita est; concoenasti mecum; ego adcubui simul.
AM. In eodem lecto? AL. In eodem. SO. Hei, non placet convivium!
AM. Sine modo argumenta dicat. — Quid, postquam coenavimus?
AL. Te dormitare ajebas: mensa ablata est; cubitum hinc abiimus. i. t.

641. V.: *I. q. v. est*, legiturque *ni* pro *nisi*. 645. Ita Guelf. ceteri libri fere: *rursum*. 649. *Jam — osculo*. Minus recte haec sub Amphitruonis persona gravi leguntur in codd. Cf. 650. 653. V. quoque: *pergam*, sed Mureti vetus liber: *perge exsequi* (narrare, *διηγεῖσθαι*). Vide Mureti V. L. 10, 13. 650. Ita Basil. a. 1568., Taubm., Gronov. V.: *postquam*. 652. Ita Guelf. Monac.: *cocenavisti*. V.: *coenavisti*. 653. Veneta a. 1495.: *lecto est*. Fort., usurpato jambico tetram.: — *lecto*. SO. *St!* AL. *In eodem*.

Am. Ubi tu cubuisti? Al. In eodem lecto tecum una in cubiculo.
Am. Perdidisti! So. Quid tibi est? Am. Haec me modo ad mortem dedit! t. t. c.
Al. Quid jam, amabo? Am. Ne me adpella! So. Quid tibi est? Am. Perii miser:
Quia pudicitiae hujus vitium, me hinc absente, est additum.
Al. Obsecro ecastor, cur istuc, mi vir, ex ted audio?
Am. Vir ego tuos sim? Ne me adpella, falsa, falso nomine!
So. Haeret hic res, si quidem haec jam mulier facta est ex viro.
Al. Quid ego feci, qua istaec propter dicta dicantur mihi?
Am. Tute edictas facta tua, ex me quaeris, quid deliqueris!
Al. Quid ego tibi deliqui, si, quoi nupta sum, tecum fui?
Am. Tun' mecum fueras? Quid illac inpudente audacius? i. t.
Saltem tute, si pudoris egeas, sumas mutuom! t. t. c.
Al. Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me inpudicitiai captas, capere non potes.
Am. Proh di immortales, cognoscin' tu me saltem, Sosia?
So. Propemodum. Am. Coenavin' ego heri in navi in portu Persico?
Al. Mihi quoque adsunt testes, qui illud, quod ego dicam, adsentiant.
So. Nescio, quid istuc negoti dicam, nisi si quispiam
Est Amphitruo alius, qui forte hic, absente te, tamen
Tuam rem curet, teque absente hic munus fungatur tuom:
Namque de illo subditivo Sosia mirum nimist;

656. *Tecum* non est elidendum. 659. V.: *hic*. 661. Ita MS Meursii et mediae quaedam edd. V.: *N. me a. falso. falso n.* 662. V.: *H. haec res.* 666. V.: *T. mecum fueris?* Guelf. et Monac.: *fueras*. 669. Libri: *impudicitiae.* 673. Sic plurimi scripti. V.: *nisi quisq.* 672. Hunc versum inter et sequentem quidam posuerunt illa *Nec nobis* etc., omisso tamen verbo *quisquam* et additis de sub *Sosia affuit*, quem pannum satius existimavimus inseri fragmentis Amphitruonis, quorum loco primo legitur. 676. Muret.: *mir. est minus.*

Certe de hoc Amphitruone jam alterum mirum est magis.
Am. Nescio; quis praestigiator hanc frustratur mulierem.
Al. Per supremi regis regnum juro et matrem familias,
Junonem, quam vereri med et metuere est par maxume,
Ut mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me inpudicam faceret! Am. Vera istaec velim.
Al. Vera dico, sed nequidquam: quoniam non vis credere.
Am. Mulier es: audacter juras. Al. Quae non deliquit, decet
Audacem esse, confidenter pro se et proterve loqui.
Am. Satis audacter! Al. Ut decet pudicam. Am. Tu verbis probas.
Al. Non ego illanc dotem mi esse duco, quae dos dicitur;
Sed pudicitiam et pudorem, sedatum et cupidinem,
Deum metum, parentum amorem et cognatum concordiam:
Tibi morigera atque ut munifica sim bonis, prosim probis.
So. Nae ista edepol, si vera haec loquitur, examussim est optuma!
Am. Delenitus sum profecto ita, ut me, qui sim, nesciam.
So. Amphitruo es profecto: cave sis, ne tu te usu perduis!
Ita nunc omnes inmutamur, postquam peregre advenimus.
Am. Mulier, istanc rem inquisitam certum est non amittere.
Al. Edepol me lubente facies. Am. Quid ais? responde mihi.
Quid, si adduco tuom cognatum huc a navi Naucraten,
Qui mecum una vectust una navi; atque is si denegat
Facta, quae tu facta dicis, quid tibi aequom est fieri?
Numquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio?
Al. Si deliqui, nulla causa est. Am. Convenit. Tu, Sosia,

678. Fort.: *frustratus*. 688. V.: *et sēdatūm cup.* Helmst.: *et sed. et cup.* 689. Posterius *et* in eodem libro legitur. V. non comparet. 691. Sic Argent. a. 1514. V.: *si haec vera l.* 694. *omnes* pro vulgato *homines* legendum vidit Sciopp. Susp. Lett. 3, 7. Vocabula mixta saepius. 696. *lubente*. Mire Helmst.: *subeunte*. 697. Ita Monac. et pleraeque edd. vett. V.: *Naucratem*. Sic edd. etiam 702, 766, 857, 862. Cf. Asin. 72, 553.

Duc hos intro! Ego huc ab navi mecum adducam Naucraten.
So. Nunc quidem praeter nos nemo est: dic mihi verum serio,
Ecquis alius Sosia intust, qui mei similis siet?
Al. Abin' hinc a me, dignus domino servos? So. Abeo, si jubes. i. t.
Al. Nimis ecastor facinus mirum est, qui illi conlubitum siet, t. t. c.
Meo viro, sic me insimulare falsum facinus tam malum.
Quidquid est, jam ex Naucrate id cognato cognoscam meo.

J U P I T E R.

Ego sum ille Amphitruo, quojust servos Sosia, i. s. III, 1
Idem Mercurius qui fit, quando commodum est,
In superiore qui habito coenaculo,
Qui interdum fio Jupiter, quando lubet;
Huc autem quom extemplo adventum adporto: eloco
Amphitruo fio et vestitum inmuto meum.
Nunc huc honoris vostri venio gratia,
Ne hanc inchoatam transigam comoediam;
Simul Alcumenae, quam vir insontem probri
Amphitruo adcusat, venio ut auxilium feram:
Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,
Si id Alcumenae innocenti expetat.
Nunc Amphitruonem memet, ut occoepi semel,
Esse adsimulabo, atque in horunc familiam
Frustrationem hodie iniciam maxumam;
Post igitur demum faciam res fiat palam,
Atque Alcumenae in tempore auxilium feram,
Faciamque, ut uno foetu et quod gravida est viro,
Et me quod gravida est, pariat sine doloribus.
Mercurium jussi me continuo consequi,
Si quid vellem imperare. Nunc hanc adloquar.

709. V.: *E. s. i. A., cui est s. S.* Sed plerique omnes vett.: *cujus.* 713. *adventum adporto.* Mirum loquendi genus. An legendum *adparo?* Vel: *Advento a portu?* ridicule, quia portus Persici, in quem advectus fuit Amphitruo, non semel mentio facta est in praegressis, velut 10, 42, 25, 579, 671. Acidalius tentabat: *H. a. q. e. advento: a porta illico* etc. 718. V.: *veni.* Sed cf. 715. 720. *Alc. inn.* Cessat in his ecthlipsis. 723. Sic fere prisci. V.: *iniiciam.*

ALCUMENA. JUPITER.

Al. Durare nequeo in aedibus! ita me probri, A. s. III, 2
Stupri, dedecoris a viro argutam meo!
Ea, quae sunt facta, infactad esse occlamitat;
Quae neque sunt facta, neque ego in me admisi, arguit;
Atque id me susque deque esse habituram putat.
Non edepol faciam, neque me perpetiar probri
Falso insimulatam, quin ego illum aut deseram,
Aut satisfaciat mi ille, atque adjuret insuper,
Nolle esse dicta, quae in me insontem protulit!
Ju. Faciundum est mi illud, fieri quod illaec postulat,
Si me illam amantem ad sese studeam recipere.
Quando, ego quod feci, id factum Amphitruoni obfuit,
Atque illi dudum meus amor negotium
Insonti exhibuit: nunc autem insonti mihi
Illius ira in hanc et maledicta expetent.
Al. Et, eccum, video, miseram qui med arguit
Stupri, dedecoris! Ju. Te volo, uxor, conloqui.
Quo te avortisti nunc? Al. Ita ingenium est meum:
Inimicos semper osa sum obtuerier.
Ju. Heia autem inimicos! Al. Sic est; vera praedico:
Nisi etiam hoc falso dici insimulaturus es.
Ju. Nimis verecunda es. Al. Potin', ut abstineas manum?
Nam certo si sis sanus aut sapias satis,
Quam tu inpudicam esse arbitrere et praedices,
Cum ea tu sermonem nec joco nec serio
Tibi habeas, nisi sis stultior stultissumo.
Ju. Si dixi, nihilo magis es, neque ego esse arbitror;
Et id huc revorti uti me purgarem tibi:
Nam nunquam quidquam meo animo fuit aegrius,
Quam postquam audivi, ted esse iratam mihi.
Cur dixisti? inquies. Ego expediam tibi.
Non edepol, quo te esse inpudicam crederem;

732. Vet. cod. Camer.: *infecta re est* (e) *at clamitat.* Alii libri: *inf. ue. acclamitat.* Unus Langianorum: *inf. esse acclamitat*, unde Gronov.: *inf. e. occlamitat*, recte, nisi quod in aliorum scripturis latere existimavi d. illud ephelcysticum, quo veteres utebantur. (*infectad*, *infectat*, *infectare*, *infectave* etc.) Monac.: *infacta.* V. secundum Cam.: *infecta refert ac clamitat.* 742. Sic edd. mediae, ut opponantur inter se verba *illi insonti* et *insonti mihi*, quod merito placuit Acidalio. V.: *ille.* 747. Sic eaedem edd. V. *nunc* non legitur. 751. Guelf.: *iracunda*, ut legendum conjecit Lamb. 753. Sic libri meliores. Male vulgati: *arbitrare*, cum sequatur *praedices.* 756. Sic itidem probi codd. V. *ego* desideratur.

Verum periclitatus animum sum tuom,
Quid faceres, et quo pacto id ferre induceres.
Equidem joco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi causa. Vel hunc rogato Sosiam.
Al. Quin huc adducis meum cognatum Naucraten
Testem, quem dudum te adducturum dixeras,
Te huc non venisse? Ju. Si quid dictum est per jocum,
Non aequom est, id te serio praevortier.
Al. Ego illud scio quam doluerit cordi meo!
Ju. Per dexteram tuam, Alcumena, oro, obsecro,
Te, da mi hanc veniam! ignosce! irata ne sies!
Al. Ego istaec feci verba virtute inrata:
Nunc quando factis me inpudicis abstinens,
Ab inpudicis dictis avorti volo:
Valeas! tibi habeas res tuas, reddas meas!
Juben' mi comites? Ju. Sanan' es? Al. Si non jubes:
Ibi Pudicitiam duxero comitem mihi.
Ju. Mane: arbitratu tuo jusjurandum dabo,
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.
Id ego si fallo: tum te, summe Jupiter,
Quaeso, Amphitruoni ut semper iratus sies!
Al. Ah, propitius sit potius! Ju. Confido fore:
Nam jusjurandum verum te advorsum dedi.
Jam nunc irata non es? Al. Non sum. Ju. Bene facis.
Nam in hominum aetate multa eveniunt hujusmodi:
Voluptates capiunt, capiunt rursum miserias;
Irae interveniunt, redeunt rursum in gratiam;
Verum irae si quae forte eveniunt hujusmodi
Inter eos: rursum si reventum in gratiam est,
Bis tanto amici sunt inter se quam prius.
Al. Primum cavisse oportuit, ne diceres;
Verum eadem si idem purgas, mihi patiunda sunt.

765. Guelf.: *R. c. etiam h. r. S.* 766. Vid. not. ad. 697. 773. Guelf.: *irrata.* V.: *irrita.* 774. Sic Helmst., h. e. abstinens sum, ellipsi priscis valde usitata. De forma verbi periphrastica cf. 837, 839. Capt. 852, Cas. 228 etc. V.: *abstines* (abstinēs). 777. Ita Langg. V., intruso glossemate: *I. mi ire com.?* 778. V. nullis numeris: *I. e., comicum Pudic. duxero.* Nostri codd. MSS. et vett. edd.: *com. mihi.* Langg.: Al. *Sin: ibo com. mihi Pud. dux.* Ineptum istud *Ibo egomet*, siquidem non id oravit Alcmena, ut sibimet ire liceat, sed ut comitibus. Legendum vidimus *Ibi*, tum; delendum *egomet* secundum Langianos; *mihi* vero arcessendum ex tot libris. Quo facto, quasi sponte sua versus optimus exstitit. 783. Ita Guelf. et edd. vett. V.: *Confide*, quo subvertitur versus iambicus. 793. Sic aliquot Pall. V.: *V. e. si isdem p.*

Ju. Jube vero vasa pura adornari mihi:
Quae apud legionem vota vovi, si domum
Redissem salvos, ea ego ut exsolvam omnia.
Al. Ego istuc curabo. Ju. Evocate huc Sosiam:
Gubernatorem, qui in mea navi fuit,
Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat.
Is adeo inpransus ludificabitur, quom ego
Amphitruonem collo hinc obstricto traham.
Al. Mirum, quid solus secum secreto ille agat.
Atque aperiuntur aedes; exit Sosia.

SOSIA, JUPITER. ALCUMENA.

So. Amphitruo, adsum: si quid opus est, impera: imperium exsequar. t. t. c. III, 3
Ju. Optume advenis. So. Jam pax est inter vos quaeso duos?
Nam quia vos tranquillos video: gaudeo, et volupe est mihi.
Atque ita servom par videtur frugi sese instituere,
Proinde heri ut sint, ipse item sit; voltum e voltu conparet;
Tristis sit, si heri sint tristes; hilarus sit, si gaudeant.
Sed age, responde: jam vos redistis in concordiam?
Ju. Derides, qui scis, haec jamdudum me dixisse per jocum? i. t.
So. An id joco dixisti? Equidem serio ac vero ratus.
Ju. Habui expurgationem: facta pax est. So. Optume est. t. t. c.
Ju. Ego rem divinam intus faciam, vota quae sunt . . So. Censeo.
Ju. Tu gubernatorem a navi evoca verbis meis
Huc Blepharonem, ut re divina facta, mecum prandeat.
So. Jam hic ero, quom illi censebis esse me. Ju. Actutum huc redi.
Al. Numquid vis, quin abeam jam intro, ut adparentur, quibus opust?
I sane et, quantum potest, parata fac sint omnia.

796.: V. *ut* incipit antecedentem versum. 802. Guelf. *agit*. 813. *Habui* non liquescit. 817. V.: *illic*. 820. Multi codd. *veni*.

Al. Quin venis, quando vis, intro? Faxo haud quicquam sit morae.
Ju. Recte loquere et proinde, diligentem ut uxorem decet.
Jam hice ambo, et servos et hera, frustra sunt duo, i. s.
Qui me Amphitruonem rentur esse; errant probe.
Nunc tu, divine, huc fac adsis, Sosia!
Audis, quae dico, tametsi praesens non ades.
Fac, Amphitruonem advenientem ab aedibus
Ut abigas quovis pacto conmentus sies!
Volo deludi illum, dum cum hac usuraria
Uxore nunc mihi morigero. Haec curata sint
Fac sis proinde adeo, ut velle med intellegis,
Atque ut ministres mihi, mihi quom sacruficem.

MERCURIUS.

Concedite atque abscedite omnes! de via decedite, i. t. III, 4
Nec quisquam tamde audax fuat homo, qui obviam obsistat mihi!
Nam mihi quidem hercle qui minus liceat, deo, minitarier
Populo, ni decedat mihi, quam servolo in comoediis?
Ille navem salvam nuntiat, aut irati adventum senis;
Ego sum Jovis dicto audiens, ejus jussu nunc huc me adfero:
Quamobrem mi mage par est via decedere et concedere.
Pater vocat me, eum sequor, ejus dicto imperio sum audiens:
Ut filium bonum patri esse oportet, itidem ego sum patri:
Amanti supparasitor, hortor, adsto, admoneo, gaudeo;
Si quid patri volupest, voluptas ea mihi multo maxuma est.
Amat? Sapit, recte facit, animo quando obsequitur suo;
Quod omnis homines facere oportet, dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem volt deludi meus pater: faxo probe

827. Ita Guelf. V.: *paoto fac comm.* 5. 830. Codd. fere: *velle me.* V.: *me velle.* 821. Sic vet. liber Camer. V.: *cum mihi sacr.* 833. V.: *tam*, minus quidem expedito versu. Similiter *quamde* pro *quam* dixit Lucretius. Cf. Fest. v. *Quamde*, Lips. Antiqu. Lectt. 2, 14. Palmer. Spicil. Lamp. Gruter. pagg. 746. sequ., nos ad Amph. prol. 149. in ed. majore.

Jam hic deludetur, spectatores, vobis adspectantibus.
Capiam coronam mi in caput; adsimulabo esse me ebrium,
Atque illuc sursum escendero: inde optume aspellam virum
De supero, quom huc accesserit. Faciam, ut sit madidus sobrius!
Deinde illi actutum subferet suos servos poenas Sosia:
Eum fecisse ille hodie arguet, quae ego fecero hic. Quid id mea?
Meo me aequom est morigerum esse patri; ejus studio servire addecet.
Sed eccum Amphitruonem! advenit! jam ille hic deludetur probe.
Siquidem vos voltis auscultando operam dare. i. s.
Ibo intro: ornatum capiam, qui potis decet:
Dein sursum ascendam in tectum: ut illum hinc prohibeam.

AMPHITRUO.

Naucraten quem convenire volui, in navi non erat.
t. t. c. IV, 1
Neque domi neque in urbe invenio quemquam, qui illum viderit:
Nam omnis plateas perreptavi, gymnasia et myropolia;
Apud emporium atque in macello, in palaestra atque in foro,
In medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sacras.
Sum defessus quaeritando, nusquam invenio Naucratem.
Nunc domum ibo atque ex uxore hanc rem pergam exquirere,
Quis fuerit, quem propter corpus suom stupri compleverit:
Nam me, quam illam questionem inquisitam hodie amittere,
Mortuom satiust. Sed aedis occluserunt. Eugepae!
Pariter hoc fit atque ut alia facta sunt. Feriam foris.
Aperite hoc! heus ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?

846. V.: *spectantibus*. Sequor librum Guelf. 848. Ita Helmst. et Monac., ut legendum esse conjecit Bentl. ad Terent. Heaut. 2, 3, 20. Veteri errore legitur *cispellam*. 852. Sic G. Hermann. libri de metris p. 186 V.: *M. m. a. est mov. p.; ejus* etc. 857, 862. *Naucraten*. Cf. 697. 864. Edd. mediae: *fuit*, graece.

MERCURIUS. AMPHITRUO.

Me. Quis ad foris? Am. Ego sum. Me. Quis ego sum?
Am. Ita loquor.
Me. Tibi Jupiter i. t. IV, 2
Dique omnes irati certo sunt, qui sic frangas foris. t. t. c.
Am. Quo modo? Me. Eo modo, ut profecto vivas aetatem miser.
Am. Sosia! Me. Ita; sum Sosia, nisi me esse oblitum existumas.
Quid nunc vis? Am. Sceleste, at etiam quid velim, id tu me rogas?
Me. Ita rogo: pene ecfregisti, fatue, foribus cardines.
An foris censebas nobis poplicitus praeberier?
Quid me adspectas, stolide? quid nunc vis tibi, aut quis tu es homo?
Am. Verbero, etiam, quis ego sim, me rogitas, ulmorum acheruns?
Quem pol ego hodie ob istaec dicta faciam ferventem flagris!
Me. Prodigum te fuisse oportet olim in adulescentia.
Am. Quidum? Me. Quia senecta aetate a me mendicas malum.
Am. Cum cruciatu tuo istaec hodie, verna, verba funditas!
Me. Sacrufico ego tibi. Am. Qui? Me. Quia enim te macto infortunio.

S U P P O S I T A.

Am. Tun' me mactes, carnufex? Nisi formam dii hodie meam perduint,
Faxo ut bubulis coriis onustus sis, Saturni hostia:
Ita ego te certo cruce et cruciatu mactabo. Exi foras,
Mastigia! Me. Larva umbratilis, tun' me minis territas?
Nisi hinc actutum fugias, si denuo pultaveris,
Si minusculo digito increpueris foris: hac tegula

869. *Quis ego sum* Guelf. Helmst. Similis jocus est 179. V.: *quid, e. s.?* Suppos. 6. Sic Acid. V.: *increpuerint*. Ceterum haec supposita a veteribus quidem libris absunt, sed leguntur in edd. mediis, antiquiora illa haud dubie istis quae Bacchidum et Pseudoli principiis mediaeque Mercatori adsuta sunt. Aliquot hic versus erui, sicut in suppatis fortasse aetatis illis, quae Aululariae supposita sub nomine Queroli leguntur.

Tuum deminuam caput: ut cum dentibus linguam excrees!
Am. Tun', furcifer, meis me procul prohibessis aedibus?
Me. Tun' meas pulsare foris. Am. Hasce illico toto demoliar cardine.
Me. Pergin'? Am. Pergo. Me. Accipe! Am. Sceleste, in herum? si te hodie apprehendero,
Ad id te redigam miseriarum, ut semper sis miser.
Me. Bacchanal exercuisse te, senex, oportuit. t. t. c.
Am. Quidum? Me. Quando servum censes me tuum.
Am. Quid? Censeo? t. t. c.
Me. Malum tibi! praeter Amphitruonem herum novi neminem.
Am. Num formam perdidi? mirum, quin me norit Sosia
Scrutabor. Eho, dic mihi, quis videor? Satin' Amphitruo? t. t. c.
Me. Amphitruo? sanusne es? Nonne tibi praedictum, senex,
Bacchanal te exercuisse, quom, qui sis, alium roges? t. t. c.
Abscede, moneo! molestus ne sies, dum Amphitruo
Cum uxore, modo ex hostibus adveniens, voluptatem capit!
Am. Qua uxore? Me. Alcumena. Am. Quis homo?
Me. Quotiens vis dictum?
Amphitruo, herus meus! molestus ne sies!
Am. Quicum cubat? t. t. c.
Vide, ne infortunium quaeras, qui me sic ludifices! —
Dic, quaeso, mi Sosia, blandius: cum Alcumena? in eodemne
Cubiculo? Me. Imo, ut arbitror, corpore corpus incubat.
Am. Vae misero mihi!
Me. Lucri est, quod deputat miseriam: nam uxorem usurariam i. t.
Perinde est praebere ac si tu agrum sterilem fodiendum loces. i. t.
Am. Sosia! Me. Quid, malum, Sosia? Am. Non me novisti, verbero?
Me. Novi te hominem molestum. Quine emas litigium?
Am. Adhuc
Amplius? nonne ego herus sum tuus Amphitruo?
Me. Tu Bacchus es,

16. V.: in ordinem recepto glossemate: *num satis Amph.?* 18. V.: *rogites*. Vid. not. ad Amph. 556. seqq. 26. Legendum puto *Lucrum est*.

Non Amphitruo. Quotiens tibi dictum vis? num denuo?
Meus Amphitruo, uno cubiculo Alcmenam complexu tenet. t. t. c.
Si pergas, eum hic sistam, nec sine tuo magno malo!
Am. Cupio arcessi. Utinam ne pro benefactis hodie patriam t. t. c.
Aedis, uxorem, familiam cum forma una perduam? t. t. c.
Me. Arcessam equidem; sed de foribus tute interea sis vide . . . ! t. t. c.
[Credo jam, quae volebat, sacrificia ad epulum, conduxit.]
Si molestus sis, evades nunquam, quin te sacruficem! t. t. c.

AMPHITRUO. BLEPHARO. SOSIA.

Am. Di, vostram fidem, quae intemperiae nostram agunt familiam! quae mira
Video, postquam advenio peregre! Num verum est, quod olim auditum est t. t.
Fabularier, mutatos Atticos in Arcadia homines t. t.
Et saevas belluas mansitasse, nec unquam denuo parentibus
Cognitos? Bl. Quid illuc, Sosia? Magna sunt, quae mira praedicas!
Ain' tu, te alterum reperisse domi consimilem Sosiam? t. t. c.
So. Ajo. Sed heus tu, quom ego Sosiam, Amphitruonem Amphitruo, qui scis, an
Tu forte alium Blepharonem parias. O di faciant, ut tu quoque
Concisus pugnis et elisis dentibus id impransus creduas!
Nam ego, ille alter Sosia, qui illic sum, me malis mulcavit modis.
Bl. Mira profecto. Sed gradus condecet grandire: nam, ut video,
Expectat Amphitruo, et vacuus mihi venter crepitat.
Am. Et quid aliena fabulor? i. d. cl.
In nostro olim Thebano genere plus quam mira memorant.
Martigenam ille adgressus belluam magnus Europae quaestor sanguineo

35. *Perduam* additum est ab Acidalio. 2. Vulgo *nam verum est* — *Cognitos*. 9. Sic Acidal. V.: *illisis*.

Repente hostis peperit seminio, et pugnata illic pugna
Frater trudebat fratrem hasta et galea; et nostrae auctorem gentis
Cum Veneris filia anguis repsisse tellus Epirotica vidit.
De summo summus Jupiter sic statuit, sic se fatum habet. i. t.
Optumi omnes nostrates pro claris factis diris aguntur malis.
Fata istaec me premunt. Pertolerarem vim tantam cladisque
Exantlarem inpatibiles? So. Blepharo! Bl. Quid est? So. Nescio quid mali suspicor.
Bl. Quid? So. Vide, sis: herus salutator oppessulatas ante foris graditur.
Bl. Nihil est: famen expectat obambulans. So. Curiose quidem: foris enim
Clausit, ne praevorteretur foras. Bl. Oggannis. So. Nec gannio, nec latro.
Si me audias: observes. Nescio quid secum solus. Puto,
Rationes colligit. Quid memoret, hinc excipiam. Ne propera.
Am. Ut metuo, ne victis hostibus di partam expungant gloriam.
Totam modis miris turbatam nostram video familiam; i. t.
Tum vero uxor vitio, stupro, dedecore me plena enicat. t.
Sed de patera mirum est: tam erat signum obsignatum probe. t. c. c.
Quid enim? Pugnas pugnatas prolocuta, et Pterelam oppugnatum
Nostris occisum manibus fortiter. Attat! novi jam ludum:
Id Sosiae factum opera est, qui me hodie quoque i. s.
Praesentem ausit indigne praevortier. i. s.
So. De me locutus, et quae velim minus.
Hominem ne congrediamur, quaeso, priusquam stomachum decoxerit.
Bl. Ut lubet. Am. Mastigiam illum si datur hodie adprendere: t. t. c.
Ostendam, quid sit
Herum fallere, minis et dolis incessere.

16. V.: illac. 29. Libri: *miris modis*. Fortasse legendum est *mirimodis*, ut *multimodis*. Erit tum hic versus troch. tetr. cat. 31. V.: — *mirust: erat tamen sign. o. pr.* 35. *Praes.* non est elidendum. 37. V.: *detexerit*. Emendavit Douza fil.

So. Audin' tu illum? Bl. Audio. So. Illaec machina
meas onerat scapulas. t. t.
Bl. Compellemus, sis, hominem. So. Scin', volgo quod
dici solet? t. t. c.
Bl. Quid sis dicturus, nescio; quid patiundum tibi, fere
hariolor. i. t.
So. Vetus est adagium: Famis et mora bilem in nasum
conciunt. t. t. c.
Bl. Verum quidem. Eloco compellemus alacris. Amphitruo!
Am. Blepharonem audio. Mirum, quid ad me veniat.
At tamen t. t. c.
Optume se offert, uxoris facta ut convincam impia t. t. c.
Quid tu huc ad me, Blephare? Bl. Oblitus tam cito,
quom diluculo t. t. c.
Sosiam misisti ad navim, tecum hodie ut conviverem? t. t. c.
Am. Nusquam factum gentium. Sed ubi illic scelestus?
Bl. Quis? Am. Sosia.
Bl. Eccum illum! Am. Ubi? Bl. Ante oculos. Non
vides?
Am. Vix video prae ira: adeo me istic hodie delirum
facit. t. t. c.
Ne te sacruficem, nunquam evades! — Sine med!
Bl. Ausculta, precor. i. t.
Am. Ausculto: dic. Tu vapula! So. Qua de re? num
satis temperi? i. t.
Non ocius quivi, si Daedaleis me tulissem remigis. i. t.
Bl. Abstine, quaeso; non potuimus nostros
Grandius gradus grandire. Am. Sive grallatorius, t. t. c.
Seu testudineus fuerit, certum est mi hunc scelestum
perdere! i. t.
En tectum! en tegulas! en obductas foris! cr. t.
En ludificatum herum! en verbereum scelus! cr. t.
Bl. Quid mali fecit tibi? Am. Rogas? ex illo tecto
Foribus exclusum aedibus me deturbavit. So. Egone?
Am. Tu. t. t. c.
Quid minitabas te facturum, si istas pepulissem foris? t. t. c.
Negas, sceleste? So. Quid negem? En testis ampliter,
quicum venio.

44. V.: *Fames*, corrupto quidem metro trochaïco. 46. V.: — *veniat. Opportune tamen se off., ut ux. f. conv. turpia.* Non raro mixta *Optume* et *Opportune*. *Impia* legitur in nonnullis libris. 48. *quom*. V.: *quam*. 53. V.: *Sine me, Blepharo.* Vel glossema hoc, vel fraudi fuit sequens nota personae: nam nimis manifestus versus. 54. V.: *Dic; ausc.* 58. V.: *Sive tests.* 60. V.: *verborum.* 64. V.: *Quin negem?*

Missus sedulo, ut ad te vocatum ducerem. Am. Quis te misit,
Furcifer? So. Qui me rogat? Am. Quando gentium? So. Dudum,
Jampridem, modo, ubi cum uxore domi redisti in gratiam. t. t. c.
Am. Bacchus te irritassit. So. Nec Bacchum hodie nec Cererem salutem, t. t.
Ni divinam uti rem faceres, jusseras purgari et t. t. c.
Vasa; et hunc arcessitum me mittis, tecum ut prandeat. t. t. c.
Am. Blèpharo, dispeream, si aut intus adhuc fui, aut si hunc miserim! t. t. c.
Dic, ubi me liquisti? So. Domi cum Alcumena conjuge t. t. c.
Abs te ego abiens portum vorsus volito, hunc tuis verbis voco: t. t. c.
Venimus; nec te nisi nunc video postea. Am. Scelerum caput, t. t. c.
Me cum uxore Alcumena? Nunquam abis, quin vapules! t. t. c.
So. Blepharo ....! Bl. Amphitruo, mea gratia mitte hunc et me audias. t. t. c.
Am. En mitto. Quid vis? Loquere. Bl. Istic mihi jamdudum maxuma i. t.
Memoravit mira. Praestigiator hanc forte aut veneficus i. t.
Excantat familiam tibi. Inquire aliunde, quid siet, i. t.
Neque ante hunc excruciatum miserum facias, quam rem intellegas. i. t.
Am. Recte mones. Eamus: te advorsum uxori etiam advocatum volo.

JUPITER. AMPHITRUO. SOSIA. BLEPHARO.

Ju. Quis tam vasto inpete has foris toto convolsit cardine? i. t.
Quis ante aedis tantas tamdiu turbas concitat?

68. V.: *Nec Bacch. sal. hodie, nec Cererem. tu purg. juss. Vasa. ut rem div. fac.; et hunc* etc. Correxit Sciopp., aliis frustra obloquentibus. 72. *cum* neque hoc versu neque 75. elidendum est. 74. V.: *Scelestum caput.* Vid. Parei lex Plaut. v. *Scelerum caput.* 79. V.: *Inqu. aliunde, vide quid siet.* Ortum videtur *uide* ex — *unde* praegresso. Non liquescit *tibi*.

Quem si comperero, Telebois sacruficabo Manibus. t. t. c.
Am. Nihil est, ut dici solet, quod hodie succedat mihi. t. t. c.
Deserui Blepharonem et Sosiam, ut cognatum Naucratem t. t. c.
Convenirem; hunc non reperi, et illos perdidi.
Sed eos video, Ibo advorsum, ut, si quid habent, sciscitem. t. t. c.
So. Blepharo, illic, qui it ex aedibus, est herus, hic vero est veneficus. i. t.
Bl. Proh Jupiter, quid intuor? Hic non est, sed ille, Amphitruo. i. t.
Istic si fuat, illum sane non eum esse oportuit, t. t. c.
Nisi quidem sit geminus. Am. Eccum cum Blepharone Sosiam. t. t. c.
Compellabo hos prius.
Sosia, tandem ad nos? Esurio. Ju. Dixin' hunc veneficum? t. t. c.
Am. Imo ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem meam t. t. c.
Impudicitia implet, per quem teneo thesaurum stupri. t. t. c
So. Here, si tu nunc esuris, ego volito ad te pugnis satur. t. t. c.
Am. Pergin', mastigia? So. Abi ad Acheruntem, venefice! Am. Men' veneficum?
Vapula! Ju. Quae, hospes, intemperiae, ut tu meum verberes? Am. Tuum?
Ju. Meum. Am. Mentiris.
Ju. Sosia, i intro: dum hunc sacrufico, fac paretur prandium. t. t. c.
So. Ibo. Amphitruonem, arbitror, ita comiter. i. s.
Amphitruo accipiet, memet ut dudum ille ego. i. s.
Interea dum isti certant: in popinam devortundum t. t.
Est mihi: lances detergam omnis, omnis trullas hauriam. t. t. c.

4. V.: *bene succ.* 7. Cave elidas verba *video* et *advorsum*. 13. V.: *Dix. tibi h. v.* 15. V.: *Imp. impetivit.* Scribunt *Impedivit* secundum Non. v. Impedire, ubi haec laudat. Sed idem istud, quidquid verbi est, significare ait *sordidavit;* quae explicatio neutri istorum convenit, convenit verbo *implet*, quod ut ponerem, versus etiam monebat troch., cujus in his forma manifesta. Illud *impetivit*, olim fuit, ut opinor, *impletevit*, cum librarius pro *implet*, quod dederat, exaratum vellet *implevit*: neque enim delere improbata solet id genus hominum, sed iis emendatiora sibi visa adscribere. 21. His ineptus nescio quis interpolator addidit, quae vulgo leguntur verba *alter Sosia Sosiam*. 23. V.: *omneisque trullas h.*

Ju. Tun' me mentiri ais? Am. Mentire, inquam, meae corruptor familiae. i. t.
Ju. Ob istuc indignum dictum te obstricto collo hac arripiam.
Am. Vae misero mihi! Ju. At id praecavisse oportuit. Am. Blepharo, suppetias mihi!
Bl. Consimiles sunt adeo, ut, utri adsim, nesciam; rixam tamen, i. t.
Ut potis est, dirimam. Amphitruo, noli Amphitruonem perdere i. t.
Duello! Linque collum, precor! Ju. Hunc tu Amphitruonem dictitas?
Bl. Quidni? unus olim; nunc vero partus est geminus.
Dum tu vis esse, alter quoque esse forma non desinit.
Interea, quaeso, collum linque. Ju. Linquo; sed dic mihi, videturne tibi
Istic Amphitruo. Bl. Uterque quidem. Am. Proh summe Jupiter, ubi hodie
Mihi formam adimis? — Pergo quaerere. Tun' Amphitruo? Ju. Tu negas? t. t. c.
Am. Pernego, quando Thebis praeter me alter nemo Amphitruo est. t. t. c.
Ju. Imo praeter me nemo; atque adeo tu, Blepharo, judex sies. i. t.
Bl. Faciam id, si queo, signis palam. Prius tu responde. Am. Lubens i. t.
Bl. Antequam cum Taphiis a te pugna est inita, quid mihi t. t. c.
Mandasti? Am. Ut, parata navi, clavo haereres sedulo: t. t. c.
Ut, fugam si nostri facerent, tuto illuc me reciperem. t. t. c.
Ju. Item aliud, servaretur ut nummatum bene marsupium i. t.
Am. Quae pecuniae? Bl. Tace, sis, tu: meum est quaerere. Scisne tu t. t. c.
Numerum? Ju. Talenta quinquaginta Attica. i. s.
Bl. Hic rem examussim enarrat, et tu. Quot Philippei? Am. Duo millia. i. t.
Ju. Oboli vero totidem bis. Bl. Uterque rem tenet probe. t. t. c.
Intus in crumena clausum alterum esse oportuit. t. t. c.

28. V.: *Ut potest.* 38. V.: *pugna sit inita.* 42. V.: *Scisti numerum?* 43. *quinqu.* non liquescit.

Ju. Attende, sis. Hac dextera, ut nosti, regem mactavi Pterelam,
Spolia ademi, et pateram, qua ille solitust potare, in cistella t. t.
Pertuli; dono dedi meae uxori, quicum hodie domi t. t. c.
Lavi, sacrificavi, cubui. Am. Hei mihi! quid audio? Vix sum apud me: t. t.
Vigilans quippe dormio, vigilans somnio, vivos et sanus intereo.
Ego idem sum ille Amphitruo, Gorgophones nepos, i. s.
Imperator Thebanorum, et Creontis unicus, t. t. c.
Teleboarum perduellis qui, Acarnanes
Et Taphios vi vici et summa regem bellica virtute. t. t.
Illisce praefeci Cephalum, magni Deionei filium.
Ju. Ego item latrones hostis bello et virtute contudi. i. t.
Electryonem perdiderant, nostrae et germanos conjugis,
Achajam, Aetoliam, Phocidem; per freta Jonium et Aegaeum et Creticum
Vagati vi vortebant piratica.
Am. Di immortales, mihimet non credo: ita, quae facta illi, omnia t. t. c.
Examussim loquitur. Vide, Blepharo!
Bl. Unum superest; id si fuat, Amphitruones fitote gemini. t. t.
Ju. Quid dicas, novi: cicatricem in dextro musculo ex illoc volnere,
Quod mihi impegit Pterela. Bl. Eam quidem. Am. Apposite. Viden'? En, adspice!
Bl. Detegito: adspiciam. Ju. Detexi: vide. Bl. Supreme Jupiter, t. t. c.
Quid intueor? Utrique in musculo dextero, eodem in loco,
Signo eodem apparet probe, ut primum coivit cicatrix rufula, sublurida.
Rationes jacent; silet judicium; quid agam, nescio. t. t. c.

57. V.: *idem.* Malim *per virtutem.* 61. V.: *illic.* 65. sequ. V. verba *Viden'? En adspice!* Jovi tribuuntur, legiturque *Detegite* et *Deteximus*, quod quidem pariter deum dicere volunt, cum alter post alterum monstret cicatricem, Blepharoque, postquam vidit Amphitruonis, jam solum nimirum Jovem et suam aperire jubeat.

BLEPHARO. AMPHITRUO. JUPITER.

BL. Vos inter vos istaec partite! ego abeo: mihi negotium est. i. t. IV, 3.
Neque ego unquam usquam tanta mira me vidisse censeo. t. t. c.
AM. Blepharo, quaeso, ut advocatus mi adsis, neve abeas. BL. Vale.
Quid opust me advocato, qui, utri sim advocatus nescio?
JU. Intro ego hinc eo: Alcumena parturit. AM. Perii miser!
Quid ego, quid, ago, quem advocati jam atque amici deserunt?
Nunquam edepol me inultus istic ludificabit, quisquis est:
Nam jam ad regem recta ducam me, resque ut facta eloquar.
Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum,
Qui pervorse perturbavit familiae mentem meae!
Sed ubi ille est? intro edepol abiit, credo, ad uxorem meam.
Qui me Thebis alter vivit miserior? quid nunc agam,
Quem omnes mortales ignorant et ludificant, ut lubet?
Certum est: introrumpam in aedis! ubi quemque hominem adspexero,
Sive ancillam, sive servom, si uxorem, si adulterum,
Si patrem, si avom videbo: obtruncabo in aedibus.
Neque me Jupiter neque di omnes id prohibebunt, si volent,
Quin sic faciam, uti constitui. Pergam in aedis nunc jam.

BROMIA. AMPHITRUO.

BR. Spes atque opes vitae meae jacent sepultae in pectore, i. t. V, 1.

883. *istaec* Guelf. et edd. mediae. V. non legitur. 887. Ita Guelf. Helmst. Iunt. Ald. In vulgatis *ego* desideratur. 888. V.: *Quid ego? quem* etc. Sed vet. cod. Camerar. 4 Palatt., et aliquot edd. vett., in quibus primae 2 Venetae: *Quid ago?* Utroque perscripto versui manco succurrimus. Repetitur *quid* παθητικῶς. Cf. Terent. Eun. 453. etc. 890. V.: *facta est.* 896. Sic Basil. a. 1568. V.: *aedibus*, ut errare librarii circa extrema vocabulorum solent. Idem vitium correxi 900 et Aul. 508., neque sic ἀρχαΐζω cum Meursio et Popma. 897, 8. Ἀμέτρως libri: *sive uxorem, sive adulterum, — sive avom* etc. 900. Vid. not. ad 896

Neque ulla est confidentia jam in corde, quin amiserim:
Ita mihi videntur omnia, mare, terra, coelum, consequi:
Jam ut opprimar, ut enicer! Me miseram! quid agam, nescio:
Ita tanta mira in aedibus sunt facta. Vae miserae mihi!
Animo male est: aquam velim! Corrupta sum! absumta sum.
Caput dolet; neque audio, neque oculis prospicio satis;
Nec miserior me foemina est, neque ulla videatur magis:
Ita herae meae hodie contigit: nam ubi partuis deos sibi invocat:
Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus. Ut subito, ut propere, ut valide tonuit! as. t. d. i. d h.
Ubi quisque institerat: concidit. Ibi nescio quis maxuma i. t.
Voce exclamat: Alcumena, adest auxilium! ne time: t. t. c.
Et tibi et tuis propitius coeli cultor advenit!
Exsurgite, inquit, qui terrore meo occidistis prae metu! i. t.
Ut jacui, exsurgo. Ardere censui aedis: ita tum confulgebant. i. t. h.
Ibi me inclamat Alcumena. Jam ea res me horrore adficit: i. t. c.
Herilis praevortit metus: adcurro, ut sciscam, quid velit, i. t.
Ac geminos illam filios pueros peperisse conspicor;
Neque nostrum quisquam sensimus, quom peperit, neque praevidimus.
Sed quid hoc? quis hic est senex, qui ante aedis nostras sic jacet? t. t. c.
Numnam hunc percussit Jupiter? Credo edepol: nam, proh Jupiter! i. t.

902. Ita Guelf. et vett. edd. V.: *meo in corde.* 904. Extrema syllaba verbi *opprimar* cum vi r litterae, tum propter interpunctionem producenda est. Frustra lacunam nullam explere sategerunt. 906. V.: *atque abs. sum.* Sequor Guelferbytanum et Lang. *Sum* prius non eliditur propter interpunctionem. 909. Vulgati libri metro duriore: *ubi parturit, deos sibi invocat.* Guelf.: *parturis*, h. e. partuis, quod omnino aptissimum. 911. V.: *concidit crepitu.* Quid? crepitu tantum? Cur non et strepitu, sonitu, tonitru denique? Putidum glossema. 917. Ita Langg. et edd. principes. V., versu pentametro: — *metus: ocius accurro, ut sciscam, quid v.*

Sepultust, quasi sit mortuos. Ibo et cognoscam, quisquis est. —
Amphitruo hic quidem herus meust. i. d.
Amphitruo! Am. Perii! Br. Surge. Am. Interii! Br. Cedo manum. Am. Quis me tenet? i. t.
Br. Tua Bromia ancilla. Am. Totus timeo: ita me increpuit Jupiter;
Nec secus est, quam si ab Acherunte veniam. Se quid tu foras
Egressa es? Br. Eadem nos formido timidas terrore impulit.
In aedibus, ubi tu habitas, nimia mira vidi. Vae mihi,
Amphitruo: ita mihi animus etiam nunc abest. Am. Agedum, expedi:
Scin' me tuom esse herum Amphitruonem? Br. Scio. Am. Vide etiam nunc. Br. Scio.
Am. Haec sola sartam mentem gestat meorum familiarium.
Br. Imo omnes sani sunt profecto. Am. At me uxor insanum facit
Suis foedis factis. Br. At ego faciam, tu idem ut aliter praedices,
Amphitruo: piam et pudicam esse tuam uxorem ut scias. t. t. c.
De ea re signa atque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primum Alcumena geminos peperit filios. t. t. c.
Am. Ain' tu? geminos? Br. Geminos. Am. Di me servant. Br. Sine me dicere:
Ut scias, tibi tuaeque uxori deos esse omnis propitios.
Am. Loquere. Br. Postquam parturire hodie uxor occoepit tua,
Ubi utero exorti dolores, ut solent, puerperae:
Invocat deos immortalis, ut sibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto. Ibi continuo contonat
Sonitu maxumo. Aedis primo ruere rebamur tuas:
Aedes totae confulgebant tuae, quasi essent aureae.
Am. Quaeso, absolvito hinc me extemplo, quando satis deluseris.
Quid fit deinde? Br. Dum haec aguntur: interea uxorem tuam

930. *Vide*, quod est cavere jubentis, Helmstad. et vett. edd. V.: *viden'*. Cf. Capt. 511, 569 etc. 931. Sic Langg., Lamb. Nostri: *sarcam*, *saream*, quod eodem redit. MS. Camer.: *saccam*, Palatt.: *samnam*. V.: *sanam*. 934. Haud male Monac., non liquescente vocabulo *tuam: p. et pud. tuam esse ux. ut sc.* 940. Ita Guelf. Palatt. et. vett. edd. V.: *Ibi utero*.

Neque gementem neque plorantem nostrum quisquam audivimus:
Ita profecto sine dolore peperit. Am. Jam istuc gaudeo,
Ut erga me est merita. Br. Mitte istaec; haec, quae dicam, accipe.
Postquam peperit pueros: lavere jussit nos. Occoepimus.
Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnust! ut multum valet!
Neque eum quisquam conligare quivit in cunabulis.
Am. Nimia mira memoras! Si istaec vera sunt: divinitus
Non metuo meae quin uxori latae suppetiae sient.
Br. Mage jam faxa mira dices. Postquam in cunas conditust:
Devolant angues jubati deorsum in inpluvium duo
Maxumi continuo, extollunt ambo capita. Am. Hei mihi!
Br. Ne pave. Sed angues oculis omnis circumvisere;
Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi;
Ego cunas recessim rursum prorsum trahere et ducere,
Metuens pueris, mihi formidans, tantoque angues acrius
Persequi. Postquam conspexit anguis ille alter puer:
Citus exilit e cunis, recta facit in anguis inpetum, i. t.
Alterum altera adprehendit eos manu perniciter.
Am. Mira memoras! nimis formidolosum facinus praedicas:
Nam mihi horror membra miseto percipit dictis tuis.
Quid fit deinde porro? loquere. Br. Puer ambo anguis enicat.
Dum haec aguntur, voce clara exclamat uxorem tuam...
Am. Quis homo? Br. Summus imperator divom atque hominum, Jupiter.
Is se dixit cum Alcumena clam cubilibus consuetum, t. t.
Eumque filium suom esse; qui illos anguis vicerit; i. t.
Alterum tuom esse dixit puerum. Am. Pol me haud poenitet t. t. c.
Scilicet, boni dimidium mihi dividere cum Jove.
Abi domum: jube vasa pura actutum adornari mihi:
Ut Jovis supremi multis hostiis pacem expetam.

949. Libri et minus eleganter et ἀμέτρως: *atque haec*. 952. Male quidam; *incunabulis*. 959. *citi*. Guelf.: *erecti*. 960. Sic edd. mediae, recte probante Meursio. V.: *rursum vorsum*. 963. *exilit* postremam syllabam producit, figura nota. V.: *C. e cun. ex., fac. recta i. a. i.* 970. Libri versu pessumdato: *consuetum cub.* Jos. Scal. tentabat *cubitibus*. Cf. Terent. Heaut. 1, 2, 2.

Ego Tiresiam conjectorem advocabo et consulam,
Quid faciundum censet; simitu hanc rem, ut facta est, eloquar.
Sed quid hoc? quam valide tonuit! Di, obsecro vostram fidem!

JUPITER. AMPHITRUO.

Ju. Bono animo es: adsum auxilio, Amphitruo, tibi. i. s. V, 2
Nihil est, quod timeas: hariolos, haruspices
Mitte omnis: quae futura et quae facta, eloquar,
Multo adeo melius, quam illi: quom sim Jupiter.
Primum omnium Alcumenae usuram corporis
Cepi et concubitu gravidam feci filio;
Tu gravidam item fecisti quom in exercitum
Profectus: uno partu duos peperit simul.
Eorum alter, nostro qui est susceptus semine,
Suis factis te inmortali adficiet gloria.
Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi: haud promeruit, quamobrem vitio verteres:
Mea vi subacta est facere. Ego in coelum migro.
Am. Faciam ita, ut jubes, et te oro, promissa ut serves tua. t. t. c.
Ibo ad uxorem intro; missum facio Tiresiam senem.
Nunc, spectatores, Jovis summi causa clare plaudite.

977. *Censet* Guelf., per hellenismum. V.: *censeat; simul hanc* etc. *Simitu* jam a metro requirebatur, sed non elisum.
979. Libri versu septenario: *tibi et tuis* Glossema. Non liquescit *adsum*.

ASINARIA.

ARGUMENTUM.

Amanti argento filio auxiliarier i. s.
Sub imperio vivens volt senex uxorio:
Itaque relatum ob asinos pretium Saureae
Numerari jussit servolo Leonidae.
Ad amicam id fertur: cedit noctem filius.
Rivinus amens ob praereptam mulierem;
Is rem omnem uxori per parasitum nuntiat:
Adcurrit uxor ac virum ex lustris rapit.

Vers 4. Sic vere vett. Male legitur *Numerarier.*

DRAMATIS PERSONAE.

LIBANUS.
DEMAENETUS.
ARGYRIPPUS.
CLEAERETA.
LEONIDA.
PHILENIUM.
DIABOLUS.
PARASITUS.
ARTEMONA.
MERCATOR.
GREX.

PROLOGUS.

Hoc agite, sultis, spectatores, nunc iam; i. s.
Quae quidem mihi atque vobis res vortat bene,
Gregique et dominis atque conductoribus.
Face jam tu, praeco, omnem auritum poplum! —
Age, nunc reside! cave modo, ne gratiis. —
Nunc, quid processerim huc et mihi quid voluerim,
Dicam: ut sciretis nomen hujus fabulae.
Nam quod ad argumentum attinet, sane breve est.
Nunc, quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: Huiic nomen graece Onagost fabulae;
Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare;
Asinariam volt esse, si per vos licet.
Inest lepos ludusque in hac comoedia;
Ridicula res est: date benigne operam mihi:
Ut vos, item ut alias, pariter nunc Mars adjuvet.

Vers 3. V.: corruptis numeris: *Gregique huic.* 4. *Face* Guelf. Helmstad. Sed Monac.: *Ecce*, ut plurimi vetustiores, proclivi quidem lapsu propter E et F litterarum similitudinem. Dein legitur *jam nunc tu*, quae videtur esse correctio nescio cujus de metro perperam solliciti. Sequimur librum spectatae fidei Guelferbytanum. Verba *praeco* et *omnem* non eliduntur. 10. V.: *Huic*; quod servari fortasse potest, si *Dicam* non liquescere dicamus propter interpunctionem. Vid. not. ad Am. 285.

LIBANUS. DEMAENETUS.

Li. Sicut tuom vis unicum gnatum tuae I. s. I.
Superesse vitae sospitem et superstitem:
Ita te obtestor per senectutem tuam,
Perque illam, quam tu metuis, uxorem tuam:
Si quid med erga tu hodie falsum dixeris,
Ut tibi superstes uxor aetatem siet,
Atque illa viva vivos ut pestem oppetas.
De. Per deum fidem, ut tu quaeris, jurato mihi
Video necesse esse eloqui, quidquid roges:
Ita me obstinate adgressus, ut non audeam
Profecto percontanti quin promam omnia.
Proinde actutum, istuc quid sit, quod scire expetis,
Eloquere: ut ipse scibo, te faciam ut scias.
Li. Dic obsecro, hercle, serio, quod te rogem.
Cave mihi mendaci quidquam! De. Quin tu ergo rogas?
Li. Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?
De. Quid istuc est, aut ubi istuc terrarum loci?
Li. Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,
Ubi vivos homines mortui incursant boves.
De. Quid istuc sit, aut ubi sit, nequeo noscere.
Li. Ubi flent nequam homines, qui polentam pransitant.
De. Modo pol percepi, Libane, quid istuc sit loci:
Ubi fit polenta, te fortasse dicere. Li. At
Neque hercle ego istuc dico, neque dictum volo,
Teque obsecro hercle, ut, quae locutus, despuas!

Vers. 8. Vulgo: *P. d. fidium quaeris.* Guelf.: *fidem.* 17. Edd. vulgatae metro asperato sine mercede: *Q. i. est, a. u. est, ist. t. l.* Guelf. Helmst. et vett. edd.: *aut ubi ist. est.* Scires supposititiam esse copulam, quam librarii passim infersere. 17—21 V.:

— — *terrarum loci?*
Li. *Ubi flent nequam homines, qui polentam pransitant.*
De. *Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere,*
Ubi flent nequam homines etc.
Li. *Apud fustitud. ferr. insulas,*
Ubi vivos hom. m. i. b.
De. *Modo* etc.

Ordinavit secundum Sarracenum et versum *Ubi* etc. priore loco delevit Acidalius, quem vide Divinatt. pag. 59. Versu 20. alterum *istuc* expunxi, cum ad sententiam nihil conferat, dureque medio in versu corripienda sit verbi syllaba prior: nam primo id fieri, ut hoc ipso loco et 17., solenne est. *Ubi* longam i litteram habet, sicut passim, praesertim apud antiquiores. Turbant nonnihil etiam in sequentibus librarii, sed eos errores haud commemorabo, cum vulgo recte jam omnia se habeant. 24. *At* Langg. *hat*, quod idem significat. MS. Barth. et Palatt. 2.: *atat.* V.: *ah.*

De. Fiat; geratur mos tibi. Li. Age, age, usque exsorea!
De. Etiamne? Li. Age, quaeso hercle, usque!
De. Ex penitis faucibus?
Li. Etiam amplius. De. Nam quousque? Li. Usque ad mortem volo.
De. Cave, sis malam rem! Li. Uxoris dico, non tuam.
De. Dono te ob istuc dictum, ut expers sis metu.
Li. Di tibi dent, quaecunque optes! De. Redde operam mihi.
Cur hoc ego ex te quaeram, aut cur miniter tibi,
Propterea quod me non scientem feceris,
Aut cur postremo filio succenseam,
Patres ut faciunt ceteri? Li. Quid istuc novi est?
(Demiror, quid sit, et, quo evadat, sum in metu.)
De. Equidem scio jam, filius quod amet meus
Istanc meretricem e proxumo Philenium.
Esthe hoc, ut dico, Libane? Li. Rectam instas viam;
Ea res est. Sed eum morbus invasit gravis.
De. Quid morbi est? Li. Quia non suppetunt dictis data.
De. Tune es adjutor nunc amanti filio?
Li. Sum vero, et alter noster est Leonida.
De. Bene hercle facitis, et a me initis gratiam.
Verum meam uxorem, Libane, scis, qualis siet?
Li. Tu primus sentis; nos tamen in pretio sumus.
De. Fateor, eam esse inportunam atque incommodam.
Li. Posterius istuc dicis quam credo tibi.
De. Omnes parentes, Libane, liberis suis,
Qui mi auscultabant, facient obsequentiam:
Quippe qui mage amico utantur gnato et benevolo.
Atque ego me id facere studeo: volo amari a meis;
Volo me patris similem, qui causa mea
Nauclerio ipse ornatu per fallaciam,
Quam amabam, abduxit ab lenone mulierem,

27. *Age* accessit ex Guelf. Helmstad. et vett. nonnullis edd. V.: *Et.* Li. *Quaeso h. u. ex. p. f.* 28. V.: secundum edd. medias: De. *Etiam?* Li. *Amplius.* De. *Nam* etc. 36. hoc loco positus est in Guelf., quo loco eum collocari jusserunt Acid. et Gron., cum vulgo una cum sequente, perperam repetito, legatur post 68. 37. Vetus loquendi mos, neque vulgi tantummodo, ut persuadere cupit vir illustris. Cf. Curc. 191, et, quos laudamus ad eum locum in ed. nostra Plauti majore, Varr. de R. R. 1, 7, Cic. de Off. 1, 12, Suet. Tit. 8, ex recentioribus vero inprimis Sciopp. Susp. Lectt. 4, 9. 45. Libri versu impingente: *nescis*. Male repetita esse videtur *ne* Syllaba in *Libane*. 46. Ita vet. cod. Camerar. et Langiani. V.: *nos tamen praenoscimus.* 50. Ita Scal. et Grut. V.: *obsequelam.* 53. Sic Langg. V.: *Volo me pat. mei sim.*

Nec puduit eum id aetatis sycophantias
Struere, et beneficiis me emere gnatum suom sibi.
Eos me decretum est persequi mores patris.
Nam me hodie oravit Argyrippus filius,
Uti sibi amanti sibi facerem argenti copiam;
Et id ego percupio obsequi gnato meo:
Volo amori ejus obsecutum, volo amet me patrem.
Quamquam illum mater arcte contenteque habet,
Patres ut consueverunt: ego mitto omnia haec;
Praesertim quom is me dignum, quoi concrederet,
Habuit: me habere honorem ejus ingenio decet,
Quom me adiit, ut pudentem gnatum aequom est patrem:
Cupio esse amicae quod det argentum suae.
LI. Cupis id, quod cupere te nequidquam intellego:
Dotalem servom Saurean uxor tua
Adduxit, quoi plus in manu sit quam tibi.
DE. Argentum accepi: dote imperium vendidi.
Nunc verba in pauca conferam, quid te velim.
Viginti jam usust filio argenti minis:
Face id ut paratum jam sit. LI. Unde gentium?
DE. Me defraudato. LI. Maxumas nugas agis:
Nudo detrahere vestimenta me jubes.
Defrudem te ego? Age, sis, tu sine pennis vola!
Tene ego defrudem, quoi nihil est ipsi in manu,
Nisi quid tu porro uxorem defraudaveris?
DE. Qua me, qua uxorem, qua tu servom Sauream
Potes, circumduce! aufer! promitto tibi
Nunc obfirmaturum, hodie si id ecfeceris.
LI. Jubeas una opera me piscari in aëre,
Venari autem jaculod in medio mari.
DE. Tibi optionem sumito Leonidam.
Fabricare quidvis, quidvis comminiscere!
Perficitote, argentum hodie ut habeat filius,
Amicae quod det! LI. Quid ais tu, Demaenete?
[Quid, si forte in insidias devenero?]

57. Helmst. *benefactis.* 62. Libri versu pessumdato: *V. am. obs. illius, v. a. me p.* 70. Iidem simili vitio: *Sauream* Emendavit Douza Centur. 1, 5. 83. V.: *Non offuturum, si id hod. effeceris,* quod parum est pro senis affectu et voluntate erga filium. Guelf. dilucide: *offirmaturum. Non* et *nunc* misceri solent in libris. 85. Sic (nisi quod habent *jaculo*) nostri omnes, Palatt. 5, Junt. Ald. V.: *V. a. rete jaculo in m. m. Rete* istud glossema est. *Venari* non elidendum, figura frequentissima apud hunc nostrum. 89. Verba uncinis a me inclusa non leguntur in Guelf. Monac. Pall. 5. Helmst. autem in fine versus 89. haec tantum habet: *quid si insidias devenero.* Glossema.

Tun redimes me, si me hostes interceperint?
DE. Redimam. LI. Tum tu igitur aliquid cura, quod lubet.
DE. Ego eo ad forum, nisi quid vis. LI. Etiamne ambulas?
DE. Atque audi etiam. LI. Ecce. DE. Ubi eris, si quid
te volam?
LI. Ubiqunque lubitum fuverit animo meo.
Profecto nemo est, quem jam dehinc metuam, mihi
Ne quid nocere possiet, quom mihi tua
Oratione omnem animum ostendisti tuom;
Quin te quoque ipsum facio haud magni, si hoc patro.
Pergam quo occepi atque ibi consilia exordiar.
DE. Audin' tu? Apud Archibulum ero argentarium.
LI. Nempe in forum. DE. Ibi, si quid opus fuerit.
LI. Meminero.
DE. Non esse servos pejor hoc quisquam potest,
Nec mage versutus, nec quo ab caveas aegrius;
Eidem homini, si quid recte curatum velis,
Mandes; moriri sese misere mavolet,
Quam non perfectum reddat, quod promiserit.
Nam ego illuc argentum tam paratum filio
Scio esse, quam me hunc scipionem contui.
Sed quid ego cesso ire ad forum, quo inceperam?
Ibo atque ibi manebo apud argentarium.

ARGYRIPPUS.

Siccine hoc fit? foras aedibus me ejici? c. t. I, 2
Promerenti optume hoccin' preti redditur?
Bene merenti mala es, male merenti bona es!
At malo cum tuo: nam jam ex hoc loco
Ibo ego ad Trisviros, vostraque ibi nomina
Faxo erunt: capitis te perdam ego et filiam,
Perlecebrae, pernicies, adulescentum exitium! b. t.
Nam mare haud est mare; vos mare acerrumum: c. t.
Nam in mari reperi, hic elavi bonis.
Ingrata atque inrata esse omnia intellego,

90. Sic edd. aliquot vett. V.: *Tu.* 91. Ita Guelf. Alii quoque. *quod lubet.* V.: *Tum tu i. aliud c. quid lubet.* Certe scribendum erat uno verbo *quidlubet.* 93. Sic itidem Guelf.: nam vulgo legitur: *A. audin' et.?* Ceterum libri metro pessimo, vel potius nullo: *Si quid te vol., ubi eris?* 94. V.: *fuerit.* 98. V.: debilibus numeris: *possit.* 100. V.: *ego ero.* Guelf.: *hic ero.* Glossemata.

Quod dedi, et quod benefeci, d. h.
At posthac tibi male, quod potero, faciam, meritoque id tuo faciam! t. t.
Ego pol te redigam eodem, unde orta es, ad egestatis terminos! t. t. c.
Ego edepol te faciam, ut, quae sis nunc, et quae fueris, scias!
Quae priusquam istam adii atque amens animum ego meum isti dedi,
Sordido vitam oblectabas pane, in pannis, inopias;
Atque ea si erant, magnas habebas omnibus dis gratias: i. c.
Eadem nunc, quom est melius, me, quojus opera est, ignoras mala. t. t. t.
Reddam ego te ex fera fame mansuetem; me specta modo!
Nam isti quod suscenseam ipsi, nihil est; nil quidquam meret:
Tuo facit jussu, tuo imperio paret: mater tu, eadem hera es:
Te ego ulciscar! te ego, ut digna es, perdam, atque ut de me meres!
At, scelesta, viden', ut ne id quidem dignum me esse existumat,
Quem adeat, quem conloquatur, quoique irato supplicet?
Atque, eccam, inlecebra exit tandem, opinor, huc ante ostium.
Modo loquar meo, quae volam, quoniam intus non licitum est mihi. i. t.

CLEAERETA. ARGYRIPPUS.

CL. Unumquodque istorum verbum numis Philippeis aureis t. t. c. I, 3.

121, 2. V.:
Quae dedi, et quod benefeci: at posthac tibi.
Male quod potero facere, faciam, meritoque id faciam tuo.
Sed nemo ferat hujusmodi pedem creticum — *ci at post.* — Guelf.: *Quod dedi.* *Facere* est glossema. 125. Ita MS. Barth. (vid. Barthii Adverss. 5, 9.) et Guelf. V.: *amans.* 127. Tentavi olim *Atque aes si erat* (cf. 186. etc.), cum viliora putarem panem sordidum et pannos, quam pro quibus magnae diis omnibus gratiae haberentur. Sed fieri tamen potest, ut id ipsum Plautus voluerit. Itaque ἐπέχω. 135. V.: *hic.* 136. Codd. versu aegre extricabili. *Meo modo loquar.*

Non potest auferre hinc a me, si quis emtor venerit.
Nec recte in nos quae tu dicis, aurum atque argentum merum est.
Fixus hic apud nos animus tuos clavo est Cupidinis:
Remigio veloque, quantum poteris, festina et fuge:
Quam mage in altum te capessis, tam aestus te in portum refert.
Ar. Ego pol istum portitorem privabo portorio!
Ego te dehinc, ut merita es de me et mea re, tractare exsequar:
Quom tu med, ut meritus sum, non tractas, quae ejicias domo.
Cl. Magis istuc percipimus lingua dici, quam factis fore.
Ar. Solus solitudine ego ted atque ab egestate abstuli:
Solus si ductem, referre gratiam nunquam potes.
Cl. Solus ductato, si semper solus, quae poscam, dabis;
Semper tibi promissum habeto hac lege, dum superes datis.
Ar. Qui modus dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes:
Modo quom accepisti, haud multo post aliquid, quod poscas, paras.
Cl. Quid modi est ductando, amando? nunquamne expleri potes?
Modo remisisti: continuo jam, ut remittam ad te, rogas.
Ar. Dedi equidem, quod mecum egisti. **Cl.** Et tibi ego misi mulierem:
Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.
Ar. Male agis mecum. **Cl.** Quid me adcusas, si facio officium meum?
Nam neque fictum usquam, neque pictum, nec scriptum in poëmatis,
Lena ubi bene agat cum quiquam amante, quae frugi esse volt.
Ar. Mihi quidem te parcere aequom est tandem: ut tibi durem diu.
Cl. Non tu scis? quae amanti parcet, eadem sibi parcet parum.
Quasi piscis, itidem est amator lenae: nequam est, nisi recens.

143. *privabo.* Fort.: *Edepol ist. port. priv. ego port.* 145. Libri flaccidis numeris: *ejicis.* 149. Barthii liber, ipso probante Adverss. 8, 9.: *poscat.* 152. Sic edd. mediae, quas omnino omnes et ubique spernere inconsulti est. Vit. M. *quod accep.*

Is habet succum, is suavitatem; eum quovis pacto condias,
Vel patinarium, vel assum; vorses, quo pacto lubet.
Is dare volt; is, se aliquid posci: nam ibi de pleno promitur,
Neque ille scit, quid det, quid damni faciat; illi re studet: i. t.
Volt placere sese amicae, volt mihi, volt pedisequae,
Volt famulis, volt etiam ancillis; et quoque catulo meo
Subblanditur novos amator: se ut quom videat gaudeat.
Vera dico. Ad suom quemque hominem quaestum esse aequom est callidum.
Ar. Perdidici istaec esse vera damno cum magno meo.
Cl. Si ecastor nunc habeas, quod des, alia verba perhibeas;
Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare postulas.
Ar. Non meum est. Cl. Nec meum quidem edepol, ad te ut mittam gratiis.
Verum aetatis atque honoris gratia hoc fiet tui:
Quia nobis lucro fuisti potius quam decori tibi,
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem honoris causa gratiis dono, dabo.
Ar. Quid, si non est? Cl. Tibi non esse credam; illa alio ibit tamen.
Ar. Ubi illaec, quae dedi ante? Cl. Abusa: nam si ea durarent mihi, i. t.
Mulier mitteretur ad te; nunquam quidquam poscerem.
Diem, aquam, solem, lunam, noctem, haec argento non emo;
Cetera, quaeque volumus uti, Graeca mercamur fide.
Quom a pistore panem petimus, vinum ex oenopolio:
Si aes habent, dant mercem. Eadem nos disciplina utimur:
Semper oculatae manus sunt nostrae: credunt, quod vident.
Vetus est „Nihili cocio est;" scis, quojus: non dico amplius.
Ar. Aliam nunc orationem despoliato praedicas,

165. *ibi* MS. Barth. Adv. 8, 9. Helmst.: *tibi*. V.: *ubi*. 167. Tertium *volt* forte omissum est in ed. Ernest. 172. Codd. bene multi: *prohibeas*, unde Barthio legendum videbatur *praehibeas*, non male. Cf. 189, Rud. 56. 186. Sic liber Camer. Editi jugulato versu: *nostrae sunt manus*. Guelf.: *sunt man. nostrae*. 188, 9. V.: *A. n, mihi or. d. pr.*, *Longe aliam, inqu., praebes nunc* etc. Posteriore versu *mihi* inserebat etiam F. V. Reiz.

Longe aliam mihi, inquam, praehibes nunc atque olim, quom dabam,
Aliam atque olim, quom inliciebas me ad te blande ac benedice:
Tum mihi aedesque adridebant, quom ad te veniebam, tuae;
Me unice unum ex omnibus te atque illam amare, aibas mihi;
Ubi quid dederam, quasi columbae pulli in ore ambae meo
Usque eratis; meo de studio studia erant vostra omnia;
Usque adhaerebatis; ego quod jusseram, quod volueram,
Faciebatis; quod nolueram aut vetueram, de industria
Fugiebatis, neque conari id facere audebatis prius.
Nunc neque quid velim, neque nolim, facitis magni, pessumae.
Cl. Non tu scis? hic noster quaestus aucupi simillumust.
Auceps quando concinnavit aream, obfundit cibum:
Adsuescit avis. Necesse est facere sumtum, qui quaerit lucrum. i. t.
Saepe edunt; semel si captae sunt, rem solvunt aucupi. t. t. c.
Itidem hic apud nos: aedis nobis area est; auceps sum ego;
Esca est meretrix; lectus inlex est; amatores aves:
Bene salutando consuescunt, conpellando blanditer,
Auscultando, oratione vinnula, venustula.
Si papillam pertractabit, haud id est ab re aucupis;
Savium si sumsit, sumere eum licet sine retibus.
Haeccine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tam diu?
Ar. Tua ista culpa est, quae discipulum semidoctum abs te amoves. i. t.
Cl. Remeato audacter, mercedem si eris nactus; nunc abi. t. t. c.
Ar. Mane, mane! audi! dic: quid me aequom censes pro illa tibi dare,
Annum hunc ne cum quiquam alio sit? Cl. Tene? viginti minas,
Atque ea lege: si alius ad me prius attulerit, tu vale.

191. V.: *T. m. aedes quoque arr.* 196. *nolueram* Helmst.; Monac.: *aut.* V.: *nolebam ac.* 201. *Adsuescit*, assuefacit. Sic MS. Barth. Libri ἀμέτρως:

Aves assuescunt. Necesse est fac. 5., *q. q. l.*

204. *inlex* vet. cod. Camer. Alii libri *illex*, *ilex.* V.: *illix.* Cf. Bentl. ad Terent. Heaut. 2, 3, 111. 207. Sic nostri codd. Langg. et edd. vett. V.: *pertractavit.* 207. *id* forte excidit in ed. Ernest.

AR. At ego est etiam, priusquam abis, quod volo loqui. CL. Dic, quod lubet.
AR. Non omnino jam perii; est reliquom, quo peream magis:
Habeo, unde istuc tibi, quod poscis, dem; sed in leges meas
Dabo, uti scire possis: perpetuom annum hunc mihi uti serviat,
Nec quemquam interea alium admittat prorsus quam me ad se virum.
CL. Quin, si tu voles, domi servi qui sunt, castrabo viros.
Postremo, ut voles nos esse, syngrapham facito adferas;
Ut voles, ut tibi lubebit: nobis legem inponito:
Modo tecum una argentum adferto; facile patiar cetera.
Portuum simillumae sunt januae lenoniae:
Si adfers, tum patent; si non est, quod des, aedes non patent.
AR. Interii, si non invenio illas viginti minas;
Et profecto, nisi ego perdo argentum, pereundum est mihi!
Nunc pergam ad forum atque experiar opibus, omni copia:
Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum videro;
Dignos, indignos, adire certum mi est atque experiri: t. t.
Nam si mutuas non potero, certum est, sumam foenore. t. t. c.

L I B A N U S.

Hercle vero, Libane, nunc te meliust expergiscier! t. t. c. II, 1
Jam diu factum est, quom discesti ab hero atque abiisti ad forum:
Igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam;
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitasti in otio.

224. Libri sententia inepta et migrata lege metrica: *Portitorum*. 226. Ita Guelf. V.: *inv. ego*. *Invenio* non est elidendum. 227. V.: *Et pr. nisi illud p. arg.* Langg.: *nisi ego ill. p.* 231. *mutuas*, pecunias. Non.: *mutuo*, probante Guil. Quaest. in As. c. 4. 232. Hunc versum inter et sequentem vulgo haec leguntur ἄμετρα et sublecta haud dubie in proximis:

Atque argento comparando fingere fallaciam.

Quod Pareus dedit *fingere te fall.*, laterem lavat.

Quin tu abs te socordiam omnem reicis, segnitiem amoves,
Atque ad ingenium vetus vorsutum te recipis tuom?
Serva herum! cave idem tu faxis, alii quod servi solent,
Qui ad heri fraudationem callidum ingenium gerunt! —
Unde sumam? quem intervortam? quo hanc celocem conferam?
Inpetritum, inauguratum est; quovis admittunt aves;
Picus et cornix ab laeva est, corvos porro ab dextera.
Consuadent. Certum hercle est vostram consequi sententiam. i. t.
Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? Non temerarium est. t. t. c
Certe hercle, ego quantum ex augurio auspicid intellego,
Aut mihi in mundo sunt virgae, aut atriensi Saureae.
Sed quid illuc, quod exanimatus currit hic Leonida?
Metuo, quod illic obscaecavit falsae meae fallacie. i. t.

LEONIDA. LIBANUS.

Le. Ubi ego nunc Libanum requiram aut familiarem filium, t. t. c. II, 2
Ut ego illos lubentiores faciam, quam Lubentia est?
Maxumam praedam et triumphum eis adfero adventu meo!
Quando mecum pariter potant, pariter scortari solent:
Hanc quidem, quam nactus, praedam, pariter cum illis partiam.
Li. Illic homo aedis conpilavit, more si fecit suo.
Vae illi, qui tam indiligenter observavit januam!
Le. Aetatem ego velim servire, Libanum ut conveniam modo!
Li. Mea quidem hercle liber opera nunquam fies ocius.
Le. Etiam de tergo ducentas plagas praegnantis dabo.
Li. Largitur peculium: omnem in tergo thesaurum gerit.
Li. Nam si se huic occasioni tempus subterduxerit:
Nunquam edepol quadrigis albis indipiscet postea;

236. Ita Lamb., ut scribendum esse ex sequente versu intelligitur. V.: *reice*, *amove*. 242. *porro*. MS. Camer. a m. 2.: *parra*, vel *parrha* (ulula flammeata Conr. Gesneri, strix flammea Linn. Schleiercule, quae avis inauspicata: vid. Vanderburg. ad Horat. Od. 3, 27, 1.) 243. *cert.* non liquescit. 245. *augurio*, omine. Vid. Clav. Cic. h. v. 247. Fort.: *huc*.

Herum in obsidione linquet, inimicum animos auxerit.
Sed si mecum occasionem opprimere hanc, quae obvenit, studet:
Maxumas opimitates gaudio ecfertissumas
Suis heris ille una mecum pariet, gnatoque et patri:
Adeo ut aetatem ambo ambobus nobis sint obnoxii,
Nostro devincti beneficio. Li. Vinctos nescio quos ait.
Non placet: metuo, in commune ne quam fraudem frausus sit.
Le. Perii ego oppido, nisi Libanum invenio jam, ubiubi est gentium!
Li. Illic homo socium ad malam rem quaerit quem adjungat sibi.
Non placet; pro monstro exemplum est, quando, qui sudat, tremit.
Le. Sed quid ego hic, properans, concesso pedibus, lingua largior?
Quin ego hanc jubeo tacere, quae lóquens lacerat diem?
Li. Edepol hominem infelicem, qui patronam conprimat!
Nam si quid sceleste fecit, lingua pro illo pejerat.
Le. Adproperabo: ne post tempus praedae praesidium parem.
Li. Quae illaec praeda est? Ibo advorsum atque electabo, quidquid est.
Jubeo te salvere voce summa, quoad vires valent.
Le. Gymnasium flagri, salveto. Li. Quid agis, custos carceris?
Le. O catenarum colone! Li. Virgarum o lascivia!
Le. Quot te pondo esse censes nudum? Li. Non edepol scio.
Le. Scibam ego, te nescire; at pol ego, qui ted expendi, scio:
Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.
Li. Quo argumento istuc? Le. Ego dicam, quo argumento et quo modo:
Ad pedes quando adligatum est aequom centupondium
Ubi manus manicae conplexae sunt atque adductae ad trabem:
Nec dependis, nec propendis, quin — malus nequamque sis.

262. Cave elidas vocabulum *Herum*. Nisi quis legere malit secundum MS. Barth., qui liber habebat *H. in obs. linquet postea in. a. a.*:

Herum in obsidione linquet, post inimicorum (idem liber *inimicos*) *animos auxerit.* i. t.

268. V.: *siet.* 271. Ita Langg. Alii quidam libri: *exemplo.* V.: *extemplo.* 274. *hominem* non magis liquescit quam *pondo* 281. 285. Vett.: *alligatus es* (Camerarii: *est*), manifesto vitio, quod miror foveri in ed. Ernest.

Li. Vae tibi! Le. Hoc testamento Servitus legat tibi.
Li. Verbivelitationem fieri compendi volo.
Quid istuc est negoti? Le. Certum est credere? Li. Audacter licet. i. t.
Le. Sis amanti subvenire familiari filio: t. t. c.
Tantum adest boni inproviso, verum conmistum malo,
Omnes de nobis carnuficum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audacia usust nobis inventa et dolis:
Tantum facinus modo ego inveni, ut nos dicamur duo
Omnium dignissumi esse, quo cruciatus confluant.
Li. Ergo mirabar, quod dudum scapulae gestibant mihi,
Hariolari quae occoeperunt, esse sibi in mundo malum.
Quidquid est, eloquere. Le. Magna est praeda cum magno malo.
Li. Si quidem omnes conjurati cruciamenta conferant:
Habeo, opinor, familiarem tergum, ne quaeram foris.
Le. Si istanc animi firmitudinem obtines, salvi sumus!
Li. Quin, si tergo res solvenda est, rapere cupio publicum:
Pernegabo ac perdurabo, perjurabo denique.
Le. Hem, ista virtus est, quando usust, qui malum fert fortiter!
Fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum.
Li. Quin actutum rem edissertas? Cupio malum nanciscier. as. t. d. i. d.
Le. Placide ergo unumquidquid erogita: ut adquiescam: non vides,
Me ex cursura anhelitum etiam ducere? Li. Age age, mansero t. t. c.
Tuo arbitratu, vel adeo usque dum peris. Le. Ubinam est herus? i. t.
Li. Major apud forum est, minor hic est intus. Le. Jam satis est mihi. t. t. c.
Li. Tum igitur tu es dives factus? Le. Mitte ridicularia.
Li. Mitto: istuc, quod adfers, aures exspectant meae. i. s.
Le. Animum advorte: ut aeque mecum haec scias.
Li. Taceo. t. t. c.
Le. Beas.
Meministin', asinos Arcadicos mercatori vendere
Pellaeo atriensem nostrum? Li. Memini. Quid tum postea?

289. *Verbiv.*, λογομαχίαν. Ita Meurs. V.: *Verbis velitationem.* 295. V.: *modo inv. ego.* Guelf.: *T. F. nunc inv. ego.* 304. Ita Guelf. lepida allitteratione. V.: *atque obdurabo.* 307. V.: *Q. rem act. edisscris?* Langg.: *edisseras.* Correxit Guil. Cf. Non. 308. V.: *unumquidque derogita.* Langg.: *erogita.* Cf. Capt. 879.

Le. Hem ergo is argentum huc remisit, quod daretur Saureae
Pro asinis. Adulescens venit modo, qui id argentum attulit.
Li. Ubi is homo est? Le. Jam devorandum censes, si conspexeris?
Li. Ita enimvero, sed temetum. Nempe eos asinos praedicas
Vetulos, claudos, quibus attritae ad femina jam erant ungulae?
Le. Ipsos, qui tibi subvectabant rure huc virgas ulmeas.
Li. Teneo: atque iidem te hinc vexerunt vinctum rus. Le. Memoras probe.
Verum, in tonstrina ut sedebam, me infit percontarier,
Ecquem filium Stratonis noverim Demaenetum.
Dico me novisse extemplo, et me ejus servom praedico
Esse, et aedis demonstravi nostras. Li. Quid tum postea?
Le. Ait, se ob asinos ferre argentum atriensi Saureae.
Viginti mnas; sed sese eum non novisse hominem, qui siet; i. t.
Ipsum vero se novisse callide Demaenetum. t. t. c.
Quoniam ille elocutus haec sic . . . Li. Quid tum? Le. Ausculta ergo: scies.
Extempulo facio facetum me atque magnificum virum; i. t.
Dico, med esse atriensem. Sic hoc respondit mihi: t. t. c.
Ego pol Sauream non novi, nec, qua facie sit, scio:
Te non aequom est suscensere. Sis herum Demaenetum,
Quem ego novi, adduce: argentum non morabor quin feras.
Ego me dixeram adducturum et me domi praesto fore;
Ille in balineas iturust; inde huc veniet postea.
Quid nunc consili captandum censes? dic. Li. Hem, istuc ago,
Quomodo argento intervortam et advectorem et Sauream.
Jam hoc opus est exasciato: nam si ille argentum prius
Hospes huc adfert, continuo nos ambo exclusi sumus.
Nam me hodie senex seduxit solum seorsum ab aedibus,
Mihi tibique interminatus nos futuros ulmeos,

320. Inepte libri: *sed tamen tu nempe* etc. Cf. 601. etc. 323. Ita Helmst. et Langg. V.: *Memor es pr.* 328. *arg.* non liquescit. 329. Sic Argent. a. 1514. V.: *minas.* 332. V.: *Extemplo.* 335. V.: *si herum vis Dem.* 340. Ita Pall. MS. Barth. et nostri. V.: *adventorem.* 341. Sic legendum vidit Acid., vel *exasciandum* V.: *exasciatum.*

Ni hodie Argyrippo viginti essent argenti minae;
Jussit vel nos atriensem, vel nos uxorem suam.
Defraudare; sese dixit operam promiscam dare.
Nunc tu, abi ad forum ad herum et narra, haec ut nos acturi sumus:
Te ex Leonida futurum esse atriensem Sauream,
Dum argentum adferat mercator pro asinis. **Le.** Faciam, ut jubes.
Li. Ego illum interea hic oblectabo, prius si forte advenerit. i. t.
Le. Quid ais? **Li.** Quid vis? **Le.** Pugno malam si tibi percussero, t. t. c.
Mox quom Saurean imitabor, caveto ne suscenseas. as. t. d. i. d.
Li. Hercle vero tu cavebis, ne me attigas! Si me tagis;
Nae hodie malo cum auspicio nomen commutaveris! t. t. c.
Le. Quaeso aequo animo patitor. **Li.** Patitor tu item, quom ego te referiam.
Le. Dico, ut usus fieri. **Li.** Dico hercle ego quoque, ut facturus sum.
Le. Ne nega. **Li.** Quin promitto, inquam, hostire contra, ut merueris.
Le. Ego abeo; tu, jam scio, patiere. Sed quis hic est? Is est!
Ille est ipsus! Jam ego recurro huc: tu hunc hic interea tene:
Volo seni narrare. **Li.** Quin tuom officium facis ergo ac fugis?

MERCATOR. LIBANUS.

Mer. Ut demonstratae sunt mihi, hasce aedis esse oportet, i. t. c. II, 3
Demaenetus ubi dicitur habitare. I, puere, pulta,

347. *promiscam* Palmer. Spicil. p. 690., h. e. indiscriminatim, sive atriensem sive uxorem defraudare instituerint. V.: *promissam*, quod ad 61. seqq. refertur. Sic et Guil. 353. Libri versu hiante: *Sauream*. Vid. not. ad Amph. 697. 354. Plurimi codd.: *ne me attingas si me sapis, vel si sapis*. Pal. 5. Junt. Ald.: *ne me attingas, si sapis*. Sed Taubm.: „Ita,“ inquit, „Grut. ductu MSS. Pal. et vet. cod. (Camerar.) et ed. Pii restituit.“ Neque aliter Helmstad.; eamque scripturam metrum loci jam repertum comprobat.

Atque atriensem Sauream, si est intus, evocato huc.
Li. Quis nostras sic frangit foris? Ohe, inquam, si quid audis!
Mer. Nemo etiam tetigit: sanun' es? Li. At censebam attigisse
Propterea, huc quod habebas iter: nolo ego fores, conservas
Meas, a te verberarier: sane ego sum amicus nostris.
Mer. Pol haud periclum est, cardines ne foribus ecfringantur,
Si istoc exemplo tu omnibus, qui quaerunt, respondebis.
Li. Ita haec morata est janua: extemplo janitorem
Clamat procul si quem videt ire ad se calcitronem.
Sed quid venis? quid quaeritas? Mer. Demaenetum volebam.
Li. Si sit domi, dicam tibi. Mer. Quid? ejus atriensis?
Li. Nihilo mage intus est. Mer. Ubi est? Li. Ad tonsorem ire dixit.
Mer. Quom ivisset, post non rediit? Li. Non edepol. quid volebas?
Mer. Argenti viginti minas, si adesset, accepisset.
Li. Qui pro istuc? Mer. Asinos vendidit Pellaeo mercatori
Mercatu. Li. Scio. Tu id nunc refers? Jam hic credo eum adfuturum.
Mer. Qua facie voster Saurea est? si is est, jam scire potero.
Li. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus,
Truculentis oculis, commoda statura, tristi fronte.
Mer. Non potuit pictor rectius describere ejus formam.
Li. Atque hercle ipsum adeo contuor; quassanti capite incedit.
Quisque obviam huic occesserit irato, vapulabit.
Mer. Si quidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus cedit:
Si med iratus tetigerit, iratus vapulabit.

368. Quod vulgo post *nostris* legitur, *aedibus* cum a sententia, tum a metro hujus loci abhorrere sensit Guil. Quaest. in Asin. c. 6. Male autem *meas* antecedenti versui adjungitur; quod vitium animadvertit Acid. 370. Ita Guelf. et Palatt. V.: *extemplo*. 376. Sic Pal. 4. inter lineas et edd. mediae. V.: *Q. venisset*. 385. Sic libri plurimi. V.: *Q. o. huic hic occ.* 386. Quod habetur in codd., *incedit* glossema est, idque *ἄμετρον*.

LEONIDA. MERCATOR. LIBANUS.

Le. Quid hoc sit negoti, neminem meum dictum magni facere? i. t. c. II, 4.
Libanum in tonstrinam ut jusseram venire, is nullus venit.
Nae ille edepol tergo et cruribus consuluit haud decore!
Mer. Nimis imperiosust. Li. Vae mihi hodie! Le. Salvere jussi
Libanum libertum! jam manu emissus? Li. Obsecro te.
Le. Nae tu hercle cum magno malo mihi obviam obcessisti!
Cur non venisti, ut jusseram, in tonstrinam? Li. Hic me moratust.
Le. Si quidem hercle nunc summum Jovem te dicas detinuisse,
Atque is precator adsiet: malam rem ecfugies nunquam.
Tu verbero, imperium meum contemsisti? Li. Hospes perii!
Mer. Quaeso hercle, noli, Saurea, mea causa hunc verberare!
Le. Utinam nunc stimulus in manu mihi sit... Mer. Qiesce, quaeso.
Le. Qui latera conteram tua, quae obcalluere plagis! —
Abscede ac sine me hunc perdere, qui semper me ira incendit,
Quoi nunquam rem me unam licet semel praecipere furi,
Quin centies eadem imperem atque obganniam; itaque jam hercle
Clamore ac stomacho non queo labori suppeditare.
Jussin', sceleste, ab janua hoc stercus hinc auferri?
Jussin' columnis dejici operas aranearum?
Jussin' in splendorem dari bullas has foribus nostris?
Nihil est: tamquam si claudus sim, cum fusti est ambulandum!
Quia triduom hoc unum modo foro dedi operam adsiduam,
Dum reperiam, qui quaeritet argentum in foenus: hic vos
Dormitis interea domi, atque herus in hara, haud aede, habitat!
Hem ergo hoc tibi! Li. Hospes, te obsecro, defende! Mer. Saurea, oro,
Mea causa ut mittas. Le. Eho, ecquis pro vectura olivi
Rem solvit? Li. Solvit. Le. Quoi datum est? Li. Sticho vicario ipsi
Tuo.

411. *aede.* V.: *aedibus*, sed claudicante versu. 414. Omnino male libri: *Resolvit?* Li. *resolvit.*

Le. Vah, delenire adparas! Scio, mihi vicarium esse,
Neque esse servom in aedibus, qui pluris sit, quam de ille est.
Sed vina, quae heri vendidi vinario Exaerambo,
Jam pro his satisfecit Sticho? Li. Fecisse satis opinor:
Nam vidi hunc ipsum abducere et trapezitam Exaerambum.
Le. Sic dedero. Prius quae credidi, vix anno post exegi;
Nunc satagit: abducit domum etiam ultro et scribit numos.
Dromo mercedem retulit? Li. Dimidio minus, opinor.
Le. Quid reliquom? Li. Aibat reddere quom extemplo redditum esset:
Nam retineri, ut, quod sit sibi operis locatum, ecficeret.
Le. Scyphos, quos utendos dedi Philodamo, retulitne?
Li. Non etiam. Le. Hem, non? Si velis, da, commoda, homini amico!
Mer. Perii hercle, jam hic me abegerit suo odio! Li. Heus jam! satis tu
Audin', quae loquitur? Le. Audio et quiesco. Mer. Tandem opinor,
Conticuit: nunc adeam optumum est, priusquam incipit tinnire.
Quam mox mi operam das? Le. Hem optume, quamdudum tu advenisti?
Non hercle te provideram. Quaeso, ne vitio vortas:
Ita iracundia obstitit oculis. Mer. Non mirum factum est.
Sed, si domi est, Demaenetum volebam. Le. Negat esse intus;
Verum istuc argentum tamen mihi si vis denumerare:
Repromittam, istoc nomine solutam rem futuram.
Mer. Sic potius, ut Demaeneto tibi praesente reddam.
Li. Herus istunc novit, atque herum hic. Mer. Hero huic praesente reddam.
Li. Da modo meo periculo: rem salvam ego exhibebo:
Nam si sciat noster senex, fidem non esse huic habitam:
Suscenseat, quoi omnium rerum ipsus semper credit.
Le. Non magni pendo, ne duit! si non volt, sic sine adstet.
Li. Da, inquam! Vah, formido miser, ne hic me tibi arbitretur

416. V.: *N. eo esse in aed. heri, qui sit pluris quam ille sit.* MSS. Barth. et Monac., item edd. vett., voculam *eo* non agnoscunt. 419. V.: *N. v. huc i. adducere trap. Ex.* Guelf. et Monac.: *hunc*, Stichum, ut legi jussit Acid. Vet. Camerar.: *add. et trap. Ipsum* pertinet ad *Exaer.* Cf. 421. 426. *non?* Scripti a nobis collati et edd. nonnullae vett.: *nunc.* Utrumque fortasse verum est legendumque: *Hem, non? Nunc, si* etc. 427. 8. *Heus — quiesco.* Haec servi inter se submissa voce. 430. V.: *Ehem.*

Suasisse, sibi ne crederes. Da, quaeso, ac ne formida!
Salvom hercle erit. MER. Credam fore, dum quidem in manu ipse habebo.
Peregrinus ego sum; Sauream non novi. LI. At nosce sane!
MER. Sit, non sit, non edepol scio; si is est, eum esse oportet:
Ego certe me incerto scio hoc daturum nemini homini.
LE. Hercle istum di omnes perduint! — Verbo cave supplicassis!
MER. Ferox est: viginti minas meas tractare sese!
LE. Nemo accipit: aufer te domum! abscede hinc! molestus ne sis!
MER. Nimis iracunde! Non decet superbum esse hominem servom.
LE. Malo hercle jam magno tuo, ni isti nec recte dicis!
LI. Inpure, nihili, non vides irasci? LE. Perge porro!
LI. Flagitium hominis, da, obsecro, argentum huic: ne male loquatur!
MER. Malum hercle vobis quaeritis. LE. Crura hercle defringentur,
Ni istum inpudicum percies! LI. Perii hercle! — Age, inpudice!
LE. Sceleste! LI. Non audes mihi sceleste, subvenire?
LE. Pergin' precari pessumo? MER. Quae res? tun' libero homini
Male, servos, loquere? LE. Vapula! MER. Id tibi quidem hercle fiet,
Ut vapules, Demaenetum simulac conspexero hodie!
In jus voco te. LE. Non eo. MER. Non is? — Memento. LI. Memini.
MER. Dabitur pol supplicium mihi de tergo vostro! LE. Vae te!
Tibi quidem de nobis, carnufex, detur supplicium? MER. Atque etiam?
Pro dictis vostris maledicis poenae pendentur mi hodie!

444. Sic vet. cod. Camerar. a. m. 1. Pal. 3. et Guelf., quod praeferebant Acid. et Reiz. V.: *habeo.* 452. Haec non Libano, sicut vulgo, sed Leonidae tribuenda esse vidit Guil. Quaest. in As. c. 2. 457. V.: — *impudice, Sceleste, n. a. m. sceleste s.?* Helmst. et vett. cdd. *sceleste* utroque loco. Prius *Sceleste* Libano Leonida insusurrat, ut is in mercatorem jaciat. 459. Ita Guelf. et Helmst. V.: *quidem tibi.* 461 Male cdd.: *Vae, te.* 462. V.: *atque et jam Pro* etc., quasi una haec esset oratio. *Atque etiam?* Atque etiamnum mihi maledicis, carnificem me appellans? 464. Ita Langg. Conf. Terent. Andr. prol. 7. V.: *maledictis.*

Le. Quid, verbero? Mer. Ain' tu? Le. Furcifer, nesmet fugitare censes?
I nunc iam ad herum! Mer. Quin vocas jamdudum? Le. Quin volebam
Nunc demum! Mer. Tam nunquam hinc feres argenti numum, nisi me
Dare jusserit Demaenetus. Le. Ita facito: age, ambula ergo.
Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?
Tam ego homo sum, quam tu. Mer. Scilicet ita res est. Le. Sequere hac ergo.
Praefiscini hoc nunc dixerim: nemo etiam me adcusavit
Merito meo, neque me alter est Athenis hodie quisquam,
Cui credi recte aeque putent. Mer. Fortasse; sed tamen me
Nunquam hodie induces, ut tibi credam hoc argentum ignoto.
Lupus est homo homini, non homo, quom, qualis sit, non novit.
Le. Jam nunc secundas mihi facis? Scibam, huic te capitulo hodie
Facturum satis pro injuria. Quamquam ego sum sordidatus,
Frugi tamen sum; non potest peculium enumerari.
Mer. Fortasse. Le. Etiam nunc Periphanes Rhodo mercator dives
Absente hero solus mihi talentum argenti soli
Numeravit et mihi credidit, neque est deceptus in eo.
Mer. Fortasse! Le. Atque etiam tu quoque, si me esses percontatus
Ex aliis: scio pol, crederes nunc, quod fers. Mer. Haud negassim.

465. V., in ordinem recepto glossemate: *herum nosmet f. c.?* 466, 7. V.: *herum, quo vocas jamb., quo volebas.* Mer. *Nunc demum? tamen nunquam* etc. Guelf.: *quin vocas?* 473. *Fortasse* dedi, ut eodem verbo hic homo utatur, et 497. 479: nam libri hoc quidem loco: *Fortassis*, vitio, nisi fallor, scripturae continuae (*fortassesedtamen*, *fortassisedtamen*, *fortassissedtamen.*) Ceterum edd. *me tamen*; sed scripti *tamen me*, ut legendum est metri gratia. 476. *Secundas* (partes) Lips. Palmer. Acid. V.: *secunda.* 478. Sic Helmstad. V. *nec potest.* 479. V. perversis numeris: *etiam nunc dico: Periphanes* etc. 481. V.: *Adnumeravit*, item corruptis numeris, nisi praepositio ad antecedentem versum referatur, quod nolim. Addendum esse *est* (nam vulgo desideratur), vidit Reiz. 482. Ita Guelf. Helmstad. V.: *tu q. ipse, si esses perc. Me ex aliis. Ipse* adscriptum a glossatore.

CLEAERETA. PHILENIUM.

Cl. Nequeon' ego ted interdictis facere mansuetam meis? t. t. c. III, 1
An ita tu es animata, ut quae expers matris imperiis sies?
Phi. Ubi piem Pietatem, si istoc more moratam tibi
Postulem placere, mater, mihi quo pacto praecipis?
Cl. An decorum est advorsari meis te praeceptis, Phi. Quid est?
Cl. Hoccine est pietatem colere, matris imperium minuere? t. t.
Phi. Neque, quae recte faciunt, culpo; neque, quae delinquont, amo. t. t. c.
Cl. Satis dicacula es amatrix. Phi. Mater, is quaestust mihi:
Lingua poscit, corpus quaerit, animus hortat, res monet.
Cl. Ego te volui castigare: tu mi adcusatrix ades.
Phi. Neque edepol te adcuso, neque me id facere fas existumo;
Verum ego meas queror fortunas, quom illo, quem amo, prohibeor.
Cl. Ergo una pars orationis de die dabitur mihi? i. t.
Et meam partem loquendi et tuam trado tibi?
Ad loquendum atque ad tacendum tute habeas portisculum?
Phi. Quin pol si reposivi remum sola ego in casteria:
Ubi quiesco, familiae omnis causa consistit tibi.
Cl. Quid ais tu, quam ego unam vidi mulierem audacissumam?
Quotiens te vetui Argyrippum, filium Demaeneti,
Conpellare aut contrectare, conloquive aut contui?
Quid dedit? quid deportari jussit ad nos? an tibi tu t. t.
Verba blanda esse aurum rere? dicta docta pro datis? t. t. c.
Ultro amas, ultro expetessis, ultro ad te arcessi jubes.
Illos, qui dant, eos derides; qui deludunt, deperis.
An te id expectare oportet, si quis promittat tibi,
Te facturum divitem, si mater moriatur sua?
Ecastor periclum magnum familiae portenditur,
Dum ejus expectamus mortem, ne nos moriamur fame.
Nunc adeo nisi mi huc argenti adfert viginti minas:

485. Ita Jo. Brant. V. *imperii*, quae forma genitivi inusitata aevo Plauti. Turbasse videtur scriptura continua. 492. *hortat* ab Acidalio est. V.: *orat.* 497, 8. Haec Philenio tribuuntur. 502. Ita Langg. G. H. Et sic passim passim veteres. V.: *Quoties.* 510. V.: *E nobis periculum magn. et fam. p.* Glossema ἄμετρον.

Nae ille ecastor hinc trudetur largus lacrumarum foras.
Hic dies summa est apud med inopiae excusatio.
Phi. Patiar, si cibo carere me jubeas, mater mea.
Cl. Non veto te amare, qui dant, quad amentur gratia.
Phi. Quid, si hic animus occupatust, mater, quid faciam? mone.
Cl. Hem, meum caput contemples, si quidem ex re consultas tua. i. t.
Phi. Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oves, t. t. c.
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam:
Sine me amare unum Argyrippum animi causa, quem volo.
Cl. Intro abi: nam te quidem edepol nihil est inpudentius.
Phi. Audientem dicto, mater, produxisti filiam.

LEONIDA. LIBANUS.

Le. Perfidiae laudes gratiasque habemus merito magnas, i. t. c. III, 2
Quom nostris sycophantiis dolis astutiisque,
Scapularum confidentia virtuti, ulmorum freti
Advorsum stimulos laminas crucesque conpedesque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,
Inductoresque acerrumos gnarosque nostri tergi,
[Qui saepe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt,]
Eas nunc legiones copias exercitusque, forum
Vi pugnando, perjuriis nostris, euoe! potiti.

514. Ita Gronov. Libri vett. fere: *summae*, *summe*. V.: *summu'st* (summust). 526. V.: *Scap. conf.*, *virtute ulm. fr.* Jungenda *Scapularum virtuti*, *ulmorum stimulos*, h. e. stimulos ulmeos sive ex ulmis factos. *Confidentia* casum verbi sui adsciscit. Ita carere possumus Lambini ταυτολογικῷ illo *virtute humerorum*, quod et aliis placuit, cum, servi nequam quomodo *virtute ulmorum* freti dicerentur, non reperirent. 527. Sic Argent. a. 1514. Iunt., probantibus Meursio atque Acidalio. V.: *Qui advorsum*. 529. *Inductores*, qui velut inducunt tergum cicatricibus, quemadmodum paries tectorio dicitur induci. Sic autem Langg. V.: *Indoctoresque*. Uncinis inclusa sunt glossema, et ἄμετρον quidem, vocabuli *Inductores*. 530, 531. *Eas* conspicitur in edd. mediis. Veteres autem propemodum omnes ostendunt *forum*, h. e. furum, φώρων. Ipsum *furum* legitur in libris nonnullis, in quibus est vetus Camerarii. *Furum vi pugnare* (nam haec jungenda, secus ac vulgo fit) est fallere, ductare. Declarant, quae sequuntur, verba *perjuriis nostris*. V.: *Eae n. l. c. ex.* eorum, *Vi, p.*, *peri. n. euge*, potiti.

Virtute id conlegae hujus est meaque comitate
Factum. Li. Qui me vir fortior ad subferendas plagas?
Le. Edepol virtutes qui tuas nunc possit conlaudare,
Sicut ego possum, quae domi duellique male fecisti:
Nae illa edepol pro merito tuo memorari multa possunt:
Fidentem ubi fraudaveris; ubi hero infidelis fueris;
Ubi verbis conceptis sciens lubenter perjuraris;
Ubi parietes perfoderis; in furto ubi sis prehensus;
Ubi saepe causam dixeris pendens advorsus octo
Astutos, audacis viros, valentis virgatores.
Li. Fateor, profecto, ut praedicas, Leonida, esse vera;
Verum edepol nae etiam tua quoque malefacta iterari multa,
Et vero, possunt: ubi sciens fideli infidus fueris:
Ubi prensus in furto sies manufesto verberatus;
Ubi perjuraris; ubi sacro manus sis admolitus;
Ubi heris damno et molestiae et dedecori saepe fueris;
Ubi, creditum quod sit, tibi datum esse pernegaris;
Ubi amicae quam amico tuo fueris magis fidelis;
Ubi saepe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictores, ulmeis adfectus lentis virgis.
Num male relata est gratia? ut conlegam conlaudavi?
Le. Ut meque teque maxume atque ingenio nostro decuit.
Li. Jam omitte ista atque hoc, quod rogo, responde.
Le. Rogita quidvis.
Li. Argenti viginti minas habesne tu? Le. Hariolare.
Edepol senem Demaenetum lepidum fuisse nobis!
Ut adsimulabat, Sauream med esse, quam facete!
Nimis aegre risum contini, ubi hospitem inclamavit:
Quod sese absente mihi fidem habere noluisset.
Ut memoriter me Sauream vocabat atriensem!
Li. Manedum! Le. Quid est? Li. Philenium estne haec,
quae intus exit, atque
Una Argyrippus? Le. Opprime os! est: clam subauscultemus.
Li. Lacrumantem lacinia tenet lacrumans. Quidnam esse
dicam?
Le. Tacite auscultemus. Li. Attate, modo hercle in mentem venit:

536. V.: *nunc tuo.* 545. V.: *et man.* 548. V., refragantibus plerisque vett.: *tibi quod sit.* 554. Ita Guelf. Helmstad. V.: *Rog. quod. vis.* 558. Sic vett.: *tetinerim, tetinisse, attini.* Vid. Non. Mercer. p. 178. Meurs. Exercitt. critt. p. 166. V.: *continui,* quod glossema versus respuit. 559. Ita Reiz. V.: *se.* 562. Sequor Gruterum Suspicc. 3, 7. V.: *etiam subausc.*

Nimis vellem habere perticam. Le. Quoi rei? Li. Qui verberarem
Asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumena.

ARGYRIPPUS. PHILENIUM. LIBANUS. LEONIDA.

Ar. Cur me retentas? Phi. Quia tui amans abeuntis egeo. I. t. c. III, 3
Ar. Vale! Phi. Aliquantod amplius valerem, si hic maneres.
Ar. Salve! Phi. Salvere me jubes, quoi tu abiens adfers morbum?
Ar. Mater supremam mihi tua dixit: domum ire jussit.
Phi. Acerbum funus filiae faciet, si te carendum est.
Li. Homo hercle hinc exclusust foras. Le. Ita res est. Ar. Mitte, quaeso.
Phi. Quo nunc abis? quin tu hic manes? Ar. Nox si voles, manebo.
Li. Audin' hunc, opera ut largus est nocturna? nunc enim interdius negotiosus est (videlicet Solonem),
Leges ut conscribat, quibus se populus teneat — gerrae.
Qui sese parere adparent hujus legibus: profecto
Nunquam bonae frugi sient, dies noctisque potent.
Le. Nae iste hercle ab ista non pedem discedat, si licessit,
Qui nunc festinat atque ab hac minatur sese abire.
Li. Sermoni jam finem face tuo: hujus sermonem accipiam.
Ar. Vale! Phi. Quo properas? Ar. Bene vale: apud Orcum te videbo:
Nam equidem me jam, quantum potest, a vita abjudicabo.
Phi. Cur tu, obsecro, inmerito meo me morti dedere optas?
Ar. Ego te, quam si intellegam deficere vita, jam ipse
Vitam meam tibi largiar et de mea ad tuam addam?
Phi. Cur ergo minitaris tibi, te vitam esse amissurum?
Nam quid me facturum putas, si istuc, quod dicis, faxis?
Mihi certum ecficere in me omnia eadem, quae tu in te faxis?

570. Ita Gron. aliique. V.: *supremum*. Isidor. Origg. 5.: *Partes diei tres sunt, Mane, Meridies et Suprema* etc. Suprema dicta foro excedebant, domum ibant, ut monet Gron. 575. *Nox*. Libri fere *Mox*, ut errare solent in hoc verbo. 589. Libri duriore numero: *certum est*.

Ar. Quin melle dulci dulcior mihi tu es! Phi. Certe enim tu vita es!
Complectere. Ar. Facio lubens. Phi. Utinam sic ecferamur!
Le. O Libane, miser ut est homo, qui amat! Li. Imo hercle vero
Qui pendet, multo est miserior. Le. Scio, qui periclum feci.
Li. Circumsistamus, alter hinc, hinc alter adpellemus.
Here, salve! Sed num fumus est haec mulier, quam amplexare?
Ar. Quidum? Li. Quia oculi sunt tibi lacrumantes, eo rogavi.
Ar. Patronus qui nobis fuit futurus, perdidistis.
Li. Equidem hercle nullum perdidi eo, quia nunquam ullum habui.
Le. Philenium, salve! Phi. Dabunt di, quae velitis, vobis!
Le. Noctem tuam et vini cadum velim, si optata fiant.
Ar. Verbum cave faxis, verbero! Le. Tibi equidem, non mihi, opto.
Ar. Tum tu igitur loquere, quod lubet. Le. Hunc hercle verberare.
Li. Quisnam istuc adcredat tibi, cinaede calamistrate?
Tun' verberes, qui pro cibo habeas te verberari?
Ar. Ut vostrae fortunae meis praecedunt, Libane, longe!
Li. Qui? Ar. Hodie nunquam ad vesperum vivam! Li. Quapropter, quaeso?
Ar. Quia ego hanc amo, et haec me amat; huic quod dem, nusquam quidquam est:
Hinc med amantem ex aedibus delegit hujus mater.
Argenti viginti minae me ad mortem adpulerunt,
Quas hodie adulescens Diabolus ipsi daturus dixit:
Ut hanc ne quoquam mitteret, nisi ad se, hunc annum totum.
Videtin', viginti minae quid pollent, quidve possunt?
Ille, qui illas perdit, salvos est; ego, qui non perdo, pereo.
Li. Jam dedit argentum? Ar. Non dedit. Li. Bono animo es! ne formida!

590. V.: *Vita es mihi.* Glossema, quod delendum vidit Reiz. 595. Helmst.: *Scio, quia p. f.* 598. V.: *perdidi ideo quia*, perperam diviso pyrrhichio quarti pedis. Causa erroris scriptura olim usitata continua. 602. Guelf.: *quid lubet*, vel *quidlubet.* 606. V.: *longe, Qui hod.* 607. Sic nostri Langg. et pleraeque omnes edd. vett. V.: *quod ego dem.* Ceterum *amo* non eliditur. Vid. not. ad Amph. 285.

LE. Secede huc, Libane. LI. te volo. LE. Si quid vis. AR. Obsecro vos,
Eadem istaec opera suavest conplexos fabulari.
LI. Non omnia eadem aeque omnibus, here, suavia esse scito.
Vobis est suave amantibus conplexos fabulari;
Ego conplexum hujus nil moror; meum autem hic adspernatur.
Proinde istuc facias ipse, quod faciamus nobis suades.
AR. Ego vero, et quidem edepol lubens. Interea, si videtur,
Concedite istuc. LE. Vin', herum deludi? LI. Dignust sane.
AR. Vin' faciam, ut me Philenium praesente hoc amplexetur?
LI. Cupio hercle. LE. Sequere hac. AR. Ecquid est salutis? satis locuti?
LE. Auscultate atque operam date et mea dicta devorate!
Primum omnium servos tuos nos esse non negamus;
Sed si tibi argenti minae viginti proferentur,
Quo nos vocabis nomine? AR. Libertos. LE. Non patronos?
AR. Id potius. LE. Viginti minae hic insunt in crumena;
Has ego, si vis, tibi dabo. AR. Di te servassint semper,
Custos herilis, decus popli, thesaurus copiarum,
Salus interior corporis, amorisque imperator!
Hic pone, hic istam conloca crumenam in collo plane!
LE. Nolo ego te, qui herus sis mihi, onus istuc sustinere.
AR. Quin tu labore liberas te, atque istam inponis in me?
LE. Ego bajulabo; tu, ut decet dominum, ante me ito inanis!
AR. Quid nunc? quid est? quin tradis huc crumenam pressatum aerum?
LE. Hanc, quoi daturus hanc, jube petere atque orare mecum:
Nam istuc proclive est, quod jubes, me plane conlocare.
PHI. Da, meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptas,
Leonida, argentum mihi! ne nos dejunge amantis!
LE. Dic igitur me passerculum, gallinam, coturnicem,
Agnellum, hoedillum, me tuom dic esse, vel vitellum!
Prehende auriculis! conpara labella cum labellis!

616. Quasi amantum fuissent illa *Te volo, Si quid vis.* Cf. sequentia. Jocus παρὰ προσδοκίαν. 619. Verba *meum — suades* Leonidae tribuuntur. 631. Libri depravato versu: *populi.* 632. *corporis* fere libri vett. V.: *interioris hominis.* 637. Vet. cod. Camer.: *press. erum.* Inde faciendum erat *press. aerum*, non ἄμετρον istud *herum*, quod legitur in libris. Genitivus *aerum* prisci usus est: vid. Priscian. p. 744. Putsch. Sic pridem sentiebat Jos. Scaliger. 640. Sic vett. V.: *da, mea vol.* Non elidendum *mi.* 642. V.: *me tuum pass.*

AR. Ten' osculetur, verbero? LI. Quam vero indignum visum est?
Atque pol hodie non feres, ni genua confricantur.
AR. Quidvis egestas imperat: fricentur. PHI. Dane, quod oro!
Age, mi Leonida, obsecro, fer amanti hero salutem!
Redime istoc benefacto te ab hoc, et tibi eme hunc isto argento!
LI. Nimis bella es atque amabilis; et si hoc meum esset, hodie
Nunquam me orares, quin darem! Illunc te orare, melius:
Ille hanc mihi servandam dedit. I sane, bella, belle! —
Cape hoc sis, Libane! AR. Furcifer, etiamne delusisti?
LI. Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares. —
Age sis tu in partem nunc iam hunc delude, atque amplexare hanc!
LI. Taceas! me spectes! AR. Quin ad hunc, Philenium, adgredimur,
Virum quidem pol optumum et non similem furis hujus?
LI. Inambulandum est. Nunc mihi vicissim supplicabunt.
AR. Quaeso hercle, Libane, sis herum tuis factis sospitari:
Da mi istas viginti minas! Vides me amantem egere.
LI. Videbitur; factum volo; redito huc conticinio.
Nunc istam tantisper jube petere atque orare mecum.
PHI. Amandone exorarier te vis, an osculando?
LI. Enimvero utrumque. PHI. Ergo obsecro te, utrumque nostrum serva!
AR. O Libane, mi patrone, mi trade istuc! LI. Mage decorum est,
Libertum potius quam patronum onus in via portare.
PHI. Mi Libane, ocellus aureus, donum decusque amoris,
Amabo faciam, quod voles, da istuc argentum nobis!
LI. Dic igitur me tuum anaticulam, columbam, vel catellum,
Hirundinem, monedulam, passerculum, putillum!
Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam!
Circumdato me brachiis! meum collum circumplecte!
AR. Ten' conplectatur, carnufex? LI. Quam vero indignus videor?

647. Codex Camer.: *dant, quod oro.* V.: *da nunc, q. o.* Dane, da. 649. V., invenustis numeris: *beneficio.* Monac.: *benefacio.* 655. V.: *etiam me del.* Sed Philenium quoque ille delusit. 662. Sic vett., vel *jubet.* Male secundum Guil. Quaest. in As. c. 7. legitur *jube sis.* 664. V.: *Ego obs. te, et tu ut n. s.* 669. Sic aliquot Langg. V.: *tuum* non legitur, quod poscit versus.

Ne istuc nequidquam dixeris in me tam indignum dictum.
Vehes pol me hodie, si quidem hoc argentum ferre speres.
AR. Ten' ego veham? LI. Tun' hoc feras argentum hinc aliter a me?
AR. Perii hercle! sive herum quidem est decorum vehere servom:
Inscende. LI. Sic isti solent superbi subdomari.
Adsta igitur, ut consuetus es puer olim. Scin' ut dicam?
Hem, sic! — Abi! Laudo, nec te equo magis est equos ullus sapiens.
AR. Inscende actutum! LI. Ego fecero. — Hem quid istuc? ut tu incedis?
Demam hercle jam tuo de hordeo, tolutim ni badizas!
AR. Amabo, Libane, jam satist? LI. Nunquam hercle hodie exorabis:
Nam jam calcari quadrupedem agitabo advorsum clivom;
Postidea ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens.
Adsta: ut descendam nunc jam in proclivi, quamquam nequam es!
AR. Quid nunc? quoniam ambo nos, ut est lubitum, ambo delusistis:
Datisne argentum? LI. Si quidem mihi statuam et aram statuis,
Atque, ut deo, mi hic inmolas bovem: nam ego tibi Salus sum.
LE. Etiam tu here, istum abs te amoves, ac me vicissim adgredere?
Atque illa, sibi quae hic jusserat, mihi statuis supplicasque?
AR. Quem te deum autem nominem? LE. Fortunam atque Obsequentem.
AR. Jam istoc es melior. LI. An quid olim homini est salute melius?
AR. Licet laudem Fortunam: tamen, ut ne Salutem culpem.
PHI. Ecastor ambae sunt bonae. AR. Sciam, ubi boni quid dederint.

677. V.: P. h. *si verum* (siueerum, siuerum) *quidem est dec. herum veh. s.* 681. V.: *q. ist. est?* 682. V.: *D. h. jam de ordeo.* Helmstad. et Pal. 4: *de ord. tuo.* Edd. mediae et Gronov.: *tibi de ord.* 683. V.: *jam sat est.* Guelf. et a. m. 1. Helmst.: *i. satis est.* 685. Sic aliqui apud Pareum. V.: *Postea.* 690. V.: *E. tu, h., istunc am. abs te, atque ipse me aggredire,* haerente etiam Acidalio Divv. p. 58. Cf. 698. 692. Guelf. et Argent. a. 1514.: *Quem autem nom. deum.* V.: *Quem te autem deum nom.?*

Le. Opta id, quod contingat tibi vis. Ar. Quid, si optaro?
Le. Eveniet.
Ar. Opto annum hunc perpetuom mihi hujus operas.
Le. Impetrasti.
Ar. Ain' vero? Le. Certe, inquam. Li. Ad me adi vicissim, atque experire.
Exopta id, quod vis maxume tibi evenire: fiet!
Ar. Quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud quojus inopia est,
Viginti argenti commodas minas, hujus quas dem matri.
Li. Dabuntur. Animo sis bono face: exoptata obtingent!
Ar. Ut consuevere homines, Salus frustatur et Fortuna.
Le. Ego caput argento fui huic hodie reperiundo.
Li. Ego pes fui. Ar. Quin nec caput nec pes sermonum adparet.
Nec, quid dicatis, nec, me cur ludatis, scire possum.
Li. Satis jam delusum censeo: nunc rem, ut est, eloquamur.
Animum, Argyrippe, advorte sis. Pater nos ferre jussit
Hoc argentum ad te. Ar. Ut tempore opportuneque attulistis!
Li. Hic inerunt viginti minae bonae, mala opera partae:
Has tibi nos pactis legibus dare jussit. Ar. Quid id est quaeso?
Li. Noctem hujus et coenam ut sibi dares. Ar. Jube advenire.
Meritissumo ejus, quae volet, faciemus, qui hosce amores
Nostros dispulsos compulit. Le. Patieris, Argyrippe,
Patrem hanc amplexari tuom? Ar. Haec faciet facile ut patiar.
Leonida. Curre, obsecro: patrem huc orato ut veniat.
Li. Jamdudum est intus. Ar. Hac quidem ne venit.
Le. Angiporto
Illac per hortum circumit clam: ne quis se videret
Huc ire familiarium: ne uxor resciscat, metuit.
De argento si mater tua sciat factum ut sit.
Ar. Heia,
Benedicito! Li. Ite intro cito! Le. Valete et vos amate!

698. V.: *ut cont.* 704. Ita haec distincta in Monacensi. V.: *Ut. c., hom. S. f. et F.* 711. Male huic versui additum in fine legitur *quaeso*, non quo in versum compingi nequeat, sed quia non decet dominum adversus servum. Sublectum in praegressis. 717. *ne* Helmst., antique. V.: *non.* 718. Sic MSS. V.: *circuit.* 721. *Benedicito* Guelf. V.: *Benedicite. ite intro cito. valete.* Le. (haec nota abest ab Helmstadi) *et vos am.*

DIABOLUS. PARASITUS.

Di. Agedum, istum ostende, quem conscripsti, syngraphum. I. s. III, 4
Inter me amicam et lenam. Leges perlege:
Nam tu poëta es prorsus ad eam rem unicus.
Pa. Horrescet faxo lena, leges quom audiet.
Di. Age, quaeso, mi hercle translege! Pa. Audin? Di. Audio.
Pa. Diabolus Glauci filius Cleaeretae
Lenae dedit argenti viginti minas:
Philenium ut secum esset noctis et dies
Hunc annum totum. Di. Neque cum quiquam alio quidem.
Pa. Addone? Di. Adde; et scribas vide plane et probe!
Pa. Alienum hominem intromittat neminem.
Quod illa aut amicum aut patronum . . . Di. Neminem!
Pa. Aut quod illa amicae suae amatorem praedicet:
Fores occlusae omnibus sint, nisi tibi;
In foribus scribat: Occupatam esse se.
Aut quod illa dicat, peregre adlatam epistolam:
Ne epistola quidem ulla siet in aedibus,
Nec cerata adeo tabula; et si quae inutilis
Pictura sit, eam vendat. Ni quatriduo
Abalienarit, quo ex argentum acceperit:
Tuos arbitratus sit: conburas, si velis:
Ne illi sit cera, ubi facere possit litteras.
Vocet convivam neminem illa, tu voces:
Ad eorum ne quemquam oculos adjiciat suos.
Si quem alium adspexit: caeca continuo siet,
Tecum una postea aeque pocula potitet,
Abs ted accipiat, tibi propinet, tum bibat:
Ne illa minus aut plus quam tu sapiat. Di. Satis placet.
Pa. Suscipiones omnis abs se segreget:
Neque illaec ulli pede pedem homini premat,
Quom surgat; neque in lectum inscendat proxumum;

728. Libri inepte et depravato metro: *L. d. dono arg. v. m. Dedit* posteriorem syllabam porrigit ante vocalem, sicut passim fit ejusmodi syllabis verbalibus. 735. V.: *sient.* 738. V.: *sit.* Non elidendum *quidem* qua figura nihil frequentius hac scena, in qua verba omnia ponderantur. 739. *quae* placebat Reizio V.: *qua.* 741. Pall. fere et vett. mediaeque edd.: *quo ex te arg. acc.* V. soloece: *quo abs te a. a.* Acidalium sequor cum Parco. 748. V.: *tu bibas.* 752. *neque* non liquescit.

Neque, quom descendat, inde det quoiquam manum:
Spectandum ne quoiquam annulum det neque roget.
Talos ne quoiquam homini admoveat, nisi tibi;
Quom iaciat, Te ne dicat: nomen nominet.
Deam invocet sibi, quam lubebit, propitiam;
Deum nullum: Mage si religiosa fuverit:
Tibi dicat; tu pro illa ores, ut sit propitius.
Neque illa ulli homini nutet, nictet, adnuat.
Post id, lucerna si extincta est, ne quid sui
Membri commoveat quidquam in tenebris. Di. Optumum est.
Ita scilicet facturam; verum in cubiculo . . .
Deme istuc! equidem illanc moveri gestio,
Nolo illam habere causam, et vetitum dicere.
Pa. Scio, captiones metuis. Di. Verum. Pa. Ergo, ut jubes,
Tollam? Di. Quidni? Pa. Audi reliqua. Di. Loquere: audio.
Pa. Neque ullum verbum faciat perplexabile;
Neque ulla lingua sciat loqui, nisi Attica.
Fors si tussire occepsit, ne sic tussiat:
Ut quoiquam linguam in tussiendo proferat.
Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat:
Hoc ne sic faciat; tu labellum abstergeas
Potius quam quoiquam savium faciat palam.
Nec mater lena ad vinum accedat interim,
Neque ulli verbo dicat male. Si dixerit:
Haec multa ei esto: vino viginti dies
Ut careat. Di. Pulcre scripsti! scitum syngraphum!
Pa. Tum si coronas, serta, unguenta jusserit
Ancillam ferre Veneri aut Cupidini:
Tuos servos servet, Venerine eas det, an viro.
Si forte pure velle habere dixerit:
Tot noctis reddat spurcas, quot pure habuerit,
Haec sunt non nugae: non enim mortualia.
Di. Placent profecto leges. Sequere intro. Pa. Sequor.

DIABOLUS. PARASITUS.

Di. Sequere hac. Egon' haec patiar, aut taceam? Emori i. s. IV, 1

758. Sic Reiz. V.: *fuerit*. 761. Sic plerique omnes libri. V.: *id* desideratur. 765. Ita legendum sensit Acid. Plurimi vett. *vetitam*, V.: *votitam*. 770. V.: *Forte*, in quo usurpata videatur apocope. Sed malim *Fors* cum Heindorfio, sicut Amph. 574. 773. *Sic*, temere, non re vera. 783. Libri contra legem pedariam: *quot puras hab.*

Me malim, quam haec non ejus uxori indicem.
Ain' tu? apud amicam munus adulescentuli
Fungare, uxori excuses te et dicas senem?
Praeripias scortum amanti, atque argentum obicias
Lenae? suppiles clam domi uxorem tuam?
Suspendam potius me, quam tacita haec auferas.
Jam quidem ad illam hercle hinc ibo, quam tu propediem,
Ni quidem illa anteoccupassit te, ecfliges scio:
Luxuriae sumtus suppeditare ut possies.
PA. Ego sic faciundum censeo: me honestius,
Quam te, palam hanc rem facere: ne illa existumet,
Amoris causa percitum id fecisse te
Mage, quam sua causa. DI. At pol qui dixti rectius.
Tu ergo fac, ut illi turbas, litis, concias:
Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die
Potare; illam expilare clam. PA. Ne me mone:
Ego istuc curabo. DI. At ego te operiar domi.

ARGYRIPPUS. DEMAENETUS.

AR. Age, decumbamus, sis, pater. DE. Ut jusseris, i. s. IV, 2
Mi gnate, ita fiat. AR. Pueri, mensam adponite.
DE. Numquidnam tibi molestum est, gnate mi, si mecum haec adcubat? i. t.
AR. Pietas, pater, dolorem prohibet oculis: quamquam istanc amo:
Possum equidem inducere animum, ne aegre patiar, quia tecum adcubat.
DE. Decet verecundum esse adulescentem, Argyrippe. AR. Edepol, pater,
Merito tuo facere possum. DE. Age ergo, agitemus hoc convivium
Vino et sermone suavi! nolo ego metui, amari mavolo.
Mi gnate, me abs te. AR. Pol ego utrumque facio, ut aequom est filium.

794. V.: *Misi.* 796. Ita Guelf. Helmstad. et vett. edd. V.: *faciendum.* Formas ejusmodi antiquiores passim restitui. 799. Sic fere vett. V.: *At p. qui d. r.* Cf. Amph. 553 etc. 804. Ita major pars librorum. V.: *Agedum decumb.* — *Pater* Vid. not. ad Amph. 285. 806. Sic nostri codd. Langg. vett. edd. V.: *si haec nunc mec. accubat?* 807. V.: *qu. ego ist. amo.* Guelf.: *istanc ego,* ut vagari solent glossemata.

De. Credam istuc, si esse te hilarum videro. Ar. An tu me tristem putas?
De. Putem ego, quem videam aeque esse maestum, ut quasi dies si dicta sit.
Ar. Ne dixis istuc. De. Ne sic fueris: ilico ego non dixero.
Ar. Hem, adspecta: rideo. De. Utinam, male qui mihi volunt, sic rideant!
Ar. Scio equidem, quamobrem me, parens, tu tristem credas nunc tibi:
Quia istaec est tecum. Atque ego quidem, hercle, ut verum tibi dicam, patri:
Ea res male habet; ac non eo, quia tibi non cupiam, quae velis:
Verum istam amo. Aliam tecum esse, equidem facile possum perpeti.
De. At ego hanc volo. Ar. Ergo sunt, quae exoptas. Mihi, quae ego exoptem, volo.
De. Unum hunc diem perpetere: quoniam tibi potestatem dedi,
Cum hac annum ut esses, atque amanti argenti feci copiam.
Ar. Hem, istoc me facto tibi devinxti! De. Quin te ergo hilarum das mihi?

ARTEMONA. PARASITUS. DEMAENETUS. ARGYRIPPUS. PHILENIUM.

Art. Ain' tu, meum virum hic potare, obsecro, cum filio,
Et ad amicam detulisse viginti argenti minas,
Meoque filio sciente id facere flagitium patrem?
Pa. Neque divini neque mi humani posthac quidquam accreduas,
Artemona, si hujus rei me mendacem esse inveneris.
Art. At scelesta ego praeter alios meum virum fui rata
Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxume.

813. V.: *an tu esse me tr. p.?* 817. Sic Monac. V.: *pater.* 818. Ita Guelf. V.: *pater.* 820. Sic fere libri. V.: *possim.* 826. Sic Helmstad. V.: *arg. vig. m.* 829. Ita scripti. V.: *esse mend.* 830. V. *fui*, quo versus loco spondeus usurpari solet. Scripti etiam hic: *frugi.*

Pa. At nunc dehinc scito, illum ante omnis minumi mortalem preti,
Madidum, nihili, incontinentem atque osorem uxoris suae.
Art. Pol ni vera ista essent, nunquam faceret ea, quae nunc facit.
Pa. Ego quoque hercle illum antehac hominem semper sum frugi ratus;
Verum hoc facto sese ostendit, qui quidem cum filio
Potet una, atque una amicam ductet, decrepitus senex.
Art. Hoc ecastor est, quod illic ad coenam ait cotidie
Ire sese ad Archidemum, Chaeream, Chaerestratum,
Cliniam, Chremem, Cratinum, Diniam, Demosthenem:
Is apud scortum corruptelae est liberis, lustris studet.
Pa. Quin tu illunc jubes ancillas rapere sublimem domum?
Art. Tace modo. Nae illunc ecastor miserum habebo! Pa. Istuc scio
Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris. Art. Ego censeo
Eum etiam hominem in senatu dare operam, aut clientibus;
Ibi labore delassatum noctem totam stertere.
Ille foris opere faciundo lassus noctu advenit;
Fundum arat alienum, incultum familiarem deserit.
Is etiam, corruptus, porro suom corrumpit filium.
Pa. Sequere hac me modo: jam faxo ipsum hominem manufesto opprimas.
Art. Nihil ecastor est, quod facere mavelim. Pa. Manedum. Art. Quid est?
Pa. Possis, si forte adcubantem tuom virum conspexeris
Cum corona, amplexum amicam si videas, cognoscere?
Art. Possum ecastor. Pa. Hem tibi hominem! Art. Perii! Pa. Paulisper mane:
Aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem gerant.
Art. Quid modi, pater, amplexando facies? De. Fateor, gnate mi . . .
Ar. Quid fatere? De. Me ex amore hujus corruptum oppido.
Pa. Audin', quid ait? Art. Audio. De. Egon' ut non domo uxori meae
Subripiam in deliciis pallam quam habet, atque ad te deferam?

838. Ita Guelf. V.: *quod ille it ad coen. cotidie.* 839. V.: — *cotidie. Ait sese ire ad* etc. 843. Libri numero durissimo: *ego istuc scio.* 845. V., secundum Cam.: *aut in sen.* Non elidendum *hominem.* 856. Sic Acid. V.: *amplexandi.*

Non edepol conduci possum vita uxoris annua.
PA. Censen', tu illunc hodie primum ire adsuetum esse in ganeum?
ART. Ille ecastor suppilabat me, quod ancillas meas
Suspicabar, atque insontis miseras cruciabam. AR. Pater,
Iube dari vinum; iamdudum factum est, quom primum bibi.
DE. Da, puere, ab summo. Age, tu interibi ab infumo da savium.
ART. Perii, misera, ut osculatur carnufex, capuli decus!
DE. Edepol animam suaviorem aliquanto, quam uxoris meae!
PHI. Dic, amabo, an foetet anima uxoris? DE. Nauteam
Bibere malim, si necessum est, quam illanc oscularier.
ART. Aiin' tandem? Edepol ne tu istuc cum malo magno tuo
In me dixisti! Sine venias modo domum: faxo ut scias
Quid pericli sit dotatae uxori vitium dicere.
PHI. Miser ecastor es. AR. Ecastor dignus est. AR. Quid aiis, pater?
Ecquid matrem amas? DE. Egone illam? Nunc amo, quia non adest.
AR. Quid, quom adest? DE. Periisse cupio. PA. Amat homo hic te, ut praedicat.
ART. Nae illa ecastor foenerato funditat: nam si domum
Redierit hodie, osculando ulciscar ego potissumum.
AR. Iace, pater, talos, ut porro nos iaciamus. DE. Maxume.
Te, Philenium, mihi atque uxoris mortem! — Hoc Venerium est.
Pueri, plaudite, et mi ob iactum cantharo mulsum date!
ART. Non queo durare. PA. Si non didicisti fulloniam:
Non mirandum est. In oculos invadi nunc est optumum.
AR. Ego pol vivam, et tu istanc hodie cum tuo magno malo
Invocavisti! PA. Ecquis currit pollinctorem arcessere?

870 — 73. Haec vulgo hoc ordine leguntur: 873, 870, 871, 872, 874, verbaque *Miser ecastor es* uxori tribuuntur, sequentia vero illa *Mecastor dignus est* parasito, quem per Castorem iurare non magis decet quam mulierem per Herculem. Ordinavit atque emendavit Acid., nisi quod *Aiin'* scripsi pro *Ain'* 870, et 873. *Ecastor*, ut eodem verbo, irrisionis causa, mulier uteretur, quo usa est Philenium. 876. V.: *ille*. Sequor Douzam Centur. 1, 8. 881. *Non queo* Guelf. Helmst., suspicor etiam olim usurpati libri: nam sic et Taubm. et ipse Gron. V. tamen: *Non nequeo*. *Fulloniam* pro *fullonicam* itidem Douza latinae latinae vocis formatione. 885. *istanc*, Philenium. Cf. 879. V.: *isthaec*. Correxit Acid.

AR. Mater, salve! ART. Sat salutis! PA. Mortuost Demaenetus.
Tempus est subducere hinc me: pulcre hoc gliscit proelium.
Ibo ad Diabolum; mandata dicam facta, ut voluerit,
Atque interea ut decumbamus suadebo, hi dum litigant;
Post eum demum huc cras adducam ad lenam, ut viginti minas
Ei det, in partem hac amanti ut liceat ei potirier.
Argyrippus exorari spero poterit, ut sinat
Sese alternas cum illo noctes hac frui: nam ni impetro,
Regem perdidi: ex amore tantum est homini incendium.
ART. Quid tibi huc receptio ad te est meum virum? PHI. Pol me quidem
Miseram odio enicavit hodie. ART. Surge, amator! i domum!
DE. Nullus sum! ART. Imo es (ne nega), pol omnium nequissumus!
At etiam cubat cuculus! Surge, amator! i domum!
DE. Vae mihi! ART. Vera hariolare. Surge, amator! i domum!
DE. Abscede ergo paululum istuc. ART. Surge, amator! i domum!
DE. Jam, obsecro, uxor . . . ART. Nunc uxorem me esse meministi tuam?
Modo, quom dicta in me ingerebas: odium, non uxor, eram.
DE. Totus perii! ART. Quid tandem? anima foetetne uxoris tuae?
DE. Murrham olet. ART. Jam subripuisti pallam, quam scorto dares?
Ecastor . . . AR. Quam subrepturum pallam promisit tibi . . .
DE. Non taces? AR. Ego dissuadebam, mater. ART. Bellum filium!
Istoscine aequom est patrem mores liberis largirier? i. t.
Nilne te pudet? DE. Pol, si aliud nil sit, tui me, uxor, pudet. t. t. c.
ART. Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit!
DE. Non licet manere (coena coquitur), dum coenem modo?

890. Ita Guelf., ut dedit Lamb., quod sane usitatius vulgato *in parte*. 895. *odio*, odiosa amatione. V. autem: *Mis. odio enicabit*, versu μειούρῳ. Plurimi vett. *hodie* dant pro *odio*. Utrumque verum esse intellexit Acid. 904. V.: *Ecastor quin surrept. p. p. t.*, et haec sub Argyrippi persona, aeque quidem inepte atque illa *Ecastor dignus est* 873. sub parasiti.

ART. Ecastor coenabis hodie, ut dignus es, magnum malum!
DE. Male cubandum est: judicatum me uxor abducit domum!
AR. Dicebamne, pater, tibi, ne matri consuleres male?
PHI. Amabo, de palla memento. DE. Juben' hanc hinc abscedere? i. t.
PHI. Imo potius intus sequere hac me, mi anime!
AR. Ego vero sequor.
ART. I domum! PHI. Da savium etiam, priusquam abis.
DE. I in crucem!

G R E X.

Hic senex si quid, clam uxorem, suo animo fecit volup:
Neque novom neque mirum fecit, nec secus, quam alii solent;
Nec quisquam est tam ingenio duro, neque tam firmo pectore,
Quin, ubi quidquam occasionis sit, sibi faciat bene.
Nunc si voltis deprecari huic seni, ne vapulet:
Remur inpetrari posse, plausum si clarum datis.

910. V.: *ut te dignum est.* Sed *te* praeter fidem veterum librorum insertum est. Guelf.: *es.* 911. Sic Argent. a. 1514., ut voluit Douza. V.: *adducit.* 915. *I* posterius non eliditur. Sed legendum fortasse est *abbitis*, cui explicationis causa adscriptum fuerit *abis* vulgatum. 921. V.: *si plausum sic cl. d.*, usurpato versu asynarteto, qui alienus est a loco, in quo, utpote fabulae extremo, affectus et turbae omnes silent. Vet. cod. Camer. a. m. 2.: *si pl. si cl. d.* Prius *si* ortum videtur ex antecedente syllaba. In Guelf. *posse* non habetur.

AULULARIA.

ARGUMENTUM.

Senex avarus, sibi vix credens, Euclio i. s.
Domi defossam opibus cum multis suae
Aulam invenit, rursumque penitus conditam
Exanguis, amens servat. Ejus filiam
Lyconides vitiarat. Interea senex
Megadorus, a sorore suasus ducere
Uxorem, avari gnatam deposcit sibi.
Senex durus vix promittit, atque, aulae timens,
Domo sublatam variis abstrudit locis.
Insidias servus hujus facit Lyconidis,
Qui virginem vitiarat; atque ipse obsecrat
Avunculum Megadorum sibimet cedere
Uxorem amanti. Per dolum mox Euclio
Quum perdidisset aulam insperato invenit,
Laetusque natam collocat Lyconidi.

ALIUD ARGUMENTUM.

Aulam repertam avarus plenam auri Euclio i. s.
Vi summa servat, miseris affectus modis.
Lyconides istius vitiat filiam.
Volt hanc Megadorus indotatam ducere,
Lubensque ut faciat, dat coquos cum obsonio.
Auro formidat Euclio: abstrudit foras;
Reque omni inspecta compressoris servulus
Id surpit. Illic Euclioni rem refert:
Ab eo donatur auro, uxore et filio.

Acrostichidos versu 1. legitur *Aul. rep. auri pl. Euclio*, sed in Guelf.: *avari* pro *auri*. Aptum *avarus* versiculo hianti. 6. *foras* Guelf. et Langg. V.: *foris*.

DRAMATIS PERSONAE.

LAR.
EUCLIO.
STAPHYLA.
EUNOMIA.
MEGADORUS.
STROBILUS GEMINUS.
ANTHRAX.
CONGRIO.
PYTHODICUS.
LYCONIDES.
PHAEDRA.

PROLOGUS.

LAR FAMILIARIS.

Ne quis miretur, qui sim, paucis eloquar.
Ego Lar sum familiaris ex hac familia,
Unde exeuntem me adspexistis. Hanc domum
Jam multos annos est quom possideo et colo
Patrique avoque jam hujus, qui nunc hic habet.
Sed avos mihi hujus obsecrans concredidit
Auri thesaurum clam omnis; in medio foco
Defodit, venerans me, ut id servarem sibi.
Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit:
Nunquam indicare id filio voluit suo,
Inopemque optavit potius eum relinquere,
Quam eum thesaurum conmonstraret filio.
Agri reliquit eii non magnum modum,
Qui cum labore magno et misere viveret.
Ubi is obiit mortem, qui id mihi aurum credidit:
Coepi observare, ecqui majorem filius
Mi honorem haberet, quam ejus habuisset pater.
Atque ille vero minus minusque inpendio
Curare, minusque me inpartire honoribus.
Item a me contra factum est: nam item obiit diem.
Reliquit is ex se hunc, qui hic nunc habitat, filium
Pariter moratum, ut pater avosque hujus fuit.
Huic filia una est; ea mihi cotidie
Aut ture, aut vino, aut aliqui semper supplicat;

Vers. 7. Ita scripti. V.: *Thes. auri.* 14. Sic Langiani. V.: *Quo cum* etc. 19. Iidem: *impertire.* Alterum aevo Plauti dignius. Vide Broukhus. ad Propert. 2, 2, 11, Tibull. 1, 7, 44, et Pontederae libellum de vetere scribendi ratione, quem libellum editioni, ab ipso curatae, scriptorum rusticorum inseruit celeberrimus Schneider.

Dat mihi coronas. Ejus honoris gratia
Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
Quo illam facilius nuptam, si vellet, daret:
Nam eam conpressit de summo adulescens loco;
Is scit adulescens, quae sit, quam conpresserit;
Illa illum nescit, neque conpressam autem pater.
Eam ego hodie faciam ut hic senex de proxumo
Sibi poscat uxorem: id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui conpresserat:
Etenim, qui poscet eam sibi uxorem senex,
Is adulescentis illius est avonculus,
Qui illanc stupravit noctu, Cereris vigiliis.
Sed hic senex jam clamat intus, ut solet;
Anum foras extrudit, ne sit conscia.
Credo, aurum inspicere volt, ne subreptum siet.

EUCLIO. STAPHYLA.

Eu. Exi, inquam! age, exi! exeundum hercle est tibi, i.
Circumspectatrix cum oculis emissitiis!
Sta. Nam cur me miseram verberas? Eu. Ut misera sis,
Atque ut te dignam, mala, malam aetatem exigas!
Sta. Nam qua me nunc causa extrusisti ex aedibus?
Eu. Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?
Illuc regredere ab ostio! illuc, sis, vide,
Ut cedit! At scin', quomodo tibi res se habet?
Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in manum:
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum!
Sta. Utinam me divi adaxint ad suspendium
Potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam!
Eu. At ut scelesta sola secum murmurat!
Oculos hercle istos, inproba, ecfodiam tibi:
Ne me observare possis, quid rerum geram.

27. *illam* vet. liber Camer. et Pal. 4. Pall. 1. 2.: Q. *ille eam.* V.: Q. *eam.* 34. V.: *Et hic, qui p.* Acidalio placebat *Enim hic q. p.*

Fabulae versu 1. sic plane legebatur in Langianis. V. *hercle tibi hinc est foras*, metro durissimo. *Exi* non elidendum 8. V.: *ut Incedit:* nam *ut* additur praecedenti versui. Hic quoque, ut sexcentis aliis in locis, glossemati cessit genuina vox, Plautoque valde familiaris. Vid. Parei lexic. Plaut. v. Cedere, incedere. 14. V., *O. h. ego istos.*

Abscede! — etiam nunc! — etiam nunc! Sta. Etiamne?
Eu. Ohe,
Istuc adesto! si hercle tu ex istoc loco
Digitum transvorsum aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te jussero:
Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.
Scelestiorem me hac anu certe scio
Vidisse nunquam, nimisque ego hanc metuo male,
Ne mi ex insidiis verba inprudenti duit,
Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum,
Quae in occipitio quoque habet oculos pessuma.
Nunc ibo ut visam, estne ita aurum, ut condidi,
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.
Sta. Ne nunc mecastor, quid hero ego dicam meo
Malae rei evenisse, quamve insaniam,
Queo comminisci: ita me miseram ad hunc modum
Decies die uno saepe extrudit aedibus.
Nescio pol, quae illunc hominem intemperiae tenent:
Pervigilat noctis totas; tum autem interdius
Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.
Neque jam, quo pacto celem herilis filiae
Probrum, propinqua partitudo quoi adpetit,
Queo comminisci; neque quidquam est melius mihi,
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam litteram
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.
Eu. Nunc defecato demum animo egredior domo,
Postquam perspexi, salva esse intus omnia.
Redi nunc jam intro atque intus serva! Sta. Quippe nil
Ego intus servem! An, ne quis aedis auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus:
Ita inaniis sunt oppletae atque araneis.
Eu. Mirum, quin tua me causa faciat Jupiter

16. V.: *A.: et. n.: et. n.: etiam. ohe!* Sed, *ohe* omisso, Langg.: *etiam nunc*, quod fuisse puto *etiamne*, facile illud quidem permutandum cum hoc compendio *etiamnē:* nam eo modo *nunc* scribi solet in antiquis codd. 17. Ita Guelf. Etiam Monac. et Palatt.: *adesto;* vet. cod. Camer.: *atasto*; Langg.: *at asta.* V.: *Istic adstato.* 28. Ita Guelf. et a m. 1. Helmst. Vet. cod. Camer.. *Noe nunc*, cum librarius itidem vellet legi *Ne nunc.* Langg.: *Non nunc*, quae videtur esse interpretatio. V.: *Nec nunc.* Lucretianum *Nenu*, quae trochaïca vox est, abhorret ab hoc loco versûs, ubi ponenda jambica est, aut spondaïca. *Ego* etiam alibi apud Nostrum syllabam posteriorem habet porrectam: vid. not. ad Amph. 443. Alioqui legi posset *ego hero.* Sed *hero*, verbum gravius, recte tenet potiorem versûs sedem, tertiam. 40. Monac.: *domum.* 42. Sic nostri codd. et vett. V.: *quippini Ego* etc., contraria sententia ac qua hic opus. 46. Ita Helmst., Lamb. V.: *tua nunc me.*

Philippum regem aut Darium, trivenefica!
Araneas mihi ego illas servari volo.
Pauper sum, fateor; patior. Quod di dant, fero.
Abi intro! occlude januam! Jam ego hic ero.
Cave quemquam alienum in aedis intromiseris.
Sta. Quid, si quisquam ignem quaerit? Eu. Extingui volo:
Ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet.
Nam si ignis vivet, tu extinguére extempulo.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
Cultrum, securim, pistillum aut mortarium,
Quae utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse atque abstulisse dicito.
Profecto in aedis meas me absente neminem
Volo intromitti, atque etiam (hoc praedico tibi)
Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris.
Sta. Pol eapse, credo, ne intromittatur, cavet:
Nam ad aedis nostras nunquam adit quaquam prope.
Eu. Tace atque abi intro! Sta. Taceo atque abeo.
Eu. Occlude, sis,
Foris ambobis pessulis! Jam ego hic ero. —
Discrucior animi, quia ab domo abeundum est mihi!
Nimis hercle invitus abeo; sed, quid agam, scio:
Nam noster nostrae qui est magister curiae,
Dividere argenti dixit numos in viros;
Id si relinquo ac non peto: omnes eloco
Me suspicentur, credo, habere aurum domi:
Nam verisimile non est, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere quin numum petat.
Nam nunc, quom celo sedulo omnis, ne sciant,
Omnes videntur scire, et me benignius
Omnes salutant, quam salutabant prius;
Adeunt, consistunt, copulantur dexteras;
Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram.
Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum
Me rursus, quantum potero, tantum recipiam.

47. *Philippum* eliso i priore legi potest δισσυλλάβως, ut alibi apud Nostrum. Sed fuit cum *regem* excludendum existimarem, tanquam glossema, nomenque *Philippum* ἀνεκθλίπτως pronuntiandum; necdum me poenitet suspicionis. Cf. 658. 52. V., secundum vet. cod. Camer.: *Quod quispiam ignem quaerat, ext. volo.* Ceteri libri: *Quid si*, vel *Quod si*. Guelf.: *quisquam*. et utrique personae haec ita dividunt; quod δραματικώτερον. 63. Sic Langg. (nisi quod habent *propei*), merito probante Gronovio. Similiter etiam alii prisci. V.: *N. ad a. n. nusquam adiit, quanquam prope est.*

EUNOMIA. MEGADORUS.

EUN. Velim te arbitrari, med haec verba, frater, b. t. II, 1
Meae fidei tuaeque hic rei causa facere,
Ut aequom est germanam sororem. b. tr.
Quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi: b. t.
Nam multum loquaces merito omnes habemur,
Nec mutam profecto b. d.
Repertam ullam esse hodie dicunt mulierem ullo in seculo. i. t.
Verum hoc, frater, unum tamen cogitato, b. t.
Tibi proxumam te mihique esse item te:
Ita aequom est, quod in rem esse utrique arbitremur,
Et mihi te, et tibi me, consulere et monere,
Neque id occultum haberi, neque per metum mussari, as. b. d. i. d. c.
Quin participem pariter ego te et tu me facias. as. 2 ith.
Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi,
Ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.
ME. Da mihi manum, optuma foemina. EUN. Ubi ea est? quis ea est nam optuma? i. t.
ME. Tu. EUN. Tune ais? ME. Si negas, nego. EUN. Decet quidem vera proloqui:
Nam optuma nulla eligi potest; alia alia pejor, frater, est.
ME. Idem ego arbitror, nec tibi advorsari as. 2 i. h.
Certum est de istac re, soror, unquam. Quid vis?
EUN. Da mi operam, amabo. ME. Tua est: utere, loquere
Atque impera sis. i. h.

82. *hic.* Libri *haec, haq, hoc*, quod quidem vulgo legitur. 87. *Rep.* non est elidendum. 91. Ita Guelf. et Monac. V.: *N. occ. id. hab.* 92. V.: *et tu me ut fac.* 96. Extrema syllaba verbi *foem.* pro longa est propter interpunctionem; *nam* non eliditur. 97. Ita Guelf. Helmst. aliqui Langg. et Pal. 5. V., aliena sententia: *Dec. te quidem v. p.* 99. In Guelf. verba *nec tibi* non leguntur, et sequ. versu idem codex habet *nunquam.* Hoc modo, si itidem scriberetur *arbitro* pro vulgato *arbitror*, verba *Idem ego arbitro; adv. cert. est de ist. re nunquam, soror*, effectura essent jambicum tetram. Sed quo tum referenda esse dicemus illa *Quid-vis?* quae a vetere quidem cod. Cam. et Langianis absunt, sed leguntur in Palatinis nostrisque omnibus, editionibusque priscis? 101. Guelf. et Monac.: *utere eloquere Atque* etc. In vulgatis libris *eloquere* desideratur. Requirit autem versus *loquere.* 102. Sic nostri, nisi quod Monac.: *impetrassis.* V.: *A imp., si quid vis.* Verba *A impera, sis* subjecta clausulae loco praecedentibus asynartetis.

EUN. Id, quod in rem tuam optumum arbitro esse, ted id monitum advento. t. t.
ME. Soror, more tuo faci'. EUN. Facta volo. a. d.
ME. Quid est id, soror? EUN. Quod tibi sempiternum salutare sit liberis procreandis b. oct.
ME. Ita di faxint! a.
EUN. Volo te uxorem domum ducere. ME. Hei occidi! cr. t.
EUN. Quid ita? i.
ME. Quia mi misero cerebrum excutiunt a. d.
Tua dicta soror: lapides loqueris.
EUN. Heia, hoc face, quod te jubet soror. ME. Si lubeat: faciam i. t. c.
EUN. In rem tuam hoc est. ME. Ut quidem moriar, priusquam ducam.
Quae cras venat, perendie foras, soror, feratur,
His legibus si quam vis dare: cedo; nuptias adorna!
EUN. Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote. i. tr. h.
Sed grandior es, mulieris est aetas media.
Eam si jubes, frater, tibi me poscere, poscam.
ME. Numnam vis me interrogare te? EUN. Imo si quid vis, roga. t. t. c.
ME. Post mediam aetatem qui media ducit uxorem domum.
Si eam senex anum praegnatem fortuitu fecerit.
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?

103. V.: *in rem tuam Opt. esse arbitror, te id admonitum adv.* Libri tantum non omnes vett.: *monitum.* 104. *Soror* μονοσυλλάβως pronuntiandum priore o littera extrita. Ceterum haec inde a 96. usque ad 113. ἄμετρα vulgo jacent. 106. Sic Guelf. et Helmstad. V.: *procr. lib.* Haec submissa voce Eunomia, ne audiat frater, abhorrens ab re uxoria. Quo artificio postquam elicuit ex eo verba *Ita di faxint*, quae sunt voto respondentium (cf. 213, 745 etc.), maleque Eunomiae tribuuntur ut pridem Lamb. intellexit; jam aperte rem dicit; ejulante quidem sene. 111. Vocabuli *face* posterior syllaba pro longa et propter interpunctionem. Vid. not. ad Amph. 285. 112. Libri depravato metro: *emoriar.* Exaratum scriptura continua *quidemmoriar* transiit in *quidemoriar*, ex quo ortum *quidem emoriar.* 113. V.: *veniat*, quod versui minus aptum. V. autem hunc inter et antecedentem versum legitur *Sed his legibus si quam dare, vis, ducam*, quae non habentur in Guelf. Helmst. et vett. edd. Glossema hoc versus 114., ex quo glossemate *si* servandum putavi. 116. Inepte libri: *Sed est gr. natu. Natu* ex margine irrepsit. Cf. 148. et Amph. 70. 118. V.: *Num non.* Monac. a correctore: *Non nam.* 119. Ita legendum censuit Gron., neque aliter Helmst. Langg. et ipse Camer. liber, teste Pareo. V.: *qui mediam.* 120. V.: *praegnantem.*

Nunc istum ego, soror, laborem degam et deminuam tibi.
Ego virtute deum et majorum nostrum dives sum satis:
Istas magnas factiones, animos, dotis dapsilas,
Clamores, imperia, eburata vehicla, pallas, purpuram,
Nil moror, quae in servitutem sumtibus redigunt viros.
Eun. Dic mihi, sodes, quis ea est, quam vis ducere uxorem?
Me. Eloquar.
Novistin' hunc senem Euclionem ex proxumo pauperculum? i. t.
Eun. Novi, hominem haud malum mecastor. Me. Ejus cupio filiam t. t. c.
Virginem mihi desponderi. Verba ne facias, soror.
Scio, quid dictura es: hanc esse pauperem. Haec pauper placet.
Eun. Di bene vortant! Me. Idem ego spero. Eun. Quidni? — Numquid vis? Me. Vale.
Eun. Et tu frater. Me. Ego conveniam Euclionem, si domi
Est. Sed eccum nescio unde sese homo recipit domum!

EUCLIO. MEGADORUS.

Eu. Praesagibat mi animus, frustra me ire, quom exibam domo: t. t. c. II, 2
Itaque abibam invitus: nam neque quisquam curialium
Venit, neque magister, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet sum hic, animus domi est.
Me. Salvos atque fortunatus, Euclio, semper sies!
Eu. Di te ament, Megadore! Me. Quid tu? recten' atque, ut vis, vales?
Eu. Non temerarium est, ubi dives blande adpellat pauperem:
Jam illic homo aurum scit me habere: eo me salutat blandius.
Me. Ain' tu, te valere? Eu. Pol ego haud perbene a pecunia.
Me. Pol si est animus aequos tibi, habes sat, qui bene vitam colas.
Eu. Anus hercle huic indicium fecit de auro; perspicue palam est;

122. Sic Monac. aliquot Pall. vel a 1. manu, vel a 2., et edd. principes. Cf. Non Epid. 63. V.: *demam*. 123. V.: *nostrorum*. 124. Sic Non. v. Factio et Palatinorum unus, ut et alibi Plautus et veteres. V.: *dapsiles*. 132. V.: *Quid! me nunc quid vis? Numquid* legendum esse, dudum alii intellexerunt.

Quoi ego jam linguam praecidam atque oculos ecfodiam domi!
ME. Quid tu solus tecum loquere? EU. Meam pauperiem conqueror:
Virginem habeo grandem, dote cassam atque inlocabilem;
Neque eam quo locare quoiquam... ME. Tace; bonum habe animum, Euclio:
Dabitur: adjuvabere a me. Dic, si quid opust; impera.
EU. Nunc petit, quom pollicetur; inhiat aurum, ut devoret;
Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.
Nemini credo, qui large blandust dives pauperi:
Ubi manum injicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam.
Ego istos novi polypos, qui ubi quid tetigerunt, tenent. i. t.
ME. Da mi operam parumper: paucis, Euclio, est quod te volo t. t. c.
De communi re adpellare mea et tua. EU. Hei misero mihi!
Aurum mi intus harpagatum est: nunc hic eam rem volt, scio,
Mecum adire ad pactionem: verum intervisam domum.
ME. Quo abis? EU. Jamjam ad te revortar: namque est, quod visam domum.
ME. Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
Mi ut despondeat, sese a me derideri rebitur;
Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior. i. t.
EU. Di me servant: salva res est! salvom est, si quid non perit. t. t. c.
Nimis male timui, priusquam intro redii! exanimatus fui! —
Redeo ad te, Megadore, si quid me vis. ME. Habeo gratiam.
Quaeso, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
EU. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui. as. t. d. i. d.
ME. Dic mihi: quali me arbitraris genere prognatum? EU. Bono. t. t. c.
ME. Quid fide? EU. Bona. ME. Quid factis? EU. Neque malis, neque inprobis.
ME. Scis meam aetatem? EU. Scio, esse grandem, itidem ut pecuniam.

149. Interpellatus Euclio hoc vel simile quid additurus erat: *id durum est mihi pauperi, qui vix me solum sustentem. Quo*, ut 443, 445, etc. Libri ταυτολογικῶς: *N. e. queo l. cuiquam.* 155. *ubi, uibi, ibi,* vett. non *sibi*; *tetigerunt* Helmstad. et Langg. V.: *qui sibi quicquid tetigerint, t.*, cum jam olim Cam. posuisset: *ubi quid tetigerint.*

ME. Certe edepol equidem te civem sine mala omni malitia
Semper sum arbitratus, et nunc arbitror. EU. Aurum huic olet.
Quid nunc me vis? ME. Quoniam tu me et ego te, qualis sis, scio:
Quae res recte vortat mihique tibique tuaeque filiae,
Filiam tuam mi uxorem posco. Promitte, hoc fore.
EU. Heia Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me irrideas:
Nam de te neque re neque verbis merui, ut faceres quod facis.
ME. Neque edepol ego te derisum venio, neque derideo,
Neque dignum arbitror. EU. Cur igitur poscis meam gnatam tibi?
ME. Ut propter me tibi sit melius, mihique propter te et tuos. i. t.
EU. Venit hoc mihi, Megadore in mentem, ted esse hominem divitem, t. t. c.
Factiosum; me item esse hominem pauperum pauperrumum:
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem esse, et med asellum: ubi tecum conjunctus siem:
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto;
Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem;
Et ted utar iniquiore, et meus med ordo irrideat;
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divorti fuat:
Asini me mordicibus scindant, cornibus incursent boves.
Hoc magnum est periclum, ab asinis me ad boves transcendere.
ME. Quam ad probos propinquitate proxume te adjunxeris,
Tam optumum est. Tu conditionem hanc accipe (ausculta mihi),
Atque eam desponde mi. EU. At nil est dotis quod dem. ME. Ne duas: as. t. d. i. d.
Dummodo morata recte veniat, dotata est satis. t. t. c.
EU. Eo dico, ut ne me thesauros reperisse censeas,
ME. Novi: ne doceas. Desponde. EU. Fiat — Sed pro Jupiter!
Non ego disperii? ME. Quid tibi est? EU. Quid crepuit quasi ferrum modo? i. t.

184. Sic omnes scripti. V.: *esse* desideratur. 186. V.: *et me esse as.* In Langianis *esse* non legebatur. 199. Cod. Camer. et Pal. 3. *Nun*, Langg. *Num ego disp.*

Me. Hic apud me hortum confodiri jussi. Sed ubi hic est homo? t. t. c.
Abiit, neque me certiorem fecit: fastidit mei.
Quia videt me suam amicitiam velle, more hominum facit.
Nam si opulentus it petitum pauperioris gratiam:
Pauper metuit congrediri; per metum male rem gerit;
Idem, quando occasio illaec periit, post sero cupit.
Eu. Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus:
Imperod auctorque sum, ut me quoivis castrandum loces.
Me. Video hercle ego ted arbitrari me, Euclio, hominem idoneum,
Quem senecta aetate ludos facias, haud merito meo.
Eu. Neque edepol, Megadore, facio, neque, si cupiam, copia est.
Me. Quid nunc? etiam mihi despondes filiam? Eu. Illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. Me. Sponden' ergo? Eu. Spondeo. Me. Istuc t. t.
Di bene vortant! Eu. Ita di faxint! Illud facito ut memineris t. t. c.
Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te adferret filia.
Me. Memini. Eu. At scio, quo vos soleatis pacto perplexarier:
Pactum non pactum est, non pactum pactum est, quod vobis lubet.
Me. Nulla controversia mihi tecum erit. Sed nuptias
Hodie quin faciamus, num quae causa est? Eu. Imo edepol optuma. as. t. d. i. d.
Me. Ibo igitur; parabo. Numquid me vis? Eu. Istuc. Me. Fiat. Vale.
Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum strenue! t. t. c.
Eu. Ille hinc abiit. Di inmortales, obsecro, aurum quid valet!
Credo ego illunc jam inaudisse, mi esse thesaurum domi:
Id inhiat; ea adfinitatem hanc obstinavit gratia.

200. V.: *confodere.* Sed requiritur passivum. *Fodiri* legitur apud Columellam. Cf. Scalig. ad Festum ed. Dacer. p. 104. 204. Sic Acidal. V.: *congredi.* 219. Sic Langg. V.: *Fiet.* Donat. ad Terent. Eun. 3, 2, 47.: Faciam *vel* Fiet *diceret servus; liber vero* Fiat, *tanquam et ipse jubeat sibi.*

EUCLIO. STAPHYLA.

Eu. Ubi tu es, quae deblaterasti jam vicinis omnibus, t. t. c. II, 3
Meae me filiae daturum dotem? Heus, Staphyla, te voco!
Ecquid audis? Vascula intus pura propere atque elue!
Filiam despondi ego; hodie nuptum huic Megadoro dabo.
Sta. Di bene vortant! Verum ecastor non potest: subitum est nimis.
Eu. Tace atque abi! Curata fac sint, quom a foro redeam domum, i. t.
Atque obclude aedis! Jam ego hic adero. Sta. Quid ego nunc agam? t. t. c.
Nunc prope adest nobis exitium, mi atque herili filiae:
Nam probrum atque partitudo prope adest ut fiat palam;
Quod celatum atque occultatum est usque adhuc, nunc non potest.
Ibo, intro: ut, herus quae imperavit, facta, quom veniat, sient.
Nam ecastor malum moerore metuo ne mistum bibam!

STROBILUS. ANTHRAX. CONGRIO.

Str. Postquam obsonavit herus et conduxit cocos i. s. III, 1
Tibicinasque hasce apud forum: edixit mihi,
Ut dispartirem obsonium hinc bifariam.
A. Me quidem hercle (dicam propalam) non divides;
Si quo tu totum me ire vis: operam dabo.
C. Bellum et pudicum vero prostibulum popli!
Post, si quis vellet, te haud non velles dividi.
Str. Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram,
Non istuc, quo tu insimulas. Sed herus nuptias

226. *pura* Palmer. Spicil. pag. 668, Acidal., alii, et eo pertinet Helmstadiensis libri scriptura *para*. V.: *pure propera*. 230. *occlude*, verbum gravissimum, non eliditur. 234. Guelf.: *veniet*; Helmst.: *venient*. 235. Ita Gron. V.: *moerorem*, transtinente m littera sequentis verbi. 239. Congrioni haec tribuuntur in vulgatis libris, et sic per totam scenam erratur circa nomina coquorum. 243. Haec quoque Congrioni assignantur; sed in Monacensi scriptum *Str.* a manu veteris correctoris. 244. Soloece libri: *quod tu ins.*

Meus hodie faciet. A. Quojus ducit filiam?
Str. Vicinid Euclionis hujus e proxumo.
Ei adeo obsoni hinc jussit dimidium dari,
Cocum alterum, itidemque altĕram tibicinam.
A. Nempe huc dimidium dicis, dimidium domum?
Str. Nempe, sicut dicis. A. Quid? hic non poterat de suo
Senex obsonari filiai in nuptiis?
Str. Vah! A. Quid negoti est? Str. Quid negoti sit, rogas?
Pumex non aeque est aridus atque hic est senex.
A. Ain' tandem, ita esse, ut dicis? Str. Tute existuma.
Quin divom atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem periisse, seque eradicarier,
De suo tigillo fumus si qua exit foras.
Quin, quom it dormitum, follem obstringit ob gulam.
A. Cur? Str. Ne quid animae forte amittat dormiens.
A. Etiamne obturat inferiorem gutturem?
[Ne quid animae forte amittat dormiens.]
Str. Haec mihi ted, ut tibi med, aequom est credere.
A. Imo equidem credo. Str. At scin' etiam, quomodo?
Aquam hercle plorat, quom lavat, profundere.
A. Censen' talentum magnum exorarier
Ab istoc sene ut det, qui fiamus liberi?
Str. Famen hercle utendam, si roges, nunquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor unguis demserat:
Conlegit omnia, abstulit, praesegmina.
A. Edepol mortalem parce parcum praedicas.
C. Censen' vero, adeo parcum et misere vivere?
Str. Pulmentum pridem eji eripuit milüos:
Homo ad praetorem deplorabundus venit;
Infit ibi postulare, plorans, ejulans:
Ut sibi liceret milüom vadarier.
Sexcenta sunt, quae memorem, si sit otium.
Sed uter vostrorum est celerior? memora mihi.
C. Ego, multo melior. Str. Cocum ego, non furem, rogo.

245. Langg.: *ducet.* 249. V.: *N. huic d. d., domi.* Langg.: *domui. Domum* placuit Acidalio. Possis etiam scribere: *N. hic d., d. domi.* 258. Ita Guelf. Helmst. et vett. mediaeque edd. V.: *follem sibi obstr.* 260. Uncis inclusa recte absunt a Guelferbytano. 264. V, in ordinem recepta interpretatione, quam ipse versus respuit: *exorari potesse Ab* etc. 271. V.: *ei. Pridem* non liquescit. 277. Sic Langg. V.: *E., ut m. mel.*, quae est explicatio.

C. Cocum ego dico. Str. Quid tu ais? A. Sic sum, ut vides.
C. Cocus ille nundinalis est: in nonum diem
Solet ire coctum. A. Tun', trium litterarum homo,
Me vituperas? C. Fur? Etiam fur trifurcifer . . . .
Str. Tace nunc jam tu, atque agnum hinc uter est pinguior, . . .
C. Licet . . . ? Str. Tu sume. C. At qui? Str. Abi intro huc! vos eum sequimini!
Vos ceteri illuc ad nos! C. Hercle injuria
Dispartivisti: pinguiorem agnum isti habent.
Str. At tibi nunc dabitur pinguior tibicina.
I sane cum illo, Phrygia. Tu autem, Eleusium,
Huc intro abidum ad nos. C. O Strobile subdole,
Huccine detrusti me ad senem parcissumum,
Ubi, si quid poscam, usque ad ravim poscam prius
Quam quidquam detur? Str. Stultius et sine gratia est,
Ibi recte facere, quando, quod facias, perit.
C. Qui vero? Str. Rogitas? Jam principio in aedibus
Turba istic nulla tibi erit; si qui uti voles:
Domo abs te adferto: ne operam perdas poscere.
Hic autem apud nos magna turba ac familia est,
Suppellex, aurum, vestes, vasa argentea:

278. *Cocum*, vox magni ponderis, non eliditur: ne *ergo* legendum putes. 281. *Et. fur trif.* Subaudi: tu ipse es, vel quiddam simile. 283. Pro hoc versu duo ejusmodi habentur in plerisque libris:

C. Licet. St. tu Congrio eum sume, atque abi
Intro illuc, et vos illum sequimini.

Nec multo melius edd. quaedam vett., in quibus haec in unum, nescio quem, versum constipantur. Glossema est nomen *Congrio:* idque falsum, siquidem alteri coquo favet Strobilus. Dein Langg: *Atque*, non *atque*, medio in versu, ut fieri solet, ubi personae mutantur. Posset etiam legi: *Atque* (vel *Atqui*) . . . ., ut interpellari statueremus hominem, haec vel similia quaedam additurum: hic agnus mihi debetur, vel: haec injuria est. Sed eo remedio non abutendum, quod quidem recte adhibetur in verbo *Licet* (eum *mihi* sumere)? *Eum* pro *illum* libri plurimi. 284. Ita Helmstad. et Monac.: nam vulgo verba *Hercle — habent* Congrioni tribuuntur. Sed in hisce rebus librorum fere nulla est auctoritas: vide Donat. ad Terent. Adelph. 4, 1, 16, G. Canter. Nov. Lectt. 7, 2, Palmer. Spicil. Lamp. Gruter. 4. p. 867. 285. Ita Helmstad. V.: *Dispertivisti.* 288. Sic Iunt. Ald. Cf. Guil. Quaest. in Capt. c. 2. V.: *abi.* 289. Sic Acid. V.: *detrusisti.* 291. V.: *stultum*, sed liber Camer., 5 nostri, Pall. 4 et vett. edd.: *stultus es*, h. e. *stultius est*, cujus glossema est *stultum*. Cf. Amph. prol. 56 etc. 292. *Ibi.* Libri vett.: *Tibi.* (*estibi*, *esttibi.*) 294. *qui.* Libri *quid*, vel *quod*, ut vulgo. 296. Sic plerique vett. V.: *Hic ap. nos magna t. ac magna fam. est.*

Ibi si perierit quidpiam (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obviam est):
Dicant: Coci abstulerunt: conprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite!
Horunc tibi istic nihil eveniet: quippe qui,
Ubi quid subripias, nihil est. Sequere hac me. A. Sequor.

STROBILUS. STAPHYLA. CONGRIO.

Str. Heus, Staphyla, prodi atque ostium aperi?
Sta. Qui vocat? i. s. III, 2
Str. Strobilus. Sta. Quid vis? Str. Hos ut accipias cocos
Tibicinamque obsoniumque in nuptias.
Megadorus jussit Euclioni haec mittere.
Sta. Cererin' facturi has, mi Strobile, nuptias?
Str. Qui? Sta. Quia temeti nihil adlatum intellego.
Str. At jam adferetur, si a foro ipsus redierit.
Sta. Ligna hic apud nos nulla sunt. C. Sunt asseres?
Sta. Sunt pol. C. Sunt igitur ligna: ne quaeras foris.
Sta. Quid, inpurate? quamquam Volcano studes,
Coenaene causa, aut tuae mercedis gratia,
Nos nostras aedis postulas conburere?
C. Haud postulo. Str. Duc istos intro. Sta. Sequimini.

PYTHODICUS.

Curate; ego intervisam, quid faciant coci, i. s. III, 3
Quos pol ego ut hodie servem, cura maxuma est.
Nisi unum hoc faciam, in puteo uti coenam coquant;
Inde coctam subducemus sursum corbulis.
Sin autem deorsum comedent, si quid coxerint:
Superi incoenati sint et coenati inferi.
Sed verba hic facio, quasi negoti nil siet,
Rapacidarum ubi tantum siet in aedibus.

308. *mi Strob.* Macrob. Sat. 3, 11., edd. Parmens. et Argent. a. 1514. V. *mi* desideratur. 320. V.: *I. c.* *sursum subd. corb.* Langg.: I. c. *subd. corb. Surs.*, variata incisione versus.

EUCLIO. CONGRIO.

Eu. Volui animum tandem confirmare hodie meum, i. s. III, 4.
Ut bene me haberem filiai in nuptiis:
Venio ad macellum, rogito piscis; indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia;
Atque eo fuerunt cariora: aes non erat.
Abeo illim iratus: quoniam qui emam, est nihil;
Ita illis inpuris omnibus adivi manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Occoepi: Festo die si quid prodegeris:
Profesto egere liceat, nisi peperceris.
Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi:
Accessit animus ad meam sententiam,
Quam minumo sumtu filiam ut nuptum darem.
Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas;
Haec inponentur in foco nostro Lari:
Ut fortunatas gnatae faciat nuptias.
Sed quid ego apertas aedis nostras, conspicor?
Et strepitus intust! numnam ego conpilor miser?
C. Aulam majorem, si potest, vicinia
Pete: haec est parva; capere non quit. Eu. Hei mihi!
Perii hercule! aurum rapitur! aula quaeritur!
Nimirum occidor, nisi ego intro huc propere propero currere! t. t. c.
Apollo, quaeso, subveni mi atque adjuva, i. s.
Quoi in re tali jam subvenisti antidhac!
Confige sagittis fures thesaurarios!
Sed cesso prius, quam prorsus perii, currere?

326. Deest *me* vulgatis. Liber Cam. inter versus, teste Pareo, id habuit ante *filiae*. Argent. a. 1514.: *filiae me in nuptiis*. V.: *Ut b. h. filiae n.* Dedi emendationem G. J. Vossii. 329. Concinniora haec erunt, si legetur *Vitul., porc., cetum*. 331. V.: *A. ir. illinc, qu. nihil est, q. em.* Guelf.: *est nihil*. Non liquescit *emam*. 332. V.: *adii*. 339. Ita Prisc. p. 611. Putsch. V.: *N. t. e. et hasce cor. fl.* 344. *potest*, fieri potest. Libri et hic et 353 aliisque locis: *potes*, errore tralaticio. Cf. Douza Centur. 1, 13. *Viciniam* fere scripti, non *vicinia*. 347. Convenit gliscenti senis affectui metrum gravius, nec sequar Palatinos aliosque, codd., in quibus *propere* non habetur, quod quidem vel forte exciderit, vel omissum de industria fuerit ab aliquo senarium hinc in jambicum exsculpturo. 349. male legitur post sequentem.

ANTHRAX.

Dromo, desquama piscis. Tu, Machaerio, i. s. III, 5
Congrum, muraenam, exdorsua, quantum potest.
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
A Congrione. Tu istum gallum, si sapis,
Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludiust.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coci hercle, credo, faciunt officium suom.
Fugiam intro: ne quid turbai hic itidem fuat.

CONGRIO.

Opdati cives, populares, incolae, adcolae, advenae omnes, t. t. III, 6.
Date viam, qua fugere liceat! facite totae plateae pateant!
Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum;
Ita me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt.
Totus doleo atque oppido perii: ita me iste habuit senex gymnasium; as. t. d. i. d. h.
Neque ligna ego usquam gentium praeberi vidi pulcrius. i. t.
Itaque omnis exegit foras, me atque hos, onustos fustibus. i. t.
Attat, perii miser hercule ego: aperit Bacchanal, adest, as. a. d. t. d.
Sequitur! Scio, quam rem geram: hoc ipsus me magister docuit. as. t. d. i. d. c.

353. Ita Guelf. Helmst., unus Palatinorum et Non. 1. n. 61., nisi quod *potes* ibi legitur pro *potest*. Ceteri Palatt., liber Camer. et Monac.:

Congrum muraenam exossata fac sient,

quae videtur esse *διττογραφία*. Ex quibus, omissis verbis *Congrum muraenam*, et de se additis aliis, qualia excidisse videbantur, novum versum conflavit Cam. hujuscemodi:

Atque omnia, dum absum hinc, exossata fac sient.

quae merito confodi jussit Gruterus. 359. V.: *ne quid hic turbae fiat itidem*. Vett. fere: *ne q. t. h. it. fiat.* Sic saepius erratum: cf. 380.

EUCLIO. CONGRIO.

Eu. Redi! quo fugis nunc? tene, tene! Co. Quid stolide, clamas? i. tr. h. III, 7
Eu. Quia ad Trisviros jam ego deferam tuom nomen. Co. Quamobrem?
Eu. Quia cultrum habes. Co. Cocum decet. Eu. Quia comminatus
Mihi. Co. Istuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
Eu. Homo nullust te scelestior qui vivat hodie,
Neque quoi de industria ego amplius male lubens faxim!
Pol si taceas, palam id quidem est: res ipsa testis:
Ita fustibus mollior miser mage quam ullus cinaedus.
Co. Sed quid tibi nos tactio est, mendice homo? quae res?
Eu. Etiam rogas? an, quia minus, quam erat aequom feci?
Sine! Co. At hercle cum magno malo tuo, si hoc caput sentit!
Eu. Pol ego haud scio, quid post fuat: tuom nunc caput sentit!
Sed in aedibus quid tibi meis nam erat negoti
Me absente, nisi ego jusseram? Volo scire. C. Tace ergo:
Quia venimus coctum ad nuptias. Eu. Quid tu, malum, curas,
Ego utrum crudum an coctum edim, nisi tu mi es tutor?
C. Volo scire, sinas, an non sinas, nos coquere hic coenam?
Eu. Volo scire item ego, meaen' domi mea salva futura?
C. Utinam auferam modo, quae attuli, mihi mea salva!
Mei haud poenitet: tuane expetam? Eu. Scio: ne doce! novi!

371. V.: *Quid comminatus mihi?* 374. V.: *N. cui* (Langg. *quoi*) *ego de ind. ampl. male* (Guelf. *mali*, Helmstad. *malis*) *plus lubens f.* Glossema est *plus*. 375. Libri numero durissimo: *Pol etsi tac.* Vid. Parei lexic. Plaut. v. Si pro Etsi. 376. V.: *I. f. sum moll.* Subaudienda copula, sicut passim. Nescio quis codex, cujus meminit Jan. Gebhard. Antiqu. Lectt. 1, 8.: *submolior*, quod ille accipit pro eo, quod est *submolor*, vel potius (nam id inusitatum) *permolor* censu figurato. Sed hoc ut ei demus: ineptum tamen est illud verbi siquidem nunc homo non vapulat, sed vapulavit ab Euclione, verberatusque aufugit. Quo, igitur, quaeso, in re actá tempus praesens? 378. V.: *nogitas?* Langg.: *erat aequ.* V.: *aequ. erat.* 380. V.: *fiat.* correxerunt alii: vid. Pareus, et cf. 359. 384. *Ego* non legitur in vulgatis libris, Langiani habent post *coctum*, suo loco posuit. Reiz. a. p. G. Hermann. libri de metris p. 171. 386. V.: *meae de meane s. f.* MSS. fere *mea* pro *meane*. 388. V.: *Me h. p.* Camer. malebat *Meum* pro Meorum. Cl. 717

C. Quid est, qua nunc prohibes gratia nos coquere hic coenam?
Quid fecimus, quid tibi diximus, secus quam velles?
Eu. Etiam rogas, sceleste homo? Quia anglos omnis
Mearum aedium et conclavium mihi perviam facitis.
Id ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses:
Non fissiled haberes caput. Merito id tibi factum est!
Adeo ut tu meam sententiam jam noscere possis:
Si ad januam huc accesseris, nisi jusso, propius:
Ego faciam te, miserrumus mortalis uti sis.
Scis jam meam sententiam? C. Quo abis? redi rursum!
Ita me bene amet Laverna, te jam, nisi si reddi
Mihi vasa jubes, hic pipulo differam ante aedis!
Quid ego nunc agam? Nae ego edepol veni huc auspicio malo: t. t. c.
Numo sum conductus; plus jam medico mercedist opus.
Eu. Hoc quidem hercle, quoquod ibo, mecum erit, mecum feram,
Neque istuc in tantis periclis unquam committam ut siet. i. t.
Ite sane nunc jam intro omnes et coci, et tibicinae!
Etiam huc introduce, si vis, vel gregem venalium!
Coquite, facite, festinate nunc jam, quantum lubet!
C. Temperi: postquam inplevisti fusti fissorum caput.
Eu. Intro abi: opera huc est conducta vostra, non oratio.
C. Heus, senex, pro vapulando hercle abs te ego mercedem petam:
Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.
Eu. Lege agito mecum! molestus ne sis! Aut coenam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab aedibus! C. Abi tu modo.
Eu. Ille hinc abiit. Di inmortales, facinus audax incipit,
Qui cum opulento homine pauper coepit rem habere aut negotium! i. t.
Veluti me Megadorus tentat omnibus miserum modis, t. t. c.
Qui simulavit, mei se honoris mittere huc causa cocos;
Is ea causa misit, hoc qui surperent misero mihi.

389. Libri minus expedito versu: *prohibeas*. Glossema hoc, nisi fallor, indicativi, Graecorum et veterum Latinorum more usurpati. 390. Sic plerique vett. V.: *sequius*. 391. V.: *E. rogitas, sc. h., qui angulos o.* 394. V.: *fissile* Helmst. *fissilea*, h. e. *fissiled*. 395. V., refragantibus vett. *jam jam*. 396. V.: *jussero*, correpta o littera finali, quam produci satius est apud priscos. 400. *diff.* non est elidendum. 402. *mercedist*, mercedis est. V.: *p. i. med. mercede op. est.* 406. *huc* non reperio in priscis, et abesse potest, verbo *Etiam* non eliso. 410. V.: *Heu.* 412 Sic. Langg. Helmst. et Monac. V.: *ne sis: i et c. coque.* 418. V.: *surriperent*.

Condigne etiam meus med intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit penissume:
Ubi erat haec defossa, occepit scalpturire ibi ungulis
Circumcirca. Quid opust verbis? ita mihi pectus peracuit:
Capio fustem, obtrunco gallum, furem manufestarium.
Credo, edepol ego illi mercedem gallo pollicitos cocos,
Si id palam fecisset: exemi ex manu manubrium.
Quid opust verbis? facta est pugna in gallo gallinaceo.
Sed Megadorus, meus adfinis, eccum incedit a foro!
Jam hunc non ausim praeterire, qui consistam et conloquar.

MEGADORUS. EUCLIO.

Me. Narravi amicis multis consilium meum I. s. III, 8
De conditione hac Euclionis filiae.
Laudant; sapienter factum et consilio bono,
Nam, meo quidem animo, si idem faciant ceteri
Opulentiores, pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum:
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidia nos minore utamur, quam utimur;
Et illae malam rem metuant, quam metuont, magis;
Et nos minore sumtu simus, quam sumus.
In maxumam illuc populi partem est optumum;
In pauciores avidos altercatio est,
Quorum animis avidis atque insatietatibus
Neque lex neque tutor capere est qui possit modum.
Namque hoc qui dicat: Quo illae nubent divites
Dotatae, si istud jus pauperibus ponitur?
Quo lubeat, nubant, dum ne dos fiat comes.
Hoc si ita fiat: mores meliores sibi
Parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sint viliores Gallicis cantheriis.
Eu. Ita me di amabunt, ut ego hunc ausculto lubens:
Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.
Me. Nulla igitur dicat: Equidem dotem ad te attuli
Majorem multo quam tibi erat pecunia:

424. Ita scripti. V.: *ego edepol.* 425. Sic liber Camerar. Pall. Helmst. V.: *e manu.* 430. Ita Conr. Rittershusius ap. Sciopp. Susp. Lectt. 4, 3. V.: *De c. hac. Eucl. filiam Laudant* etc. 441. Fort.: *Q. a. invidis* (Ividis) *a insatiatibus.* 449. V.: *Sicut.*

Enim mihi quidem aequom est purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedisequos,
Salutigerulos pueros, vehicla, qui ferar.
Eu. Ut matronarum hic facta pernovit probe!
Moribus praefectum mulierum hunc factum velim!
Me. Nunc quoquo venias, plus plaustrorum in aedibus
Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulcrum est, prae quam ubi sumtus petunt:
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones patagiarii, indusiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murobrecharii;
Propolae linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii adstant, adstant molochinarii;
Petunt ciniflones, sarcinatores petunt;
Strophiarii stant, stant semizonarii.
Jam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt
Treceni, constant, stant phylacistae in atriis,
Textores, limbularii, arcularii.
Ducuntur; datur aes. Jam absolutos censeas:
Quom incedit infector crocotularius,
Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat.
Eu. Conpellarim illum, ni metuam, ne desinat
Memorare mores mulierum: nunc sic sinam.
Me. Ubi nugigerulis res soluta est omnibus
Pro illis crocotis, strophiis, sumtu uxorio:
Ibi ad postremum cedit miles, aes petit.
Itur, putatur ratio cum argentario;
Inpransus miles adstat, aes censet dari.
Ubi disputata est ratio cum argentario:
Etiam ipsus ultro debet argentario,

456. Sic Langg. V.: *vehar*. 465. Alii aliter; sed MS. Meurs. et ed. Argent. a. 1514.: *myrobrecharii*, quot merito arrisit Meursio, neque aliud significant hae scripturae *mirobrecharii*, *mirobrecarii*, *merobrecarii*. 469. *ciniflones*. Vid. Horat. Sat. 1, 2, 97. V.: *fullones*. Sed cf. 462. 470. Libri proculcato metro *astant* utroque loco. 470. Sic plerique libri. V.: *Tr. cum stant phyl. in aed.* 474. V. perverso metro: *Jam hosce abs.* 475. Haud melius libri: *cum incedunt infectores crocotarii*, cum prima syllaba in *crocota* corripiatur, secunda producatur. Junt. Ald: *crocotularii*. Non semel sic erratum: cf. Amph. 70, Most. 164. etc. 477. Itidem κακομέτρως legitur: *Compellarim ego*. Acid.: *Compellem ego*. 480. Vid. not. ad Aul. fragm. 6. 485. Libri versu septenario: *Et plus ipsus* etc. Correxit Lamb. Ortum autem videtur *plus* ex simili verbo *ipsus*.

Spes prorogatur militi in alium diem.
Haec sunt atque aliae multae in magnis dotibus
Incommoditates sumtusque intolerabiles:
Nam quae indotata est, ea in potestate est viri;
Dotatae mactant et malo et damno viros.
Sed eccum adfinem ante aedis! Quid agis, Euclio?
Eu. Nimium lubenter edi sermonem tuom.
Me. Ain'? audivisti? Eu. Usque a principio omnia.
Me. Tamen meo quidem animo aliquanto facias rectius,
Si nitidior sis filiai in nuptiis.
Eu. Pro re nitorem et gloriam pro copia;
Qui habent, meminerint sese, unde oriundi sient;
Neque pol, Megadore, mihi nec quoiquam pauperi
Opinione melius res structa est domi.
Me. Imo est. Eu. E s t? Me. E s t et divi faciant, ut siet,
Plus plusque istuc sospitent, quod nunc habes!
Eu. Illuc mihi verbum non placet: Quod nunc habes. —
Tam hic scit, me habere, quam egomet: anus fecit palam!
Me. Quid tu te solus e senatu sevocas?
Eu. Pol ego, ut te adcusem, merito meditabor. Me. Quid est?
Eu. Quid sit me rogitas, qui mihi omnis angulos
Furum inplevisti in aedibus misero? Me. Tibi?
Qui? Eu. Intromisisti in aedis quingentos cocos
Cum senis manibus, genere Geryonaceo,
Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Jovi Juno custodem addidit,
Is nunquam servet; praeterea tibicinam,
Quae mi interbibere sola, si vino scatet,
Corienthiensem fontem Pirenen potest.
Tum obsonium autem... Me. Pol vel legioni sat est.
Etiam agnum misi. Eu. Quo quidem agno sat scio

487. Langg. Monac.: *Hae.* Glossema. 491. Sic vel *Quid agitur?* plerique omnes vett., tam scripti, quam cusi. V.: *Quid ais?* quae formula est aliquid novi in medium afferentium. 492. *edi* laudat explicatque Non. Plauti codd.: *audivi*, praeter librum Camer. in quo teste Pareo, scriptum erat initio *N. l. di.* (unde corrector fecit *edi*) *audivi s. t.* Potest igitur, ut hallucinatus more suo fuerit bonus Marcellus, legendumque sit

Nimium lubenter, di! audi sermonem tuom.

Vide interpp. ad Ovid. Met. 12, 545, Gronov. ad Senec. Thyest. 1071. nos ad Octav. 792. 494. Sic Langg. et Helmstad. V.: *T. e. meo q. a.* ... 495. Sic Douza Centur. 1, 13. V.: *filiae.* 500. V.: *dii.* 501. *plusque* non eliditur. 503. Sic vett. edd. V.: *T. hoc scit.* 507. V.: *misero mihi: Qui introm.*, bis posito *mihi*, sine emphasi. Non semel mixta haec pronomina. 508. Libri soloece: *in aedibus.* Vid. not. ad Amph. 896.

Mage curionem nusquam esse ullam beluam.
Me. Volo ego ex te scire, qui sit agnus curio.
Eu. Quia ossa ac pellis totust: ita cura macet;
Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet:
Ita is pellucet, quasi laterna Punica.
Me. Caedundum illum ego conduxi. Eu. Tum tu idem (optumum est)
Loca ecferundum: nam jam, credo, mortuost.
Me. Potare ego hodie, Euclio, tecum volo.
Eu. Non potem ego quidem hercule. Me. At ego jussero
Cadum unum vini veteris a me adferrier.
Eu. Nolo hercle: nam mihi bibere decretum est aquam.
Me. Ego te hodie reddam madidum, si vivo, probe,
Tibi quoi decretum est bibere aquam! Eu. Scio, quam rem agat:
Ut me deponat vino, eam adfectat viam:
Post aut commutet, quod habeo, hoc coloniam,
Ego id cavebo: nam alicubi abstrudam foras.
Ego faxo et operam et vinum perdiderit simul.
Me. Ego, nisi quid me vis, eo lavatum; ut sacruficem —
Eu. Edepol nae tu, aula, multos inimicos habes,
Atque istuc aurum, quod tibi concreditum est!
Nunc hoc mihi factu optumum est, ut auferam
Ted, Aula, in Fidei fanum: ibi te abstrudam probe.
Fides, novisti me et ego te: cave sis tibi,
Ne tu inmutassis nomen, si hoc concreduo!
Ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia.

S T R O B I L U S.

Hoc est servi facinus frugi facere, quod ego persequor; t. t. c. IV, 1.

517. V.: *M. curiosam*, quod falsum arguit responsio Megadori. Cf. Guil. Verisimm. 3, 8. 519. Ita librorum vett. pars major. V.: *Qui ossa.* 523. Sic edd. mediae. V.: *Loces.* 528. Sic Pall., 3 nostri etc. V.: *E. te h. r. m., sed vino, p.* 529. *Tibi cui* plurimi codd. Vid. Parei lexic. v. Tibi. V.: *Te, cui.* 532. V.: *foris.* 537. sequ. *Nunc — Aula.* Ita Meurs. Exercitt. crit. e. 4. V.: *N. h. m factum e. o., ut te auf. Aulam.* V. quoque alterum te omittitur, quod praebuit Monac. 540. Sic Acid. V.: *Ne tu in me mutassis*, cum librarius, nisi fallor, male a se perscripto *me* emendatum *mu* apposuisset, ut fieri videmus in codicibus. Cf. Ba. 468 etc.

Nec morae molestiaeque imperium herile habeat sibi.
Nam qui hero ex sententia servire servos postulat:
In herum matura, in se sera, condecet capessere;
Sin dormitet: ita dormitet, servom sese ut cogitet.
Nam qui amanti servitutem servit, quasi ego servio,
Si videt superare amorem: hoc servi esse officium reor:
Retinere ad salutem; non eum, quo incumbat, eo inpellere.
Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea induitur ratis: i. t.
Ut toleret, ne pessum abeant, et uti facilius moveant manus:
Eodem modo servom ratem esse amanti hero aequom censeo;
Tamque imperium ediscat, ut, quod frons velit, oculi sciant; t. t. c.
Quod jubeat, citis quadrigis citius properet persequi.
Qui ea curabit, abstinebit censione bubula,
Neque opera sua in splendorem rediget unquam conpedes.
Nunc herus meus amat hujus filiam Euclionis pauperis;
Eam hero nunc renunciatum est nuptum huic Megadoro dari:
Id speculatum huc misit me, ut, quae fierent, fieret particeps.
Nunc sine omni suspicione in ara hic adsidam sacra:
Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier.

EUCLIO. STROBILUS.

Eu. Tu modo cave quoiquam indicassis, aurum meum esse istic, Fides. t. t. c. IV, 2.
Non metuo, ne quisquam inveniat: ita probe in latebris situm est.

550. Sic Pall. 2 etc. V.: *pueri.* 551 — 553. V., intrusis glossematis, transpositisque genuinis:

— — — ratis,
Qui laborent minus: facilius ut nent et moveant manus:
Eodem m. s. r. e. am. h. aequ. c.,
*Ut toleret, ne pessum abeat, tanquam * **
Herile imperium ediscat, ut quod frons velit, oc. sc.

Tamque pro *tanquam* habet Iunt., quod etiam Salmasio placuit. Pro *frons* vet. cod. Camer., teste Pareo, a m. 1. *on;* alii libri: *non os, non hos, in eos, nam os, nam hos.* Fortasse Plautus dederat: *ut, quod νοῦς velit, o. sc.* Scripta fere in libris graeca latinis litteris, solentque depravari.

Edepol nae illic pulcram praedam agat, si qui illam invenerit
Aulam onustam auri. Verum id te quaeso ut prohibessis, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam; ne adfinem morer,
Quin, ubi arcessat, meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs te auferam!
Tuae fide concredidi aurum; in tuo luco et fano est modo situm. — as. t. d. i. d.
Str. Di inmortales, quod ego hunc hominem audio facinus loqui, t. t. c.
Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano! Fides,
Cave tu illi fidelis, quaeso, potius fueris, quam mihi!
Atque pater hic, ut ego opinor, hujus est, herus quam amat.
Ibo huc intro: perscrutabor fanum, si inveniam uspiam
Aurum, dum hic est occupatus. Id si reperero, o Fides,
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam;
Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam, id ubi fecero. —
Eu. Non temere est, quod corvos cantat mihi nunc ab laeva manu;
Simul radebat pedibus terram et voce crocibat fera. i. t.
Continuo meum cor coepit artem facere ludicram t. t. c.
Atque in pectus emicare. Sed ego cesso currere? —
Foras, foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo; i. t.
Qui nusquam conparebas modo, modo quom conpares, peris!
Ego edepol te, praestigiator, miseris jam accipiam modis!
Str. Quae te male crux agitat? quid tibi mecum est commerci, senex, t. t. c.
Quid me adflictas? quid me raptas? qua me causa verberas?
Eu. Verberabilissume, etiam rogitas, non fur, sed trifur?

564. *qui* Acid. numerorum causa. V.: *quis.* 567. V.: *Q. u. arc. me, meam* etc. Sed sponsa arcessenda, non senex. Perperam geminatum *me* in *meam.* 574. V.: *I. hinc i.* 575. V.: *occupatus: sed si* etc. 579. *fera.* Libri inepte: *sua,* quae vocabula haud raro sibi invicem offecere: vide interpp. ad Ovid. Met. 1, 159. 582. Sic plane Guelf., ut edidit Cam. Ceteri libri vett. semel ostendunt *foras,* imperfecto quidem versu. Lamb.: *I foras.* 583. V.: *Qui modo n. comp.: nunc, quom comp., peris.* Monac. optimae notae liber: *Q. m. n. c. modo compares, p.* Guelf: *Q. n. comparebas modo.*

Str. Quid tibi subripui? Eu. Redde huc, sis! Str. Quid tibi vis reddam?
Eu. Rogitas?
Str. Nil equidem tibi abstuli. Eu. At illud, tibi quod abstuleras, cedo!
Ecquid agis? Str. Quid agam? Eu. Auferre non potes.
Str. Quid vis tibi?
Eu. Pone! Str. Equidem pol te datare credo consuetum, senex.
Eu. Pone huc, sis! aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.
Str. Quid ego ponam? Quin tu eloquere, quidquid est, suo nomine.
Non hercle equidem quidquam sumsi nec tetigi.
Eu. Ostende huc manus!
Str. Hem tibi ostendo, eccas! Eu. Video. Age, ostende etiam tertiam!
Str. Laruae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem.
Facin' mi injuriam, an non? Eu. Fateor, quia non pendes maxumam.
Atque id quoque jam fiet, nisi fatere! Str. Quid fatear tibi?
Eu. Quid abstulisti hinc! Str. Di me perdant, si ego tui quidquam abstuli.
Nive adeo abstulisse vellem. Eu. Agedum, excutedum pallium.
Str. Tuo arbitratu. Eu. Ne inter tunicas habeas!
Str. Tenta, qua lubet.
Eu. Vah, scelestus quam benigne, ut ne abstulisse intellegam!
Novi sycophantias. Age, rursus ostende huc manum
Dexteram! Str. Hem! Eu. Nunc laevam ostende.
Str. Quin equidem ambas profero.
Eu. Jam scrutari mitto. Redde huc! Str. Quid reddam?
Eu. Ah, nugas agis!
Certe habes! Str. Habeo? quid ego habeo? Eu. Non dico: audire expetis.

590. Posterior syllaba verbi *agam* non eliditur estque pro longa propter interpunctionem. Vid. not. ad Amph. 285. 592. V.: *hoc*. 595. *ostendo*. Helmstad. Pal. 5. V., parum suffragantibus libris vett.: St. *Hem tibi!* Eu. *ostende*. St. *eccas*. 600. *N. a. a. vellem*. Haec secum servus. V. Euclioni tribuuntur. Sequor vett edd. Guelf. et Monac.: *Minime adeo* etc. 603. Ita Guelf. V.: *rursum*.

Id meum quidquid habes, redde! Str. Insanis: perscrutatus es
Tuo arbitratu, neque tui me quidquam invenisti penes.
Eu. Mane, mane: quis illic est, qui hic intus alter erat tecum simul? i. t.
Perii hercle: ille nunc intus turbat; hunc si amitto, hinc abierit. t. f. c.
Postremo hunc jam perscrutavi; hic nihil habet. Abi, quo lubet!
Jupiter te dique perdant! Str. Gratias agis haud male.
Eu. Ibo hinc intro atque illi socienno tuo jam interstringam gulam! i. t.
Fugin' hinc ab oculis? abin' hinc, an non? Str. Abeo. Eu. Cave, sis, revideam! —
Str. Ecmortuom ego me mavelim leto malo, i. s.
Quam non ego illi dem hodie insidias seni!
Namque hic jam non audebit aurum abstrudere:
Credo, ecferet jam secum et mutabit locum.
Attat, foris crepuit! senex eccum aurum ecfert foras!
Tantisper ego hinc ab janua concessero.
Eu. Fidei censebam maxumam multo fidem
Esse: ea sublevit os mihi penissume.
Ni subvenisset corvos: periissem miser.
Nimis hercle ego illum corvom, ad me veniat, velim,
Qui fecit indicium: ut ego illi aliquid boni
Dicam: nam quod edit, tam duim, quam perduim.
Nunc, hoc ubi abstrudam, cogito solum locum.
Silvani lucus extra murum est avius,
Crebro salicto oppletus: ibi sumam locum.
Certum est: Silvano potius credam quam Fide! —
Str. Euge, euge, di me salvom et servatum volunt!
Jam illuc praecurram atque inscendam aliquam in arborem:
Inde observabo ego, aurum ubi abstrudat senex.
Quamquam hic manere me herus sese jusserat;
Certum est: malam rem potius quaeram cum lucro!

610. V.: *hic ab.* 614. V.: *Cave sis te videam.* 615. Monac.: *Hec mortuum*, h. e. Ec mortuum. V.: *Emortuom.* 617. Ita Cam. V. *Nam.* 618. Liber Cam.: *hecferet*, ceteri fere: *hoc feret.* V.: Gr. *referet.* 620. Sic Acid. V.: *T. hic ego ad januam conc.* 632. V.: *I. ego illuc.* Pertinere mihi videbatur pronomen ad sequentem versum. 633. V.: *Indeque obs., aurum u. a. s.* Cf. 661. 634. Versus forte omissus ab operis Ernestinis.

LYCONIDES. EUNOMIA. PHAEDRA.

L. Dixi tibi, mater; juxta rem mecum tenes i. s. IV, 3.
Super Euclionis filia: nunc te obsecro
Resecroque, mater, quod dudum obsecraveram:
Fac mentionem cum avonculo, mater mea!
Eun. Scis tute, facta velle me, quae tu velis.
Et istuc confido a fratre me inpetrassere,
Et causa justa est: si quidem ita est, ut praedicas,
Te eam conpressisse vinolentum virginem.
L. Egone ut te advorsum mentiar, mater mea?
P. Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet!
Juno Lucina, tuam fidem! L. Hem, mater mea,
Tibi rem potiorem video: clamat, parturit.
Eun. I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
Ut istuc, quod me oras, inpetratum ab eo auferam.
L. I; jam sequor te, mater. — Sed servom meum
Strobilum miror, ubi sit, quem ego me jusseram
Hic opperiri. Nunc ego mecum cogito:
Si mihi dat operam, me illi irasci injurium est.
Ibo intro, ubi de capite meo sunt comitia.

S T R O B I L U S.

Picis divitiis, qui aureos montis colunt, i. s. IV, 4.
Ego solus supero! Nam istos reges ceteros
Memorare nolo, hominum mendicabula:
Ego sum ille rex Philippus! O lepidum diem!
Nam ut dudum hinc abii: multo adveni illuc prior,
Multoque prius me conlocavi in arborem;

638. male post sequentem legitur in libris, nisi quod Langiani habent utroque loco. 639. *avonculo* τρισυλλάβως pronuntiandum est, u priore extrito. Vide Wasii Senar. c. 14., nos ad Amph. prol. 90. Non opus legi: *F. m., mat. mea, c. av.* 649. MSS. fere, uno versu: *Ut istuc, quod me o., efficiam tibi, impetratum ab e. auf.* Unde duos effinxerunt hujusmodi:

Ut istuc, quod tu me oras, efficiam tibi,
Ut istuc quod me oras, imp. ab eo auf.

Verum Sciopp. Susp. Lectt. 4, 3. aliique viderunt. 654. *sunt* Guelf.: *fiunt.* 655. *Picis* (a Pix seu Phix, φὶξ, βὶξ ap. Hesych.: vid. I. H. Voss. in additamento ad ephemm. litterar. Ienens. Ian. 1805.) vet. cod. Camerar. Alii *Dites*; alii *Picos*; vulgo *Pici*.

Inde espectabam, ubi aurum abstrudebat senex.
Ubi abiit: ego me deorsum duco de arbore;
Ecfodio aulam auri plenam; inde exeo. Eloco
Video senem se recipere; me illic non videt:
Nam ego non me declinavi paulum extra viam.
Attat, eccum ipsum! Ibo, ut hoc condam domum.

E U C L I O.

Perii! interii! occidi! Quo curram? quo non curram? i. tr. h. IV, 5.
Tene, tene! — Quem quis? — Nescio! nil video! coecus eo! atque equidem, t. t.
Quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo certum investigare.
Obsecro vos ego, mi auxilio (oro, obtestor!) sitis et hominem
Demonstretis, qui eam abstulerit! t. d.
Quid est? quid ridetis? Novi omnis: scio, fures esse hic conpluris, i. t. l. h.
Qui vestitu et creta occultant se atque sedent, quasi sint frugi! t. t.
Quid ais tu? Tibi credere certum est: nam esse bonum, e voltu cognosco. —
Hem, nemo habet horum? — Occidisti! Dic igitur, quis habet! Nescis? as. t. d. i. d. c.
Heu me miserum! misere perii! a. d.
Male perditu', pessume ornatus eo:
Tantum gemiti et malae moestitiae hic dies mihi obtulit, i. t.
Famen et pauperiem! perditissumus omnium ego sum in terra! i. t. c.

661. V.: *Indeque.* Efficax Plautoque valde usitatum asyndeton. Verum sic solent librarii: cf. 633. etc. Ceterum *espectabam* per ἀρχαϊσμὸν Acidalio placuit et Meursio; libri *expectabam*, *adspectabam*, *spectabam*. 662. Putide libri: *Ubi ille abiit.* 663. Ita Guil. Quaest. in Aul. c. 6. V.: *inde ex eo loco Video* etc. 665. Sic fere libri: *Non paulum*, multum. V.: *N. ego modo decl. p. me e. v.* 672 — 674. Ita haec ordinant Acid. et apud ipsum Car. Piso Lotharingus Divv. pagg. 81. sequ. V. hoc ordine leguntur: 675, 674, 672. 676. Liber Cam. ante *perii* inter versus habebat *misere.* Guelf.: *H. me miserum perii.* V.: *H. me miserum, miserum! perii.* 678. Non elidendum *moest.*, vel legendum *moestitiai.*

Nam quid mihi opus est vita, qui tantum perdidi
auri, as. 2 an.
Quod custodivi sedulo? Egomet me defraudavi
Animumque meum Geniumque meum! a. d.
Nunc meo alii laetificantur damno et malo! Nequeo
pati! as. t. d. i. d.

LYCONIDES. EUCLIO.

L. Quinam homo hic ante aedis nostras ejulans conqueri-
tur moerens? — t. t. IV, 6
At hic quidem Euclio est, ut opinor. — Oppido ego interii!
palam est res: i. t. h.
Scit peperisse jam, ut ego opinor, filiam suam. Nunc
mi incertum est, t. t.
Abeam an maneam, adeam an fugiam. Quid agam, ede-
pol nescio. t. t. c.
Eu. Quis homo hic loquitur? L. Ego sum miser.
Eu. Imo ego sum et misere perditus,
Quoi mala tanta moestitudoque obtigit. L. Animo bono es.
Eu. Quo, obsecro, pacto esse possum? L. Quia istuc faci-
nus, quod tuom as. t. d. i. d.
Sollicitat animum, id ego feci et fateor. Eu. Quid ego
ex te audio?
L. Pol id, quod verum est. Eu. Quid ego merui de ted,
adulescens, mali, i. t.
Quamobrem ita faceres meque meosque perditum ires li-
beros? t. t. c.
L. Deus inpulsor mihi fuit; is me ad illam inlexit.
Eu. Quo modo?
L. Fateor peccavisse et me culpam conmeritum scio:
Id adeo te exoratum advenio, ut animo aequo ignoscas
mihi. i. t.

681. Nostri: *fraudavi*. Et hoc rectum, modo *Egomet* media longa pronuntietur. 683. V.: *Nunc eo al. laet. meo malo et damno: pati nequeo*. Guelf.: *nequeo pati*. 687. V.: — *incertum est, Quid agam. abeam an maneam? an adeam* etc. Vocabula *maneam* et *agam* non liquescunt. 688. *miser* legitur in Ald. V.: L. *ego sum*. Eu. *imo ego sum miser et mis. perd*. Sensere vitium Acid. et Meurs. 692. V.: *Id quod v. est*. Guelf.: *Pol quod v. est*. Deinde libri: Q. *ego emerui, ad., mali*, versu imperfecto, quem supplevit Douza. 695. *pecc*. non eliditur. Pall. a et vett. aliquot edd.: *me pecc*. 696. Sic Helmstad. V.: *oratum*.

Eu. Cur id ausus facere, ut id, quod tuom non esset, tangeres? t. t. c.
L. Quid vis fieri? Factum est illud: fieri infectum non potest.
Deos voluisse credo: nam ni vellent, non fieret, scio. i. t.
Eu. At ego deos credo voluisse, ut apud me te in nervo enicem!
L. Ne istuc dixis! Eu. Quid tibi ergo meam me invito tactio est? t. t. c.
L. Quia vini vitioque amoris feci. Eu. Homo audacissume,
Cum istacin' te oratione huc ad me adire ausum? Inpudens!
Nam si istuc jus est, ut tu istuc excusare possies:
Luce claro deripiamus aurum matronis palam;
Post id si prensi fuerimus, excusemus: ebrios
Nos fecisse amoris causa. Nimis vile est vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti inpune facere, quod lubeat, licet.
L. Quin tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam.
Eu. Non mihi homines placent, qui, quando male fecerunt, purgitant. i. t.
Tu illam scibas non tuam esse: non attactum oportuit. t. t. c.
L. Ergo quia sum tangere ausus: haud causificor, quin eam
Ego habeam potissumum. Eu. Tun' habeas me invito meam?
L. Haud te invito postulo; sed meam esse oportere arbitror. as. t. d. i. d.
Quin tu eam invenies, inquam, illanc meam esse oportere, Euclio.
Eu. Jam quidem hercle te ad praetorem rapiam et tibi scribam dicam, t. t. c.
Nisi refers! L. Quid tibi ego referam? Eu. Quod tibi subripuisti meum. as. t. d. i. d.
L. Subripui ego tuom? unde? aut quid id est? E. Ita te amabit Jupiter, t. t. c.
Ut tu nescis! L. Nisi quidem tu mihi, quid quaeras, dixeris.
Eu. Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confessus mihi

697. Ita Guelf. et Monac. V.: *non tuum.* 700. V.: *apud te me.* Correxit Meursius. 706. Liber Cam. et Pal. 3.: *prensi.* Guelf.: *fuerimus*, in quo i littera producenda est, sicut in talibus fieri solet apud poëtas. V.: *prehensi sumus.* Aliquot edd. vett.: *simus.* 715. Ita Guelf. et Helmstad. V.: *meam illam.* 717. Posterius *tibi* arcessitum ex Monacensi Cf. 589 V. autem hic versus ante praegressum ponitur, merito improbante Acidalio, quem sequor. 718. Sic Pall. Helmstad. Monac. V.: *Surripio.*

Te abstulisse. L. Neque edepol ego dixi, neque feci. Eu. Negas?
L. Pernego imo: nam neque ego aurum, neque istaec aula quae siet, as. t. d. i. d.
Scio nec novi. Eu. Illam, ex Silvani luco quam abstuleras, cedo! t. t. c.
I, refer! dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametsi fur mihi es: molestus non ero furi. Refer! i. t.
L. Sanus tu non es, qui furem me voces; ego te, Euclio,
De alia re rescivisse censui, quae ad me attinet.
Magna est res, quam ego tecum otiose, si otium est, cupio loqui. i. t.
Eu. Dic bona fide: tu id aurum non subripuisti? L. Bona. t. t. c.
Eu. Nec scis, quis id abstulerit? L. Istuc quoque bona. Eu. Atque si scies,
Quis id abstulerit, mi indicassis? L. Faciam. Eu. Neque partem tibi
Ab eo, quiqui est, indipisces, neque furem excipies? L. Ita.
Eu. Quid, si fallis? L. Tum me faciat, quod volt, magnus Jupiter!
Eu. Sat habeo. Age nunc, loquere, quod vis. L. Si me novisti minus,
Genere qui sim gnatus: hic mihi est Megadorus avonculos;
Meus fuit pater Antimachus; ego vocor Lyconides;
Mater est Eunomia. Eu. Novi genus: nunc, quid vis, id volo
Noscere ex te. L. Filiam tu habes. Eu. Imo eccillam domi.
L. Eam tu despondisti, opinor, meo avonculo. Eu. Omnem rem tenes. as. t. d. i. d.
L. Is me nunc renuntiare repudium jussit tibi. t. t. c.
Eu. Repudium rebus paratis atque exornatis nuptiis? as. t. d. i. d.
Ut illum di inmortales omnes deaeque, quantum est, perduint, i. t.

725. Sic Pall., nostri, MS. Herald. et vett. edd.; similiterque Langg. et ipse initio liber Camer., teste Pareo. V.: *mol. non ero, i vero, refer.* 727. V. numeris durioribus: *quod ad me att.* 730. V.: *N. sc. quis abst.* L. *i. q. b.* Eu. *atque id* (*id* omissum in libro Cam. Pall. Guelf. Helmstad.) *si scies, Qui abst., mihi indicabis.* (Guelf.: *indicassis.*) Edd. mediae: *Neque id scis q. a.* 732. *indipisces* Non. MS. Meurs. 3 nostri; 1. Pal. et vett. edd. V.: *inde posces.* 733. Ita Guelf. Monac. V.: *quid vis.* 738. Helmstad.: *Nosc. e te filiam* etc. V.: *Noscere.* L. *filiam ex te tu habes.*

Quem propter hodie, auri tantum perdidi, infelix, miser!
L. Bono animo es, et benedice! Nunc, quae res tibi et gnatae tuae i. t.
Bene feliciterque vortat.... Ita di faxint, inquito. t. t. c.
Eu. Ita di faciant! L. Et mihi ita di faciant! Audi nunc iam.
Qui homo culpam admisit in se, nullust tam parvi preti,
Quom pudet, quom purgat sese: nunc te obtestor, Euclio,
Si quid ego erga ted inprudens peccavi aut gnatam tuam,
Ut mi ignoscas eamque uxorem mihi des, ut leges jubent!
Ego me injuriam fecisse filiae fateor tuae,
Cereris vigiliis, per vinum atque inpulsu adulescentiae.
Eu. Hei mihi, quod facinus ex te ego audio? L. Cur ejulas,
Quem ego avom feci jam ut esses filiai in nuptiis?
Nam tua gnata peperit decumo mense post (numerum cape):
Ea re repudium remisit avonculus causa mea.
I intro: exquaere, sitne ita, ut ego praedico. Eu. Perii oppido: i. t.
Ita mihi ad malum malae res plurimae se adglutinant. t. t. c.
Ibo intro: ut, quid hujus reii sit, sciam. L. Jam te sequar.
Haec propemodum jam esse in vado salutis res videtur. i. t. c.
Nunc servom esse ubi dicam meum Strobilum, non reperio;
Nisi etiam hic opperiar tamen paulisper; postea intro
Hunc subsequar: nunc interim spacium ei dabo exquirendi
Meum factum ex gnatae pedisequa nutrice anu: ea rem novit.

STROBILUS. LYCONIDES.

Str. Di inmortales, quibus et quantis me donatis gaudiis! t. t. c. IV, 7.
Quadrilibrem aulam auro onustam ego habeo: quis me est divitior? t. t.
Quis me Athenis nunc mage quisquam est homo quoi di sint propitii? t. t. c.
L. Certo enim ego vocem hic loquentis modo me audire visus sum.

743. *hodie non liquescit.* 748. Inepte libri: *Quin pudeat, quin purget se.* Helmstad.: *sese.* 754. V.: *filiae nupt.* 757. Ita Priscian. p. 561. Putsch. 2 Pall. MS. Meurs. et Helmstad. V.: *exquire.* 759. *rei* Guelf. Pal. 5. MS. Meurs. V.: *veri.* Scribendum certe *verum.* 766. *ego* praebebant Langg. Vox *onustam* non est elidenda.

Str. Hem, herumne adspicio meum? L. Strobilum video ego hunc, servom meum? i. t.
Str. Ipsus est. L. Haud alius est. Str. Congrediar. L. Contollam gradum. t. t. c.
Credo ego illum, ut jussi, eampse anum adiisse, hujus nutricem virginis. i. t.
Str. Quin ego illi me invenisse dico hanc praedam atque eloquor? t. t. c.
Igitur orabo, ut manu me mittat. Ibo atque eloquar.
Reperi .... L. Quid reperisti? Str. Non, quod pueri clamitant
In faba se reperisse. L. Jamne autem, ut soles, deludis? t. t.
Str. Here, mane: eloquar jam: ausculta. L. Age ergo, loquere. Str. Reperi hodie,
Here, divitias nimias .... L. Ubinam? Str. Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam!
L. Quod ego facinus audio ex te? Str. Euclioni huic seni subripui. as. t. d. i. d. h.
L. Ubi id est aurum? Str. In arca apud me: nunc volo me emitti manu. t. t. c.
L. Egone te manud emittam, scelerum cumulatissume? i. t.
Str. Abi, here! scio, quam rem geras! lepide hercle animum tuom tentavi! t. t.
Jam, ut eriperes, adparabas: quid faceres, si reperissem?
L. Non potes probasse nugas. I, redde aurum! Str. Reddam ego aurum?
L. Redde, inquam: ut huic reddatur. Str. Unde? L. Quin modo fassus es, t. t. c.
Esse in arca. Str. Soleo hercle ego garrire nugas: ita loquor.
L. At scin', quomodo? Str. Vel hercule enica: nunquam hinc feres [a me].
L. Quid hic quondam pervicus addit?

769. V.: *ego aspicio*. Guelf. non habet pronomen. 771. V.: *adiisse*. 778. Nomen Euclionis non liquescit. Asynartetum eum usurpare malui quam versum habere pro troch. tetram., elisa e littera in *seni*, qualibus figuris utendum non est praeter necessitatem. 782. Langg.: *si non rep.* 784. V.: *ah, unde*. *Ah* non legitur in Camer. et Guelf. *Quin* pro *Quod* vulgato placuit Acidalio. 786. Quae post hunc versum leguntur, verba *Quid hic q. p. a.*, eorum fundus est Non. v. Pervico, ubi haec habentur: *Hic quidem* (Ald.: *quidam*) *pervicus custodem* (Non. Paris. a. 1511.: *totidem*) *addidit*.

SUPPOSITA.

Non feramne unquam? Str. Quod non habeo. L. Efferaris cave,
Nisi actutum seni id auri redditio est.
Seu propensus libitinarius, sive pollinctorius t. t. c.
Efferar: nunquam dabo, nisi noviter fodiam arrugiam. t. t. c.
L. Vae capiti tuo! Str. Imo senis et capiti et pectori
Qui auri tantum perdidit. L. Quis reperit? Str. Quem reperisse vis. t. t. c.
L. Qui in arca illud subreptum habere
Autumat. St. Quam pulcre tibi, here, conniveant oculi, si id
Factum fatear! Ludo. Quod lusi tecum, non par est identidem
Serio vortier. L. At nunc jam ne me irritassis, i et aurum
Redde; susque deque haud agites. St. Here, si id reperibitur, t. t. c.
Certum est, gemina lancea tu confitentem icere?
L. I et redde.
St. Vis cassum. L. I et redde. St. Attat, incassum quaeritas.
L. I et redde. Ego ad senem propero, ut, quid comitiis
Proxumis, videam. Senex aulam auri perdidit, Megadorus
Repudium renuntiavit. Filiam peperisse vitio resciit, St. Hero
Meo, quantum ego video, nemo est benignior. Alii non quod
Inventum est, non occulunt, modo negant: occulunt vaniloqui.
Sed aliud post aliud, si qua sit opportunitas, harpagatum
Volunt; si Eleusina sit: facilem deam credunt; si Cotytto:
Non videre, quom batuat. Ita neque amicis neque cognatis
Neque dis parcunt, dum bene parcant sibi. Istic quidem,
Ne miserum faciat senem, aut illius familiam opulentam,

Supposita illa et legebantur in MS. Meurs., et extant in edd. Mediol. 1500., Carpentar. 1513., Gryph. 1540. aliisque recentioribus. Quae fere non tetigi, utpote maximam partem aut inepta, aut affecta ultra spem salutis. 8. V.: *conniverent*, soloece quidem. 12. V.: *geminam lanceam*. 14. V.: *V. crassum?* 17. V.: *renuntiat*. 21. V.: *Eleusinie s., f. d. credunnt*. 22. V.: *quem bat*. Latet hic fortasse versus hujusmodi:

Ita neque amicis neque cognatis neque dis parcunt, dum sibi. t. t. c.

Auri aulam grandem, onustam, plenam, referri jubet:
Ut se faciat olim miserum atque suam familiam. Ast ego partem
Impartiri malim, unde redimar. Quod vortat bene, picus
A sinistra cantitat, qui auri custos hercle olim traditur.
Ibo et aulam referam: quod illaec mihi bene avis occinat.

SUPPLEMENTUM AULULARIAE,

conscriptum ab Ant. Codro Urceo, bonarum litterarum professore Bononiensi, qui vixit sub imperatoribus Friderico III. et Maximiliano I., ab anno Chr. 1446. ad 1500.

— — — quod non habeo. Ly. Feram.
Velis, nolis! quin te quadrupedem strinxero,
Et herniosos testes ad trabem tibi
Divellam appenso! Sed cur in fauces moror
Hujus scelesti ruere? et animam protinus
Cur non compello facere iter praeposterum?
Das, an non? Str. Dabo. Ly. Des ut nunc, non olim, volo.
Str. Do jam: sed me animam recipere sinas, te rogo.
Ah, ah! quid, ut dem, poscis, here? Ly. Nescis, scelus?
Et auri plenam quadrilibrem aulam mihi
Audes negare, quam te dixisti modo
Abripuisse? heia, jam ubi nunc lorarii?
Str. Here. audi pauca: Ly. Non audio. Lorarii,
Heus. heus! Lo. Quid est? Ly. Parari ego catenas volo.
Str. Audi, quaeso! post me ligari jusseris
Quantum libet. Ly. Audio: sed rem expedias ocius.
Str. Si me torqueri jusseris ad necem vide,
Quid consequare? primum servi exitium habes;
Dein, quod concupisces, ferre non potes.
At si me dulcis libertatis praemio
Dudum captasses, jamdudum votis fores
Potitus, Omnes Natura parit liberos,
Et omnes libertati natura student.
Omni malo, omni exitio, pejor servitus:
Et quem odit Jupiter, servom hunc primum facit.
Ly. Non stulte loqueris. Str. Audi reliqua nunc iam:

28. V.: *sinistris*. Etiam in Urcei supplemento multa insunt inepta, soloeca male denique versificata. Dedi tamen et haec, ne quis desideraret.

Tenaces nimium dominos nostra aetas tulit,
Quos Harpagones, Harpyias et Tantalos
Vocare soleo, in opibus magnis pauperes,
Et sitibundos in medio Oceani gurgite.
Nullae illis sunt satis divitiae, non Midae,
Non Croesi; non omnis Persarum copia
Explere illorum Tartaream ingluviem potest.
Inique domini servis utuntur suis,
Et servi inique dominis nunc parent suis:
Sic neutrubi fit, fieri quod justum foret.
Penum, popinas, cellas promptuarias
Occludunt mille clavibus parci senes,
Quae vix legitimis natis concedi volunt.
Servi furaces, versipelles, callidi,
Occlusa mille clavibus reserant sibi,
Furtimque raptant, consumunt, ligurriunt,
Centena nunquam furta dicturi cruce.
Sic servitutem servi ulciscuntur mali
Risu jocisque. Sic ergo concludo, quod
Servos fideles liberalitas facit.
Ly. Recte quidem tu! sed non paucis, ut mihi
Pollicitus. Verum si te facio liberum:
Reddes, quod cupio? Str. Reddam; sed testes volo
Adsint. Ignosces, here: parum credo tibi.
Ly. Ut lubet; adsint vel centum; jam nihil moror.
Str. Megadore, et tu, Eunomia, adeste, precor, si libet!
Exite! perfecta re mox redibitis.
Me. Qui nos vocat? hem, Lyconide. Eu. Hem Strobile,
quid est?
Loquimini. Ly. Est breve quid. Me. Quid id est?
Str. Vos testes voco.
Si quadrilibrem aulam auri plenam huc adfero
Et trado Lyconidae: Lyconides manu
Mittit, jubetque juris esse me mei.
Itan' spondes? Ly. Spondeo. Str. Janme audivistis hoc,
Quod dixit? Me. Audivimus. Str. Enim jura par Jovem.
Ly. Hem, quo redactus alieno ego jam sum malo!
Nimis procax es. Quod jubet, faciam tamen.
Str. Heus tu, nostra aetas fidei non multum gerit:
Tabulae notantur, adsunt testes duodecim;
Tempus locumque scribit actuarius:
Tamen invenitur rhetor, qui factum neget.

61. Ed. Colon.: *Quidlubet.*

Ly. Sed me cito expedi, sis. Str. Hem silicem tibi.
Ly. Si ego te sciens fallam, ita me ejiciat Diespiter
Bonis, salva urbe et arce, ut ego hunc lapidem. Satin'
Jam feci tibi? Str. Satis. Ut ego aurum apportem, eo.
Ly. I Pegaseo gradu, et vorans viam redi.

LYCONIDES. STROBILUS. MEGADORUS. EUNOMIA. EUCLIO.

Ly. Grave est homini pudenti morologus nimis
Servus, qui sapere se plus volt hero suo.
Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,
Modo mihi apportet aulam auro puro gravem:
Ut Euclionem socerum ex luctu retraham
Ad hilaritatem, et mihi conciliem filiam,
Ex compressu meo novam puerperam.
Sed ecce redit onustus Strobilus. Ut reor,
Apportat aulam. Et certe est aula, quam gerit.
Str. Lyconide, porto inventum promissum tibi,
Aulam auri quadrilibrem. Num serus fui?
Ly. Nempe. O di immortales, quid video, aut quid habeo?
Plus sexcentos Philippeos ter et quater.
Sed evocemus Euclionem protinus.
O Euclio, Euclio! Me. Euclio, Euclio! Eu. Quid est?
Ly. Descende ad nos: nam di te servatum volunt!
Habemus aulam. Eu. Habetisne, an deluditis?
Ly. Habemus, inquam. Modo, si potis huc advola!
Eu. O magne Jupiter! o Lar familiaris et
Regina Juno et noster thesaurarie
Alcide, tandem miserum miserati senem?
Oh, oh, quam laetis, aula, tibi amicus senex
Complector ulnis, dulci et te capio osculo!
Expleri nequeo mille vel complexibus.
O spes, o cor, luctum depulverans meum!
Ly. Auro carere semper duxi pessumum
Et pueris et viris et senibus omnibus.
Pueros prostare cogit indigentia,
Viros furari, mendicari ipsos senes.

11. Alii *verus*.

At multo pejus est, ut video nunc, supra
Quam quod necesse est nobis, auro opulescere.
Heu, quantas passus est aerumnas Euclio
Ob aulam paulo ante a sese deperditam!
Eu. Quoi meritas referam grates? an diis, qui bonos
Respectant homines? an amicis, rectis viris?
An utrisque? Utrisque potius et primum tibi,
Lyconide, principium et auctor tanti boni.
Hac ego te aula auri condono. Accipias libens:
Tuam hanc esse volo et filiam meam simul,
Praesente Megadoro et sorore ejus, proba
Eunomia. Ly. Et habetur et refertur gratia.
Ut meritus es, socer exoptatus mi, Euclio.
Eu. Relatam mihi satis putabo gratiam,
Si donum nostrum et me ipsum accipias nunc libens.
Ly. Accipio et Euclionis volo mea sit domus.
Str. Quod restat, here, memento: ut liber nunc siem.
Ly. Recte monuisti: esto merito liber tuo,
O Strobile, et turbatam jam intus coenam para.
Str. Spectatores, naturam avarus Euclio
Mutavit: liberalis subito factus est.
Sic liberalitate utimini vos quoque,
Et, si perplacuit fabula, clare plaudite!

BACCHIDES.

ACCHIDES

ARGUMENTUM
suppositum atque interpolatum.

Bacchidis amore adolescens Mnesilochus furit. i. s.
Aurum ut recipiat, Ephesum eum fert prosumia;
Cretam altera Bacchis navigavit alteram
Conventum Bacchidem; inde Athenas reveniunt.
Hinc ad sodalem dat Mnesilochus litteras:
Illam conquirat; mox redit, turbas movet,
Dum putat amari suam; sed geminas ut videt:
Et retrahit per servum aurum, et pariter ambo amant.
Studentes gnatis potant, scortantur, senes.

DRAMATIS PERSONAE.

PISTOCLERUS.
LYDUS.
BACCHIDES.
CHRYSALUS.
NICOBULUS.
PHILOXENUS.
MNESILOCHUS.
PARASITUS.
CLEOMACHUS.
MILITIS PUER.
GREX.

PROLOGUS SUPPOSITUS.

SILENUS.

Mirum hodie est, spectatores ni in subselliis
Ridiculo obstrepunt, tussiunt, ronchos cient,
Consulcant frontem et ore concrepario
Frequenter fremunt atque male mussitant.
Vix in juventa locum obtineant
Aut glabri histriones, aut pervolsi ludii:
Quid veternosus prodit internuncius,
Senex, qui dorso fertur asinario?
Attendite, quaeso, atque animum advortite,
Dum nomen hujus eloquor statariae.
Aequom est, vos deo facere silentium.
Officio oris non decet illos utier,
Qui non ut clament, sed ut spectent, veniunt.
Auris date otiosas; at non in manum:
Has volo volans vox vacuas feriat.
Quid veremini? ictus an minus sunt noxii,
Qui repetunt laxa, aut hiulca obstruunt?
Estis benigni: merito vos ament coelites.
Factum est silentium, tacent pueri.
Novam ad rem jam novom spectate nuncium.
Qui sim, cur ad vos veniam, paucis eloquar;
Simul hujus nomen proferam comoediae.
Ecce fabor jam vobis, quod expetitis:
Proinde vos mihi facite audientiam.
Naturae deus sum, Bromii altor maxumi,
Femineo qui peperit rem exercitu.

Versu 2. legitur *Ridiculos*. Habentur autem haec spuria in edd. Junt. Gryph. Longol. Basil. aliisque sequioribus. Sunt, qui Francisco Petrarchae tribuant; sed male, ut opinor. Reperta ab se Messanae in Sicilia dicit Liscaris, grammaticus ille Graecus, in epistola ad P. Bembum.

Quicquid hujusce gentes ferunt inclytae,
Nonnihil nostro gesta sunt consilio.
Nunquam quod mihi placet, illi displicet.
Aequom est, si pater obsequitur patri.
Asinivehidam me vocitant Jonii greges:
Quod vecturio senex vehar asinario.
Qui sim, tenetis? Si tenetis, sinite
Ut nomen hujus eloquar statariae.
Simul sciatis, ad vos ego cur venerim.
Philemon Graecam olim dedit fabulam;
Hanc, qui graecissant, Evantides nuncupant;
Plotus, qui latinissat, vocat Bacchides.
Quare non est mirum, si huc advenerim.
Bacchus bacchantis Bacchas mittit Bacchides;
Ego ad vos porto. Quid dixi mendacium?
Non decet mentiri deum. At, vera ut fabuler,
Non ego eas porto, verum insulsus asinus,
Via defessus, tres, si rite memorem,
Fert: unum videtis; ore quid feram, specite:
Duas sorores debacchantis Samias,
Meretrices lepidas, uno prognatas tempore.
Iisdem parentibus foetu gemellitico,
Non minus similis, quam lacti lac, si conferas,
Aut aquam aquae; dimidiatas imputes
Has, si videres: ita confundas oculos:
Utra utra sit, non queas internoscere.
Quod restat, expetitis. Jam date silentium;
Hujus argumentum eloquar Comoediae.
Samos quae terra sit, nota est omnibus:
Nam maria, terras, montis atque insulas
Vostrae legiones reddidere pervias.
Hac Pyrgotelis Sostrata Pyrocli viro
Uno edidit gnatas nisu geminas;
Placuitque initiatis Trieteride,
Quas ederent, Bacchi vocitare nomine.
Parentes, ut fit crebro, fata occupant.
Alteram miles secum in Cretam vexerat;
Altera de geminis adnatat Cecropias.

30. Fortasse legendum est: *A. est, si filius o. p.* Sed hoc est laterem lavare. 31. Ita Jos. Scaliger in Catalectis, vel potius *Asividam*, quod accipi vult pro *Astvenidam*, h. e. *Asinivehidam*, quemadmodum euphoniae gratia dicatur σιαλόγος, ἀμφιβολόγος, pro σιαλολόγος, ἀμφιβολολόγος. Libri: *Asibidam*. 43. V.: *ver. salsus as.*

Hanc ut Nicobuli inspicit Mnesilochus:
Amare occipit, itat ad eam frequentius.
Interea juvenem pater mittit Ephesum,
Ut inde referat aurum, quod posuerat
Ipse jampridem apud Archidemidem,
Veterem amicum, senem Phoenicarium.
Is quom biennium desideret Ephesi,
Bacchidem abiisse, durum accepit nuncium:
Nam nautae noti navigasse nunciant.
Ut fugitivam cura et corde quaereret,
Ad Philoxenis Pistoclerum filium,
Sodalem unicum, sulcat epistolium.
Dum Pistoclerus amico inpartit operam:
Athenas dudum quae redierant geminae
Conquisitorem in amorem conciunt.
Altera Pistoclerum ad sese allicit;
Altera venienti desidet Mnesilocho.
Geminae Bacchae duos Bacchantis pullulos
Quid mirum si ad sese traxerunt blandulae,
Facetae, pulcrae, incurvos libitinarios,
Veterrumos senes illorum trahere patres?
Sed eccum Pistoclerum, qui ad Bacchides
Nuper inventas redit, et secum insolens
Novos amoris dispuit igniculos.
Nunc prodeunt: audite.

PISTOCLERUS. LYDUS.

Pi. Di inmortales, ut sentio, quod sentio! quid? nescio.
Stans fugio. Nullus est ignis, et totus ardeo.
Quid id, nisi insania? novom profecto malum
Video et sentio. Potisne terra ut terat hominem
Atque prosternat? hodie nil praeter terram et Baccham tetigi.
Si Baccha est haec, non nutrit Baccha, verum jugulat.
E terra quoque obrepere olim dixerunt homines,

83. V.: *traxerint.* 85. V.: *traherent.* 89. V.: *prodeo.* Dialogi versu 3. sensu cassa sunt, quae vulgo leguntur haec: *Quid id, nisi navim?* 4. scribendum videtur *ferat.*

Qui dum norant, quom esse cuperent, erant nihil.
Quid mali hoc? an terra, an Baccha? Fecimus naufragium!
Ly. Amat hic, quem video. Nimirum id est, quod emissicius
Fora, templa, theatra, porticus, omnis fornices,
Lustra et lustralis cellulas quaesierit sedulo.
Pi. Naufragus sum, fateor. Bacchus, haud Neptunus, celocem
Hanc inpellit, agit, quassat, imo frangit, distrahit.
Py. Bacchis huic procellam concitat. Actum est! perdidimus remigium!
Li. Referam me ad scopulum, ut istic cum aetate rem perduam,
Instabilis est sors rerum; pro lubidine fata agunt homines.
Ego dum amico Mnesilocho operam impertio:
Illi amicam reperi, ubi pereat cum re assiduo;
Et mihi meaeque aetati reique meae peperi infortunium.
Si volt Cupido, adolescens sum: aetati licet plusculum
Jacturae facere. Melius, ut id nunc fiat, quam senio.
Sapientum profecto est illud dictum, quod Lydus increpat:
Si Astartan on Bromium deosque voluptarios
Contemsit juvenis, is aut insanibit, aut amabit senex.
Referam me ad scopulum ex naufragio. Pater leget fragmina.
Sequere me, Lyde: video sorores geminas, Bacchanal meum.

BACCHIDES. PISTOCLERUS.

Bacchis. Quid, si hoc potius est, ut taceas, ego loquar? Soror. Lepide! licet. t. t. c. I, 1
Ba. Ubi me fugiet memoria: ibi tu facito ut subvenias, soror.

8. Haec profecto nihili sunt. *Esse* ad esum retulit vir clarissimus, I. H. Vossius, in schedis MSS., quas penes me habeo. Venit aliquando in mentem, legendum esse *Qui cum bibere aut* (uiueraut, uiraut, nerant, norant) *comesse cuperent, erat nihil.* In quibus *erat* voluit Vossius. Sed insulsa haec omnia. 10. Fort.: *A. h. quidem; video.* 15. V.: *hinc.* Emendavit I. H. Vossius. 24. Taubm. Gronov. Ernest.: *Si Astartan * * on Brom.* etc., quasi aliquid excidisset. Non puto, sed *on* pro *en* forte exaratum, sicut e et o litterae misceri solent, correctio esse videtur librarii, *Astarten* pro *Astartan*, quod scripserat nec delere audebat, legendum esse significantis. Cf. 468. etc.

Vers. 1. *potius* Charis. MS. apud Douzam Centur. p. 270. Sarrac. Iunt. Ald. Vulgo: *potis.*

So. Pol mage metuo, ne defuerit mi in monendo oratio.
Ba. Pol ego quoque metuo, lusciniolae ne defuerit cantio. i. t.
Sequere hac. Pi. Quid agunt duae germanae meretrices cognomines? — t. t. c.
Quid in concilio consuluistis? Ba. Bene. Pi. Pol haud meretricium est. i. t.
Ba. Miserius nihil est, quam mulier. Pi. Quid esse dicis dignius? as. t. d. i d.
Ba. Haec ita me orat, sibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam, t. t. c.
Ab istoc milite: ut, ubi emeritum sibi sit, se revehat domum. i. t.
Id, amabo te, huic caveas. Pi. Quid isti caveam? Ba. Ut revehatur domum,
Ubi ei dediderit operas: ne hanc ille habeat pro ancilla sibi.
Nam si haec habeat aurum, quod ei renumeret: faciat lubens. t. t. c.
Pi. Ubi nunc is homo est? Ba. Jam hic, credo, aderit. Sed hoc idem apud nos rectius as. t. d. i. d.
Poteris agere; atque, is dum veniat, sedens ibi opperibere.
Eadem biberis; eadem dedero tibi, ubi biberis, savium. t. t. c.
Pi. Viscus merus vostra est blanditia. Ba. Quid jam? Pi. Quia enim intellego:
Duae unum expetitis palumbem. Perii, arundo alas verberat! as, t. d. i. d.
Non ego istuc facinus, mulier, mihi conducibile esse arbitror.
Ba. Qui, amabo? Pi. Quia Bacchis, Bacchas metuo et Bacchanal tuom. t. t. c.
Ba. Quid est? quid metuis? ne tibi lectus malitiam apud me suadeat? i. t.
Pi. Magis inlectum tuom quam lectum metuo: mala tu es bestia. t. t. c.
Nam huic aetati non conducit, mulier, latebrosus locus.
Ba. Egomet, apud me si quid stulte facere cupias, prohibeam. i. t.
Sed ego apud me te esse ob eam rem, miles quom veniat, volo: t. t. c.
Quia, quom tu aderis, huic mihique haud faciet quisquam injuriam;
Tu prohibebis; et eadem opera tuo sodali operam dabis,

6. Decurt.: *Bene pol. Haut* etc. 9. frustra libri: *se ut rev. d.* Pal.: *sea rev. d.* 17. *Duae* non elidendum.

Et ille adveniens tuam med esse amicam suspicabitur. i. d.
Quid, amabo, obticuisti? Pi. Quia istaec lepida sunt memoratui; t. t. c.
Eadem in usu, atque ubi periclum facias; aculeata sunt,
Animum fodicant, bona destimulant, facta et famam sauciant.
Ba. Ecquid ab hac metuis? Pi. Ecquid ego metuam, quaeris? Homo adulescens t. t.
Penetrare hujusmodi in palaestram, ubi damnis desudascitur; t. t. c.
Ubi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus?
Ba. Lepide memoras. Pi. Ubi ego capiam pro machaera turturem,
Ubique inponat in manum alius mihi pro cestu cantharum;
Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,
Pro hasta talus; pro lorica malacum capiam pallium;
Ubi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto adcubet?
Apage a me, apage! Ba. Ah, nimium ferus es! Pi. Mihi sum. Ba. Malacissandus es;
Equidem tibi do hanc operam. Pi. At nimium pretiosa es operaria.
Ba. Simulato me amare. Pi. Utrum ego istuc jocon' adsimulem an serio? as. t. d. i. d.
Ba. Heia, hoc agere meliust: miles quom huc adveniat, te volo t. t. c.
Me amplexari. Pi. Quid eo mi opus est? Ba. Ut ille te videat, volo. as. t. d. i. d.
Scio, quid ago. Pi. Et pol ego scio, quid metuo. Sed quid ais? Ba. Quid est? i. t.

30. Hunc versum inter et sequentem legitur 40., ibique repetitur in vulgatis libris. Sed vehementior hoc loco est, cumque paulatim crescat affectus adolescentuli, hic expungendus. Vidit Acid. 31. V.: *Et quid ab h. m.? Ecquid* legi jussit J. H. Vossius. Recte; idemque ponendum in responsione Pistocleri, non id, quod vulgatur, *Quid ego metuam, quaeris?* Quo facto, et in ordinem recepta libri Camer. Decurtati et vett. editionum lectione *adolescens* (nam vulgo habetur *adolescentulus*, quod profectum haud dubie ab iis, qui efficere vellent trochaïcum tetram. catal.), metrum quoque hujus loci gravissimum reique longe aptissimum restituitur. Producitur autem vocabuli *metuis* syllaba postrema propter interpunctionem. Vid. not. ad Amph. 285. 32. *damnis* suspectum est, cum sequente versu itidem dicatur *damnum*. Fortasse legendum *dominis* pro *dominabus*, vel *dominae*, h. e. amasiae, ut scimus ex elegiacis, Petronio aliisque. Cf. 394, Terent. Phorm. 447. etc.

Pi. Quid, si apud te eveniat desubito prandium aut potatio t. t. c.
Forte, aut coena, ut solet in istis fieri conciliabulis?
Ubi ego tum adcubem? Ba. Apud me, mi anime: ut lepidus cum lepida adcubet.
Locus hic apud nos, quamvis subito venias, semper liber est.
Ubi lepide tu voles tibi esse, mea rosa: mihi dicito. i. t.
Dato, qui bene sit; ego, ubi bene sit, tibi locum lepidum dabo.
Pi. Rapidus fluvius est hic: non hac temere transiri potest. t. t. c.
Ba. Atque ecastor apud hunc fluvium aliquid perdundum est tibi.
Manum da et sequere. Pi. Ah, minime! Ba. Quid ita? Pi. Quia istoc inlecebrosius i. t.
Fieri nil potest, Nox, Mulier, Vinum, homini adulescentulo. t. t. c.
Ba. Age igitur: equidem pol nihili facio, nisi causa tua.
Ille quidem hanc abducet; tu nullus adfueris, si non lubet. i. t.
Pi. Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo? t. t. c.
Ba. Quid est, quod metuas? Pi. Nihil est, nugae. Mulier, tibi me emancupo; i. t.
Tuos sum; tibi dedo operam. Ba. Lepidus! Nunc ego te facere hoc volo:
Ego sorori meae coenam hodie dare volo viaticam: t. t. c.
Ergo tibi argentum jubebo jam intus ecferri foras:
Tu facito obsonatum nobis sit opulentum obsonium.
Pi. Ego obsonabo: nam id flagitium meum sit, mea te gratia i. t.
Et operam dare mihi, et ad eam operam facere sumtum de tuo.
Ba. At ego nolo, dare te quidquam. Pi. Sino Ba. Sino equidem, si lubet. t. t. c.
Propera, amabo! Pi. Prius hic adero, quam te amare desinam.
So. Bene med accipis advenientem, mea soror. Ba. Quid ita, obsecro?
So. Quia piscatus meo quidem animo hic tibi hodie evenit bonus.
Ba. Meus ille quidem est; tibi nunc operam dabo de Mnesilocho, soror: i. t.

45. Sic Pareus. V.: *veniat.* 58. Ita Pal. Vulgo: *Nihil est: nunc ego, mul.* 61. V.: *Ego. Jubebo* pro *jubeo* vulgato Charis. p. 180. Putsch.

Ut hic accipias potius aurum, quam hinc eas cum milite.
So. Cupio. Ba. Dabitur opera. — Aqua calet. Eamus hinc intro, ut laves: as. t. d. i. d.
Nam ut in navi vecta es, credo, timida es. So. Aliquantum soror. t. t. c.
Simul hinc nescio quis turbare, qui huc it. Decedamus. as. t. d. i. d. c.
Ba. Sequere hac igitur me intro in lectum, ut sedes lassitudinem. t. t. c.

LYDUS. PISTOCLERUS.

Ly. Jamdudum, Pistoclere, tacitus te sequor, i. s. I, 2
Spectans, quas tute res hoc ornatu geras:
Namque ita me di ament, ut Lycurgus mihi quidem
Videtur posse hic ad nequitiam adducier.
Quo nunc capessis ted hinc advorsa via
Cum tanta pompa? Pi. Huc. Ly. Quid huc? qui istic habet?
Pi. Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium,
Jocus, Ludus, Sermo, suavis Saviatio.
Ly. Quid tibi commerci est cum dis damnosissumis?
Pi. Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.
Tu dis nec recte dicis: non aequom facis.
Ly. An deus est ullus suavis Saviatio?
Pi. An non putasti esse unquam? O Lyde, es barbarus,
Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem!
I! stultior es barbaro Poticio,
Qui tantus natu deorum nescis nomina.
Ly. Non hic placet mi ornatus. Pi. Nemo ergo tibi
Hunc adparavit; mihi paratust, quoi placet.
Ly. Etiam me advorsus exordire argutias,
Quoi, si decem habeas linguas, mutum esse addecet?
Pi. Non omnis aetas, Lyde, ludo convenit.
Magis unum in mente est mihi nunc, satis ut commode

75. Sic 2 Camerariani. V.: *turbat.* *Nescio* extremam syllabam producit. 77. Ita Pal. V.: *Nam.* 80. V.: *quis ist. h.* 82. Sic Pal. et libri probatiores, non *Suaviatio*, ut vulgo, neque agnominatione opus est. Quin jungerem *Sermo* et *suavis*, nisi obstaret 86. 87. Sic MSS. et edd. mediae. Ἀμέτρως vulgati libri. *A. n. p. e.? nimium quam, o L., es b.* 92. V.: *Hoc a.: m. paratum est,* MSS.: *Haec a.* 94. Inepte libri: *Qui, si* etc.

Pro dignitate obsoni hoc concuret cocus.
Ly. Jam perdidisti te atque me atque operam meam,
Qui tibi nequidquam saepe monstravi bene!
Pi. Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam:
Tua disciplina nec mihi prodest nec tibi.
Ly. O praeligatum pectus! Pi. Odiosus mihi es.
Tace atque sequere, Lyde, me! Ly. Illuc, sis, vide:
Non paedagogum jam me, sed Lydum, vocat!
Pi. Jam excessit mi aetas ex magisterio tuo!
Non par videtur neque sit consentaneum,
Quom hic ipsus intus siet et cum amica adcubet,
Quomque osculetur et convivae alii adcubent:
Praesente ut paedagogus una illis siet.
Ly. An hoc ad eas res obsonatum est, obsecro?
Pi. Sperat quidem animus; quo evenat, dis in manu est.
Ly. Tu amicam habebis? Pi. Quom videbis, tum scies.
Ly. Imo neque habebis, nec sinam! Iturus domum?
Pi. Omitte, Lyde, ac cave malo! Ly. Quid? cave malo?
O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem lubens!
Video nimirum multo plus, quam volueram:
Vixisse nimio satiust jam, quam vivere!
Magistron' quemquam discipulum minitarier?
„Nil moror, discipulos esse mihi tam plenos sanguinis.“ t. t. c.
Valens adflictet me vacivom virium.
Pi. Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus.
Ly. Pol metuo mage, ne Phoenix tuis factis fuam,
Teque ad patrem esse mortuom renuntiem.
Pi. Satis historiarum est! Ly. Hic vereri perdidit.
Conpendium edepol haud aetati optabile
Fecisti, quom istanc nactus inpudentiam! —
Occisus hic homo est. — Ecquid in mentem est tibi,
Patrem tibi esse? Pi. Tibi ego, aut tu mihi servos es?
Ly. Pejor magister te istaec docuit, non ego.
Nimio es tu ad istas res discipulus docilior,
Quam ad illa, quae te docui, ubi operam perdidi!
Pi. Istactenus tibi, Lyde, libertas data est

105. Minus apte hic versus legitur post 114. 107. V.: *Cum herus hic intus sit, et c. a. a. Herus* abest a libris vett. Pal.; *cum haec intus intus sit*, h. e. procul dubio: *c. hic ipsus intus s. Ipsus*, *ipsa*, dominus, domina. 109. Libri nullis numeris: *Praesentibus illis p. una ut s.* Cf. Amph. fragm. 1., Donat. ad Terent. Eun. 595. 111. V.: *eveniat.* 113. *Iturus*, iturus es. Inepte libri: *It. sum d. Sinam* non eliditur. 116. V.: *V. nimio jam multo pl. q. u.* Cf. sequ. versus. 119. Versus, ni fallor, poëtae alicujus scenici. 132. V.: *data est. Orationis satis est.*

Orationis: satis est. Sequere hac me ac tace.
Ly. Edepol fecisti furtum in aetatem malum,
Quom istaec flagitia me celavisti et patrem!

CHRYSALUS.

Herilis patria, salve, quam ego biennio, i. s. II, 1
Postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens!
Saluto te, vicine Apollo, qui aedibus
Propinquos nostris adcolis, veneroque te:
Ne Nicobulum me sinas, nostrum senem,
Prius convenire, quam sodalem viderim
Mnesilochi Pistoclerum, quem ad epistolam
Mnesilochus misit super amica Bacchide.

PISTOCLERUS. CHRYSALUS.

Pi. Mirum est, me, ut redeam, te opere tanto quaesere, i. s. II, 2
Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim:
Ita me vadatum amore vinctumque attines.
Ch. Proh di inmortales, Pistoclerum conspicor!
O Pistoclere, salve! Pi. Salve Chrysale!
Ch. Conpendi verba multa jam faciam tibi.
Venire tu me gaudes: ego credo tibi;
Hospitium et coenam pollicere ut convenit,
Peregre advenienti: ego autem venturum adnuo;
Salutem tibi ab sodali solidam nuntio:
Rogabis, me ubi sit. Vivit. Pi. Nempe recte valet?
Ch. Istuc volebam ego ex te percontarier.
Pi. Qui scire possum? Ch. Nullus plus. Pi. Quemnam ad modum?
Ch. Quia si illa inventa est, quam ille amat: recte valet;
Si non inventa est: minus valet, moribundus est.
Anima est amica amanti; si abest: nullus est;
Si adest: res nulla est, ipsus est nequam et miser.
Sed tu quid factitasti mandatis super?
Pi. Egon' ut quod ab illo attigisset nuntius,
Non impetratum id advenienti redderem?
Regiones colere mavellem Acherunticas!
Ch. Eho, an invenisti Bacchidem? Pi. Samiam quidem.

133. Libri Cam. *sequ. me hac ac t.* V.: *hac* non legitur. 157. Libri, glossemate foedati et inepto et ἀμέτρῳ: *qu. i. am., vivit recte et valet.* Sarrac. *vivit et r. v.* Mediae edd.: *viv. r. v.* 163. Sic vett. edd. V.: *adv. ei redd.*

Ch. Vide, quaeso, ne quis tractet illam indiligens:
Scis tu, ut confringi vas cito Samium solet.
Pi. Jamne, ut soles? Ch. Dic, ubi ea nunc est, obsecro!
Pi. Hic, exeuntem me unde adspexisti modo.
Ch. Ut istuc est lepidum: proxumae viciniae
Habitat! Equidnam meminit Mnesilochi? Pi. Rogas?
Imo unice unum plurimi pendit. Ch. Papae!
Pi. Imo ut eam credis? misere amans desiderat.
Ch. Scitum istuc! Pi. Imo, Chrysale . . . . Ch. Hem!
Pi. Non tantulum
Unquam intermittit tempus, quin eum nominet.
Ch. Tanto hercle melior Bacchis. Pi. Imo ... Ch. Imo abiero
Potius. Pi. Num invitus rem bene gestam audis heri?
Ch. Non res, sed actor, mihi cor odio sauciat.
Etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo,
Nullam aeque invitus specto, si agit Pollio.
Sed Bacchis etiam fortis tibi visa est? Pi. Rogas?
Ni nactus Venerem essem, hanc Junonem ducerem.
Ch. Edepol, Mnesiloche, ut hanc rem natam intellego,
Quod ames, paratum est: quod des, invento est opus.
Nam istoc fortasse opus auro est. Ph. Philippeo quidem
Ch. Atque eo fortasse jam opus est. Pi. Imo etiam prius:
Nam jam huc adveniet miles ... Ch. Et miles quidem?
Pi. Qui de amittunda Bacchide aurum hinc exiget.
Ch. Veniat, quando volt, atque ita, ne mihi sit morae!
Domi est: non metuo neque ego quoiquam supplico,
Dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum.
Abi intro: ego hic curabo; tu intus dicito,
Mnesilochum adesse, Bacchidi. Pi. Faciam, ut jubes.
Ch. Negotium ad med attinet hoc aurarium.
Mille et ducentos Philippum attulimus aureos,
Epheso quos hospes debuit nostro seni:
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Unde aurum efficiam amanti herili filio,
Sed foris concrepuit nostra: quinam exit foras?

173. V.: *I, ut eum cr.? misera am. d.* Correxit Acid. Vet. cod. Cam.: *miserae* pro *misere*. Cf. scen. suppos. 2. v. 24. etc. 176. Sic Junt. Ald. V.: *Imo hercle abiero.* Possis etiam delere nomen *Bacchis*, tanquam adscriptum ab interprete. 178. V.: *Non herus, sed* etc. 180. Notus eo tempore actor P. Pollio minus probatur. Vid. Guil. V.: *Pellio*: vid. l. l. ad 173. 182. Ita Lips. V.: *dicerem.* 183. V.: *nat. esse int.* Emendavit Bentl. ad Terent. Ad. 5, 1, 8. 185. *istoc*, istuc. Edd. vett.: *istic*. V.: *aurum*; sed *auro* requirit responsio Pistocleri. 188. V.: *hic exigit.* 195. Libri impingente versu: *Philippos.* Cf. 238. etc. 196. *Epheso hospes*, Ephesius. Vid. Guilelm. Misc. Quaest. cap. 5.

NICOBULUS, CHRYSALUS.

Ni. Ibo in Piraeeum; visam, ecquae advenerit i. s. II, 3.
In portum ex Epheso navis mercatoria:
Nam meus formidat animus, nostrum tam diu
Ibi desidere neque redire filium.
Ch. Extexam ego illum pulcre jam, si di volunt!
Haud dormitandum est; opus est χρυσῷ Chrysalo!
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem
Phryxi: ita tondebo auro usque ad vivam cutem.
Servos salutat Nicobulum Chrysalus.
Ni. Proh di inmortales, Chrysale, ubi mi est filius?
Ch. Quin tu salutem primum reddis, quam dedi?
Ni. Salve. Sed ubinam est Mnesilochus? Ch. Vivit; valet.
Ni. Venitne? Ch. Venit. Ni. Euax, adspersisti aquam!
Benene usque valuit? Ch. Pancratice atque athletice.
Ni. Quid hoc, qua causa eum hinc in Ephesum miseram?
Accepitne aurum ab hospite Archidemide?
Ch. Heu, cor meum et cerebrum, Nicobule, finditur,
Istius hominis ubi fit quaque mentio.
Tun' hospitem illum nominas hostem tuom?
Ni. Quid ita, obsecro, hercle? Ch. Quia edepol certe scio,
Volcanus Sol Luna et Dies dei quatuor
Scelestiorem nullum inluxere alterum...
Ni. Quamne Archidemidem? Ch. Quam, inquam, Archidemidem.
Ni. Quid fecit? Ch. Quid non fecit? quin tu id me rogas?
Primumdum inficias ire coepit filio;
Negare, se debere tibi triobulum:
Continuo antiquom hospitem nostrum sibi
Mnesilochus advocavit Pelagonem senem:
Eo praesente homini extemplo ostendit symbolum,
Quem tute dederas ad eum, ut ferret, filio.
Ni. Quid, ubi ei ostendit symbolum? Ch. Infit dicere,
Adulterinum et non eum esse symbolum;
Quotque innocenti dixit contumelias!
Adulterare etiam aibat rebus ceteris.
Longum est, triconem maleficum exornarier.
Ni. Habetin' aurum? Id primum mihi dici volo.

207. Male libri: *itaque*. 211. Fort.: *Sed ubi Mnes. nam est?* ut nomen *Mnes.* recte acuatur. 220. *et* repererunt Acid. et Meurs. V. deest, quo expuncto legendum fortasse est *divi*. 231 V.: *A. eum ajebat r. c.* 234. Male post 245. insertum versum hic posuit Acid. 235. *primum* abest a Palatino.

Ch. Postquam quidem praetor recuperatores dedit:
Damnatus demum vi coactus reddidit
Mille et ducentos Philippum. Ni. Tantum debuit.
Ch. Porro etiam ausculta pugnam, quam voluit dare.
Ni. Etiam est quid porro? Ch. Hem, accipe: trina haec nunc erit.
Ni. Deceptus sum: Autolyco hospiti aurum credidi.
Ch. Quin tu audi. Ni. Imo avidi ingenium haud pernoram hospitis.
Ch. Postquam aurum abstulimus, indu navem conscendimus.
Domum cupientes, forte ut adsedi in stega,
Dum circumspecto: atque ego lembum conspicor . . .
Ni. Perii hercle! lembus ille mihi laedit latus!
Ch. Is erat communis cum hospite et praedonibus.
Ni. Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem,
Quom mi ipsum nomen ejus Archidemidis
Clamaret, demturum esse, si quid crederem!
Ch. Is nostrae navi lembus insidias dabat.
Occoepi ego observare eos, quam rem gerant.
Interea e portu nostra navis solvitur;
Ubi portu eximus: homines remigio sequi,
Neque aves neque venti citius. Quoniam sentio,
Quae res gereretur: navem extemplo statuimus.
Quoniam vident nos stare: occeperunt ratem
Turbare inportune. Ni. Edepol mortalis malos!
Quid denique agitis? Ch. Rursum in portum recipimus.
Ni. Sapienter factum a vobis! Quid illi postea?
Ch. Revorsionem ad terram faciunt vesperi.
Ni. Aurum hercle auferre voluere! ei re operam dabant!
Ch. Non me fefellit; sensi. Ni. Ego exanimus fui.
Ch. Quoniam videmus, auro insidias fieri:
Capimus consilium continuo: postridie
Auferimus inde aurum omne, illis praesentibus,
Palam atque aperte: ut illi id factum scirent.
Ni. Scite hercle! Cedo, quid illi? Ch. Tristes eloco.
Quom extempulo a portu ire nos cum auro vident,
Subducunt lembum capitibus quassantibus.

240. Legitur frustra asperato versu *Etiamne*. 242. *Imo* non est hujus loci. Legendum puto *Enim*. 243. Libri numeris pravis: in *navém consc*. Μονοσυλλάβως pronuntiandum *navem* (ναῦν), n littera elisa. Vidd. interpp. ad Amph. prol. 90 et Wasii Senar. cap. 14. 251. Ita Iunt. Ald. etc. V.: *Is lemb. nostrae ins. d.* 254. Sic Palat. V.: *exiimus*. 258. V.: *T. in portu*. Interceptum videtur - *ne* a *ni*. (Nicobulus,) sequente. 263. V. sub Chrysali persona: *eo exanimatus fui*. 269. V.: *extemplo*.

Nos apud Theotimum omne aurum deposivimus,
Qui illic sacerdos est Dianae Ephesiae.
Ni. Qui istuc Theotimust? Ch. Megalobyzi filius,
Qui nunc in Epheso est Ephesiis carissumus.
Ni. Nae ille hercle mihi sit multo tanto carior,
Si me illoc auro tanto circumduxerit!
Ch. Quin inde ipsa aede Dianai conditum est;
Ibidem publicitus servant. Ni. Occidisti' me!
Nimio hic privatim servaretur rectius.
Sed nilne attulistis inde auri domum?
Ch. Imo etiam. Verum, quantum attulerit, nescio.
Ni. Qui nescis? Ch. Quia Mnesilochus noctu clanculum
Devenit ad Theotimum, nec mihi credere
Nec quoiquam in navi voluit: eo ego nescio,
Quantulum attulerit; verum haud permultum attulit.
Ni. Etiam dimidium censes? Ch. Non edepol scio;
Verum haud opinor. Ni. Fertne partem tertiam?
Ch. Non hercle opinor; verum verum nescio.
Profecto de auro nil scio, nisi nescio.
Nunc tibimet illuc navi capiundum est iter,
Ut illud reportes aurum ab Theotimo domum.
Atque heus tu! Ni. Quid vis? Ch. Anulum gnati tui
Facito ut memineris ferre. Ni. Quid opus anulo?
Ch. Quia id signum est cum Theotimo: qui eum illi adferet,
Ei aurum ut reddat. Ni. Meminero: recte mones.
Sed istic Theotimus divesne est? Ch. Etiam rogas,
Qui aurod habeat soccis subpactum solum?
Ni. Cur ita fastidit? Ch. Tantas divitias habet:
Nescit, quid faciat auro. Ni. Mihi dederit velim.
Sed qui praesente id aurum Theotimo datum est?
Ch. Populo praesente; nullust Ephesi, quin sciat.
Ni. Istuc sapienter saltem fecit filius,
Quom diviti homini id aurum servandum dedit:
Ab eo licebit quamvis subito sumere.
Ch. Imo enim tantisper nunquam te morabitur,

271. V.: *deposuimus.* Corr. Sciopp. 272. Libri *Megalobuli* (ut Palat.), *Megaloboli.* Megabyzi seu Megalobyzi appellati sunt Dianae Ephesiae sacerdotes. Cf. Meurs. Exercc. crit. p. 128., Hemsterh. ad Lucian. Timon. §. 22. Malebat Meursius *Megalobuzi.* 277. Codd. hiante versu: *Q. in i. u. Dianae c. e.* 280. Sic Pal., nisi quod habet *nihilne.* Sarrac.: *S. nihilnam att.* etc. V.: *S. vos nihilne att.* Non liquescit *nilne.* 282. V.: *Quid, nescis?* 285. *Quant.* non eliditur. Frustra Iunt. Ald.: *Quantillum.* 293. Ita Pal. V.: *opust.* 295. V.: *mem., et r. m.* 297. Ἀνεκλίπτως pronuntiandum *Qui*, nisi legendum sit: — *rogas? Quine aurod. h. s. s. s.* Taubm. dederat: *Qui socc. hab. a. s. s.*

Quin habeas illud, quo die illuc veneris.
Ni. Censebam, me ecfugisse a vita marituma,
Ne navigarem tandem hoc aetatis senex;
Id mi haud, utrum velim, licere intellego:
Ita bellus hospes fecit Archidemides.
Ubi nunc est ergo meus Mnesilochus filius?
Ch. Deos atque amicos it salutatum ad forum.
Ni. At ego hinc ad illum: ut convenam, quantum potest. —
Ch. Ille est oneratus recte et plus justo vehit!
Exorsa haec tela non male omnino mihi est:
Ut amantem herilem copem facerem filium.
Ita feci, ut auri quantum vellet sumeret;
Quantum autem lubeat reddere, ut reddat patri.
Senex in Ephesum ibit aurum arcessere;
Hic nostra agetur aetas in malacum modum:
Siquidem hic relinquet neque secum abducet senex
Med et Mnesilochum. Quas ego hic turbas dabo! —
Sed quid futurum est, quom hoc senex resciverit?
Quom se excucurrisse illuc frustra sciverit,
Nosque aurum abusos? quid mihi fiet postea?
Credo hercle, adveniens nomen mutabit mihi,
Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.
Aufugero hercle, si magis usus venerit;
Si ero reprehensus, macto illum infortunio!
Si illi sunt virgae ruri: at mihi tergum domi est!
Nunc ibo: herili filio hanc fabricam dabo
Super auro amicaque ejus inventa Bacchide.

L Y D U S.

Pandite atque aperite propere januam hanc Orci, obsecro! t. t. c. III, 1
Nam equidem haud aliter esse duco: quippe quo nemo advenit,
Nisi quem spes reliquere omnes, esse ut frugi possiet.
Baccides non Bacchides, sed Bacchae sunt acerrumae.
Apage istas a me sorores, quae hominum sorbent sanguinem!
Omnis ad perniciem instructa domus opime atque opipare!
Quae ut adspexi: me continuo contuli protinam in pedes.
Egone ut haec conclusa gestem clanculum? ut celem patrem,

313. V.: *conveniam.* 317. sequ. Inconcinna oratio. Legendum fortasse est: *Quantum autem lubuit, redderet, reddi patri.* 322. *Med* Palat. V.: *Me.*

Pistoclere, tua flagitia, aut damna, aut desidiabula,
Quibus patrem et me teque amicosque omnis adfectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium adpellere una et perdere?
Neque mei neque te tui intus puditum est factis, quae facis,
Quibus tuom patrem, meque una, amicos, adfinis tuos,
Tua infamia fecisti gerulifigulos flagiti!
Nunc priusquam malum istuc addis: certum est, jam dicam patri.
De me hanc culpam demolibor jam, et seni faciam palam:
Hinc eum ex lutulento coeno propere ut eliciat foras.

MNESILOCHUS.

Multimodis meditatus egomet mecum sum et ita esse arbitror; t. t. c. III, 2.
Homini amico, qui est amicus ita, uti nomen possidet,
Nisi deos, ei nil praestare. Id opera expertus sum esse ita;
Nam ut in Ephesum hinc abii (hoc factum est ferme abhinc biennium):
Ex Epheso huc ad Pistoclerum meum sodalem litteras
Misi, amicam ut mi inveniret Bacchidem; illum intellego
Invenisse, ut servos meus mihi nuntiavit Chrysalus.
Condigne is quam technam de auro advorsum meum fecit patrem,
Ut mihi amanti copia esset! t. d.
[Sed eccum video incedere.]
Nam pol, meo quidem animo, ingrato homine nihil inpensiust;
Malefactorem amitti satius, quam relinqui beneficum.
Praestat nimio, inpendiosum te quam ingratum dicier:

346. *Tua* legendum sine elisione. 349. Sarrac. Mediol. a. 1500. etc.: *luculento*, quod cum sententiae acutae causa, tum metri gratia, laborare et ipsi et Lambino aliisque visi, in ordinem recipi jubet Guilelm. Quaest. in Bacc. c. 2. Legitur autem vulgo: *Ut eum ex l. c. pr. hinc el. f.* 350. V.: *Multis modis.* Sic prisci, duobus verbis in unum compulsis, dicebant etiam *omnimodis*, *vasargenteis*, *passicrinibus*, *tectifractis*, quae commemorantur a Cicerone. Vide Palmer. Spicil. Lamp. Gruter. 4. p. 706. *Multimodis* h. l. dudum placuerat Camerario, Lambino, aliisque. 358. Verba cancellata, quibus hic locus non est, sublecta videntur versu 368. Non placet, quod vulgo legitur, Mureti commentum hoc *Sed aequom id ei reddere. Nam* sequente versu positum graeco more in prodosi, cum ad apodosin pertineat.

Illum laudabunt boni; hunc etiam ipsi culpabunt mali.
Qua me causa mage cum cura esse aequom et obvigilato opust.
Nunc, Mnesiloche, specimen specitur, nunc certamen cernitur,
Sisne, necne, ut esse oportet; malus, bonus, quojusmodi;
Justus, injustus, malignus; commodus, incommodus.
Cave, sis, te superare servom siris faciundo bene!
Utut eris, moneo, haud celabis. — Sed eccos video incedere as. t. d. i. d.
Patrem sodalis et magistrum. Hinc auscultabo, quam rem agant. i. t.

LYDUS. PHILOXENUS. MNESILOCHUS.

Ly. Nunc experiar, sitne acetum tibi cor acre in pectore. a. t. c. III, 3.
Sequere. Phi. Quo sequar? quo ducis nunc me? Ly. Ad illam, quae tuom
Perdidit, pessumdedit, tibi filium unum unicum.
Phi. Heia, Lyde, leniter qui saeviunt, sapiunt magis.
Minus mirandum est, illaec aetas si quid illorum facit,
Quam si non faciat. Feci ego istaec itidem in adulescentia. i. t.
Ly. Hei mihi, hei mihi, istaec illum perdidit adsentatio! t. t. c.
Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum;
Nunc propter te tuamque pravos factus est fiduciam i. t.
Pistoclerus. Mne. Di inmortales, meum sodalem hic nominat! t. t. c.
Quid hoc negoti est, Pistoclerum Lydus quod herum tam ciet? i. t.
Phi. Lyde, paulisper lubido est homini suo animo obsequi; t. t. c.

362. V.: *hoc etiam*. Recte Lamb. dedit *hunc*, siquidem opponuntur inter se impendiosus et ingratus; neque opus Meursii obsoleto illo *honc*. 363. V.: *Q. me c. magis c. c. esse ea quam obvig. est opus*. 366. Libri versu ὑπερμέτρῳ: *I., ini.; malignus, largus; commodus, incommodus*. Putavit nescio quis, vocabulo *malignus* adjungendum esse aliud, quod eodem ei modo opponeretur, quo *justus injusto*, *commodus incommodo*. Verum putida ea ratio, additumque *malignus* verbo *injustus* explicationis causa, ut intelligamus, quod genus injustitiae dicatur. Versui nihil timendum, quia verbi *commodus* syllaba postrema propter interpunctionem producitur. 372. *uni* non liquescit.

Jam aderit tempus, quom sese etiam ipse oderit. Morem geras.
Dum caveatur, praeter aequom ne quid delinquat: sine.
Ly. Non sino, neque equidem illunc me vivo conrumpi sinam.
Sed tu, qui tam pro conrupto dicis causam filio,
Eademne erat haec disciplina tibi, quom tu adulescens eras?
Nego, tibi hoc annis viginti fuisse primis copiae,
Digitum longe a paedagogo pedem ut ecferres aedibus.
Id quom obtigerat: hoc etiam ad malum arcessebatur malum:
Et discipulus et magister perhibebantur inprobi.
Ante solem exorientem ni in palaestram veneras:
Gymnasî praefecto poenas haud mediocris penderes.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliendo, sese exercebant mage, quam scorto aut saviis;
Ibi suam aetatem extendebant, non in latebrosis locis.
Inde de hippodromo et palaestra ubi revenisses domum:
Cincticulo praecinctus in sella apud magistrum adsideres;
Quom librum legeres, sid unam peccavisses syllabam:
Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium.
Mne. Propter me haec nunc meo sodali dici, discrucior miser:
Innocens suspicionem hanc sustinet causa mea.
Phi. Alii, Lyde, nunc sunt mores. Ly. Id equidem ego certo scio:
Nam olim populi prius honorem capiebat suffragio,
Quam magistro desinebat esse dicto obediens;
At nunc priusquam septuennis est, si attingas eum manu:
Extempulo puer paedagogo tabula disrumpit caput. i. t.
Patrem quom adeas postulatum: puero sic dicit pater: t. t. c.
„Noster esto, dum te poteris defensare injuria!“
Provocatur paedagogus: „Eho, senex minumi preti,
Ne attingas puerum istac causa: quandô fecit strenue.“ i. t.
Ut magister, quasi laterna, uncto expletust linteo: t. t. c

385. Pal.: *pro tam.* 389, 90. hoc loco ponuntur ab Hieron. Groslotio apud Douzam filium. V. post duos sequentes inferuntur. Legitur autem vulgo: *Id quoi obt.* Decurt. *Id quo* (quŏ) *obt.* Vett. edd.: *Idque obt.* 391. V. duris numeris: *A. s. exórientém nisi in p. v.* Jam *solem* non est elidendum. 406. V.: *Extemplo.* Contrahendum in unam syllabam *puer* per συναλοιφὴν sive Synaeresin: nam *por* inusitatum. 411. V.: *It mag. q. lucerna u. expretus l.* Decurt.: *Et mag. q. l. u. expertus l.* Edd. mediae: *expletus.* Recte Salmasius et Gron.: *lnterna.* Laternae linteo obductae, quod genus vilius erat, Cic. meminit ad Att. 4, 3. Ejusmodi linteo comparantur emplastra, quibus obsitus fissorum curandorum gratia paedagogus. *Ut*, postquam. Commutari inter se solent hae voculae in libris. Cf. not. ad Asin. 165.

Itur illinc jure dicto. Hoccine hic pacto potest
Inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulet?
Mne. Acris postulatio haec est, quom hujus dicta intellego.
Mira sunt, ni Pistoclerus Lydum pugnis contudit.
Phi. Sed quis hic est, quem adstantem video ante ostium? Ly. O Philoxene . . .
Mne. Deos propitios me videre quam illunc mavellem mihi!
Phi. Quis illic est? Ly. Mnesilochus, gnati tui sodalis Pistocleri, i. t. h.
Haud consimili ingenio atque ille est, qui in lupanari adcubat. t. t. c.
Fortunatum Nicobulum, qui illunc produxit sibi!
Phi. Salvos sis, Mnesiloche; salvom te advenire, gaudeo.
Mne. Di te ament, Philoxene. Ly. Hic enim rite productust patri:
In mare it; rem familiarem curat; custodit domum;
Obsequens obediensque est mori atque imperiis patris.
Hic sodalis Pistoclero jam puer puero fuit;
Triduom non interest aetatis, uter major siet:
Verum ingenium plus triginta annis majust, quam alteri.
Phi. Cave malo et conpesce in illum dicere injuste! Ly. Tace:
Stultus es, qui illi male aegre patere dici, qui facit.
Nam illum meum malum promtare malim, quam peculium.
Phi. Quidum? Ly. Quia, malum si promtet, indies faciat minus.
Mne. Quid sodalem meum castigas, Lyde, discipulum tuom?
Ly. Periit tibi sodalis! Mne. Ne di sirint! Ly. Sic est, ut loquor.
Quin ego, quom peribat, vidi; non ex audito arguo.
Mne. Quid factum est? Ly. Meretricem indigne deperit . . . Mne. Non tu taces?
Ly. Atque acerrumam: aestuose absorbet, ubi quemque attigit.
Mne. Ubi ea mulier habitat? Ly. Hic. Mme. Unde esse eam ajunt? Ly. Ex Samo.
Mne. Quae vocatur? Ly. Bacchis. Mne. Erras, Lyde. Ego omnem rem scio,
Quemadmodum est; tu Pistoclerum falso atque insontem arguis:

428. Minus ex more loquendi codd.: *Cave malum.* 436. Pal.: *A. acerrumea est uos absorbet* etc. A finale vocabuli *aestuosa* raptum a sequente. V.: *At quae acerrume atque aestuose absorbet, u. q. a.* Cf. Truc. act. 2, 3. extrema.

Nam ille amico et benevolenti suo sodali sedulo
Rem mandatam exsequitur; ipsus neque amat, nec tu creduas.
Ly. Itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo,
Ut ipsus in gremio osculantem mulierem teneat sedens? i. t.
Nullon' pacto res mandata potest agi, nisi itentidem t. t. c.
Manus ferat ad papillas, labra a labris nunquam aufe-rat? i. t.
Nam alia memorare, quae illum facere vidi, dispudet: t. t. c.
Quom manum sub vestimenta ad corpus tetulit Bacchidi
Me praesente, neque pudere quidquam. Quid verbis opust?
Mihi discipulus, tibi sodalis, periit, huic filius:
Nam ego illunc periisse dico, quoi quidem periit pudor.
Quid opust verbis? si opperiri vellem paulisper modo,
Aut inopinato inspectandi mi esset major copia:
Plus vidissem quam deceret, quam me atque illo aequom foret.
Mne. Perdidisti me, sodalis! Egone ut illanc mulierem
Capitis non perdam? Perire me malis malim modis!
Satin' ut, quem tu habeas fidelem tibi, aut quoi credas, nescias? as. t. d. i. d.
Ly. Viden', ut aegre patitur, gnatum esse conruptum tuom, t. t. c.
Suom sodalem? ut ipsus sese cruciat aegritudine?
Phi. Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium regas.
Serva tibi sodalem et mihi filium! Mne. Factum volo.
Phi. In te ergo hoc onus omne inpono. Lyde, sequere hac me. Ly. Sequor.
Melius esset, me quoque una si cum illoc relinqueres.
Phi. Adfatim est. — Mnesiloche, cura et concastiga hominem probe,
Qui dedecorat me, te, amicosque alios, flagitiis suis!

M N E S I L O C H U S.

Inmitiorem nunc utrum credam magis i. e. III, 4.
Sodalemne esse an Bacchidem, incertum admodum est.
Illum exoptavit potius? Habeat! optume est!

446. V.: *nusquam.* 447. Sic Decurt. V.: *detulit.* 449. V.: *huic.* 452. V.: *Ut opinor, illius inspect.* In edd. mediis non legitur *illius.* 464. Ita quidam apud Pareum. Libri vett. et incepta sententia et frustra mutato metro: *amicos atque alios.* Sic etiam alibi erratum.

Nae illa illud hercle cum malo fecit — meo:
Nam mihi divini nunquam quisquam creduat,
Ni ego illam exemplis plurimis planeque — amo!
Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat:
Nam jam domum ibo atque — aliquid subripiam patri;
Id isti dabo. Ego istanc multis ulciscar modis!
Adeo illam cogam usque, ut — mendicet meus pater!
Sed satin' ego animum mente sincera gero,
Qui adhuc modum haec hic, quae futura, fabulor?
Amo hercle, opinor: utpote quod certo sciam;
Verum quam illa unquam de meis opulentiis
Ramenta fiat plumea propensior:
Mendicum malim mendicando vincere,
Moriri malim excruciatum me inopia!
Nunquam edepol viva me inridebit: nam mihi
Decretum est, renumerare jam omne aurum patri.
Igitur mi inani atque inopi subblandibitur
Tum, quom sibi ea res nihilo pluris referet,
Quam si ad sepulcrum mortuo dicat jocum.
Profecto stabile est, patri me aurum reddere!
Eadem exorabo, Chrysalo causa mea
Pater ne noceat, neu quid ei suscenseat
Mea causa de auro, quod eum ludificatus est:
Nam illi aequom est me consulere, qui causa mea
Mendacium jam dixit. Vos me sequimini.

468. Scripti: *cum malo fecit suo, meo*, h. e. *cum malo fecit meo*: vid. not. ad Aul. 540. 474. Libri nullis numeris: *Adeo ego illam*. 478 — 486. Haec nescio quis ita interpolavit in libris:

Verum quam illa unquam de mea pecunia
Ramenta fiat plumea propensior,
Mendicum malim mendicando vincere.
Nunquam edepol viva me irridebit: nam mihi
Decretum est renumerare jam omne aurum patri.
Igitur mihi inani atque inopi subblandibitur
Tum, cum mea illud nihilo pluris referet,
Quam si ad sepulcrum mortuo dicat jocum.
Sed antequam illa unquam meis opulentiis
Ramenta fiat gravior aut propendior,
Mori me malim excruciatum inopia.

Quorum quae gennina mihi visa sunt, excerpsi et in unum conjunxi, inductis glossematis. Versu 481. scripsi *Moriri*, ne bis ecthlipsi abstinendum esset: nam *misera* illud post *malim* in MS. Schobingi JCti apud Pareum et edd. mediis parum placebat. Cf. Asin. 105. etc. 485. Pal. et scripti et vett. edd. *Tum cum mihi nihilo pl. r.* Junt. Ald.: *Tum c. nihilo pl. ea res ref. sibi.* 492. Junt. Ald., incertum qua fide: *Mendacium dixit. vos nunc me sequ.* Pareus: *M. de nunc vos me s.*

PISTOCLERUS.

Rebus aliis antevortar, Bacchis, quae mandas mihi: t.|t. c. III, 5
Mnesilochum ut requiram atque ut eum mecum ad te adducam simul.
Nam illud animus meus miratur, si a me tetigit nuntius,
Quid remoratur. Ibo et visam huc ad eum, si forte est domi.

MNESILOCHUS. PISTOCLERUS.

Mne. Reddidi patri omne aurum. Nunc ego illam me velim t. t. c. III, 6
Convenire, postquam inanis sum, contemtricem meam!
Sed veniam mihi quam gravate pater dedit de Chrysalo! as. t. d. i. d.
Verum postremo impetravi, ut ne quid ei suscenseat. t. t. c.
Pi. Estne hic meus sodalis? Mne. Estne hic hostis, quem adspicio, meus?
Pi. Certe is est. Mne. Is est. Pi. Adibo contra. Mne. Contollam gradum
Pi. Salvos sis, Mnesiloche. Mne. Salve. Pi. Salvos quom peregre advenis:
Coena detur. Mne. Non placet mihi coena, quae bilem movet.
Pi. Num quae advenienti aegritudo objecta est? Mne. Atque acerruma.
Pi. Unde? Pi. Ab homine, quem mihi amicum esse arbitratus sum antidhac.
Pi. Multi more isto atque exemplo vivont, quos quom censeas
Esse amicos: reperiuntur falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.
Nullus est, quoi non invideant rem secundam obtingere;
Sibi ne invideatur, ipsi recte ignavi cavent.
Mne. Edepol nae tu illorum mores perquam meditate tenes.
Sed etiam unum hoc ex ingenio malo malum inveniunt suo: as. t. d. i. d.
Nulli amici sunt, inimicos ipsi in sese omnis habent; t. t. c.

502. V.: Mne. *is est. adibo contra et tollam gr.* Correxit Acid. nisi quod, *contollam* prius dederat Camer. 511. Vocabula *ne* et *recte* non liquescunt.

Atque hi se cum frustrantur, frustrari alios stolidi existumant: i. t.
Sicut est hic, quem esse amicum ratus atque ipsus sum mihi: t. t. c.
Ipse quod in se fuit, adcuratum habuit, quod posset mali
Facere et in mihi conciliare copias omnis meas.
Pi. Improbum istunc esse oportet hominem. Mne. Ego ita esse arbitror.
Pi. Obsecro hercle, loquere, qui is est. Mne. Benevolens vivit tibi:
Nam ni ita esset, tecum orarem, ut ei, quod posses mali
Facere, faceres. Pi. Dic modo hominem, qui sit. Si non fecero
Ei male aliquo pacto: me esse dicito ignavissumum.
Mne. Nequam homo est; verum hercle amicus est tibi. Pi. Tanto magis
Dic quis est: ego nequam hominis parvi pendo gratiam.
Mne. Video, non potesse, quin tibi ejus nomen eloquar:
Pistoclere, perdidisti me sodalem funditus!
Pi. Quid istuc est? Mne. Quid sit? Misine ego ad te ex Epheso epistolam i. t.
Super amica, ut mi invenires? Pi. Fateor factum et reperi. t. t. c.
Mne. Quid? tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi, i. t.
Occiperes tute amare et med ires consultum male?
Pi. Sanun' es? Mne. Rem reperi omnem ex tuo magistro: ne nega.
Perdidisti me! Pi. Etiamne ultro tuis me prolectas probris?
Mne. Quid? amas Bacchidem? Pi. Duas ergo hic intus eccas Bacchides... as. t. d. i. d.
Mne. Quid duae? Pi. Atque ambas sorores. Mne. Loquere nunc nugas sciens. t. t. c.
Pi. Postremo *ego* si pergis parvam mihi fidem arbitrarier,

516. V.: *rat. sum.* 517. Ita Pal. V.: *Ille quod* etc. 518. *in mihi conc.*, mihi inconciliare, per tmesin. V.: *F. et in me inconciliare.* 520. V.: *quis is est?* 530. V.: *Qui, tibi.* Sequor Lambinum. 537. *Ego* in vulgatis aberravit, nisi fallor, ad sequentem versum, ubi legitur: *Tollam ego tech in c.* Certe ibi non desideratur, hic vero facit, ut recte aeuatur verbum *Postremo.* Librorum lectionem *parum* pro *parvam* frustra defensum eunt: vid. Bentl. ad Terent. Eun. 1, 2, 117. (152.)

Tollam ted in collum atque intro hinc auferam. Mne. Imo ibo: mane.
Pi. Non maneo neque tu med habebis falso suspectum. Mne. Sequor. i. t.

PARASITUS. PUER. PISTOCLERUS.

Pa. Parasitus ego sum hominis nequam atque improbi, I. s. IV, 1
Militis, qui amicam secum avexit ex Samo.
Nunc me ire jussit ad eam et percontarier,
Utrum aurum reddat, anne eat secum simul.
Tu dudum, puere, cum illac usque isti simul:
Quae harunc sunt aedes, pulta! adi actutum ad fores! —
Recedin' hinc dierecte? ut pulsat propudium!
Comesse panem tris pedes latum potes,
Fores pultare nescis! Ecquis in aedibust?
Heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?
Ecquis exit? Pi. Quid istuc? quae istaec est pulsatio?
Quae te agitat mala crux, qui ad istunc modum
Alieno viris tuas extentes ostio?
Fores pene ecfregisti! Quid nunc vis tibi?
Pa. Adulescens, salve. Pi. Salve. Sed quem quaeritas?
Pa. Bacchidem. Pi. Utram ergo? Pa. Nil scio, nisi Bacchidem.
Paucis me misit miles ad eam Cleomachus:
Vel ut ducentos Philippos reddat aureos;
Vel ut hinc in Elatiam hodie eat secum simul.
Pi. Non it; negat esse ituram. Abi et renuntia!
Alium illa amat, non illum. Duc te ab aedibus!
Pa. Nimis iracunde! Pi. At scin', quam iracundus siem?
Nae tibi hercle haud longe est os ab infortunio:
Ita dentifrangibula haec meis manibus gestiunt!
Pa. Quom ego hujus verba interpretor: mihi cautio est,
Ne nucifrangibula excussit ex malis meis. —
Tuo ego istaec igitur dicam illi periculo.
Pi. Quid ais tu? Pa. Ego istuc illi dicam. Pi. Dic mihi,
Quis tu es? Pa. Illius sum integumentum corporis.
Pi. Nequam esse oportet, quoi tam integumentum inprobum est.

544. Libri minus expedito versu: *illa.* 546. V.: *Recede h. d.* Junt. Ald. *pultat.* 549. V.: *Ecquis his in aed. est?* 559. Sic Acid. V.: *negato,* quod versus non admittit. 569. Male hic versus ponitur post sequentem, nec recte legitur: *quo tu ist. improbus es. Tam* transpositum: Cf. Stich. 280 etc.

Pa. Subflatus ille huc veniet. Pi. Disruptum velim!
Pa. Numquid vis? Pi. Abeas celeriter! facto est opus.
Pa. Vale, dentifrangibule. Pi. Et tu integumentum, vale.
In eum haec revenit res locum, ut quid consili
Dem meo sodali super amica, nesciam,
Qui iratus renumeravit omne aurum patri,
Neque numus ullust, qui reddatur militi.
Sed huc concedam: nam concrepuerunt fores:
Mnesilochus eccum moestus progreditur foras.

MNESILOCHUS. PISTOCLERUS.

Mne. Petulans, protervo, iracundo animo, indomito, incogitato. t. t. IV, 2
Sine modo et modestia sum, sine bono jure atque honore!
Incredibilis imposque animi, inamabilis, inlepidus vivo as. t. d. a. d.
Malevolente ingenio natus! t. d.
Postremo id mihi est, quod nolo ego esse aliis. Credibile hoc est? as. t. d. i. d. c.
Nequior nemo est neque indignior, quoi di benefaciant,
Neque quem homo quisquam aut amet aut adeat. t. d.
Inimicos quam amicos aequiust me habere; as. b. d. t. d. br.
Malos quam bonos par magis me juvare. b. t.
Omnibus probris, quae inprobis viris as. 2 t. h.
Digna sunt, dignior nullus est homo, as. c. d. t. h.
Qui patri reddidi omned aurum amans,
Quod fuit prae manu. Sumne ego homo miser?
Perdidi med atque operam Chrysali! as. 2 t. h.
Pi. Consolandus hic mi est. Ibo ad eum. Mnesiloche, quid fit? Mne. Perii! t. t.
Pi. Di melius faciant! Mne. Perii! Pi. Non taces, insipiens? i. tr. h.
Mne. Taceam? Pi. Sanus satis non es. Mne. Perii! as. t. i. h.
Multa mala mi in pectore nunc acria atque acerba eveniunt. as. t. d. i. d. c.
Criminin' me habuisse fidem? Immerito tibi iratus fui. as. t. d. i. d.

573. Libri versu nimio: *In eum nunc haec*. 590. *reddidi* non liquescit.

Pi. Heia, bonum habe animum! Mne. Unde habeam? Mortuus pluris preti est, t. t. c
Quam ego sum. Pi. Militis parasitus modo venerat aurum petere hinc; as. t. d. i. d. c,
Eum ego meis dictis malis his foribus atque hac reppuli, t. t. c.
Rejeci hominem. Mne. Quid mi id prodest? quid faciam? Nil habeo miser. as. t. d. i. d.
Ille quidem hanc abducet, scio. Pi. Si mihi sit, non pollicear. i. t. c.
Mne. Scio, duis, novi; sed ni ames. Non tibi fidem habeam tantam:
Nunc agitas sat tute tuarum rerum. Egone ut opem mihi inopem t. t.
Ferre putem te posse? Pi. Tace modo: deus respiciet nos aliquis.
Mne. Nugae! Pi. Mane .... Mne. Quid est? Pi. Tuam copiam eccam video Chrysalum t. t. c.

CHRYSALUS. MNESILOCHUS. PISTOCLERUS.

Ch. Hunc hominem decet auro expendi, decet huic statuam statui ex auro: t. t. IV, 3.
Nam duplex hodie facinus feci, duplicibus spoliis sum adfectus: i. t. h.
Herum majorem meum ut ego hodie lusi lepide! ut ludificatust!
Callidum senem callidis dolis as. 2 t. h.
Conpuli et perpuli, mi omnia ut crederet. c. t.
Nunc amanti hero, filio senis, as. 2 t. h.
Quicum ego bibo, quicum edo et amo,
Regias copias aureasque obtuli: c. t.
Ut domo sumeret, neu foris quaereret!
Non mihi isti placent Parmenones, Syri,
Qui duas aut minas tris heris auferunt!
Nequius nil quam egens consili servos est,
Nisi si habet multipotens pectus: ubicunque usus siet, expromat. t. t.

600. *hac*, Bacchide. Habet hoc Decurt., neque est a Camerario, quod insimulat Gron. 605. Soloece legitur *dares*. 609. *lusi* ταυτολογικόν. Malim *laesi*, vulneravi, tanquam gladiator. Cf. 246, 1064. 613. *Quicum* utrobique non eliditur. 619. V.: *Nisi hab. m. p.: ub. u. s., pectore expr. suo. Pectore* est glossema; *suo* non legitur in Palat. et veteribus.

Nullus frugi esse homo potest; nisi qui tenet et bene et male facere.
Inprobis cum inprobu' sit, harpaget; furetur as. c. d. ith.
Furibus, quod queat. c. d.
Vorsipellem convenit esse hominem, pectus quoi sapit. t. t. c.
Bonus sit bonis, malus sit malis; utcunque res sit, ita animum habeat. i. t. h.
Sed lubet scire, quantum aurum herus sibi as. c. d. t. h.
Demsit et quid suo reddidit patri.
Frugi si est, Herculem fecit ex patre:
Decumam partem ei dedit, sibi novem abstulit.
Sed quem quaero, optume ecce obviam mihi est.
Num qui numi, here, exciderunt tibi, quod sic terram obtuere? quid vos as. t. d. i. d. h.
Moestos tam tristisque conspicor esse? Non placet, nec temere est.
Etiam quid mihi respondetis? t. d.
MNE. Chrysale, occidi! CH. Fortassis tu auri demsisti parum. t. t. c.
MNE. Qui, malum, parum? Imo vero nimio minus multo parum.
CH. Quid igitur tu, stulte, quoniam occasio ad eam rem fuit
Mea virtute parta, ut, quantum velles, tantum sumeres,
Sic hoc sumebas duobus digitulis primoribus?
An nescibas, quam ejusmodi homini raro se tempus daret?
MNE. Erras. CH. At quidem tute errasti, quom parum inmersti ampliter.
MNE. Pol tu, quam nunc, med adcuses mage, si mage rem noveris.
Occidi! CH. Animus jam istoc dicto plus praesagitur mali.
MNE. Perii! CH. Quid ita? MNE. Quia patri omne cum ramento reddidi.
CH. Reddidisti? MNE. Reddidi. CH. Omnene? MNE. Oppido. CH. Occisi sumus!
Qui tibi venit in mentem, istuc facinus facere tam malum?
MNE. Bacchidem atque hunc suspicabar propter crimen, Chrysale,
Mihi male consuluisse: ob eam rem omne aurum iratus reddidi
Meo patri. CH. Quid, ubi reddebas aurum, dixisti patri?
MNE. Me id aurum accepisse extemplo ab hospite Archidemide.

631. V.: *Non pl., nec est tem. etiam. quin mihi resp.?* 648. Sic Pal. et vett. edd. V. *Me* desideratur.

Ch. Hem, istoc dicto hodie dedisti in cruciatum Chrysalum:
Nam ubi me adspiciet, ad carnuficem rapiet continuo senex.
Mne. Ego patrem exoravi. Ch. Nempe ergo hoc ut faceret, quod loquor?
Mne. Imo tibi ne noceat, neu quid ob eam rem suscenseat;
Atque aegre inpetravi. Nunc hoc tibi curandum est, Chrysale....
Ch. Quid vis curem? Mne. Ut ad senem etiam alteram facias viam.
Conpara, fabricare, finge, quod lubet, conglutina:
Ut senem hodie doctum docte fallas aurumque auferas.
Ch. Vix videtur fieri posse. Mne. Perge ac facile ecfeceris.
Ch. Quam, malum, facile, quem mendaci prendit manufesto modo?
Quem si orem, ut nihil mihi credat, id non ausit credere?
Mne. Imo si audias, quae dicta dixit me advorsum tibi!
Ch. Quid dixit? Mne. Si tu illum solem sibi solem esse dixeris: i. t.
Se illum lunam credere esse, et noctem, qui nunc est dies. t. t. c.
Ch. Emungam hercle hominem probe hodie: ne id nequidquam dixerit.
Mne. Nunc quid nos vis facere? Ch. Enim nil, nisi ut ametis, impero.
Ceterum quantum lubet me poscitote aurum: ego dabo.
Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo?
Sed nunc quantillum usust auri tibi, Mnesiloche? dic mihi.
Mne. Militi numis ducentis jam usus est pro Bacchide.
Ch. Ego dabo. Pi. Tum sumtu nobis opus est... Ch. Ah, placide volo
Unumquidque agamus! Hoc ubi egero: tum istuc agam.
De ducentis numis primum balistam intendam in senem;
Ea balista si pervortam turrim et propugnacula:
Recta porta invadam extemplo in oppidum antiquom et vetus;
Id si capso, amicis vostris geritote aurum corbibus,
Sicut animus sperat. Pi. Apud te est animus noster, Chrysale.
Ch. Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem, atque ecfer cito...

657. Sic Palmer. Meurs. Acid. V.: *ac fac. haec feceris.* 659. Ita Pal. V.: *mihi nihil.* 667. Sic vet. cod. Cam. V. *quantulum.* 675. V.: *Sed quoi animus sperat.* Codd.: *Si cui a. sp.* Sequor Scioppium.

Pi. Quid? Ch. Stilum, ceram, tabellas, linum. Pi. Jam faxo hic erunt.
Mne. Quid nunc es facturus? id mihi dice. Ch. Coctum est prandium;
Vos duo eritis atque amica tua erit tecum tertia.
Mne. Sicut dicis. Ch. Pistoclero nulla amica est? Mne. Imo adest:
Alteram ille amat sororem, ego alteram, ambas Bacchides.
Quid tu loquere hoc, ut futuri sumus? Ch. Ubi est biclinium
Vobis stratum? Mne. Quid id exquaeris? Ch. Res ita est: dici volo.
Nescis, quid ego acturus sim, neque, facinus quantum exordiar.
Mne. Cedo manum ac subsequere propius me ad foris! intro inspice!
Ch. Euax nimis bellus atque, ut esse maxume optabam, locus! i. t.
Pi. Quae imperavisti, imperatum bene bonis factum eloco est. t. t. c.
Ch. Quid parasti. Pi. Quae parari tu jussisti omnia.
Ch. Cape stilum propere et tabellas tu has tibi. Mne. Quid postea?
Ch. Quod jubebo, scribito istic: nam propterea te volo
Scribere: ut pater cognoscat litteras, quando legat.
Scribe. Mne. Quid scribam? Ch. Salutem tuo patri verbis tuis.
Pi. Quid, si potius morbum et mortem scribat? id erit rectius.
Mne. Ne interturba. Jam imperatum in cera inest. Ch. Dic, quemadmodum?
Mne. „Mnesilochus salutem dicit suo patri.“ Ch. Adscribe hoc cito:
„Chrysalus mihi usque quaque loquitur nec recte, pater:
„Quia tibi aurum reddiderim et quia non te defraudaverim.“
Pi. Mane, dum scribit. Ch. Celerem oportet esse amatoris manum.
Pi. Atque idem hercle est ad perdundum mage, quam ad scribundum, citus.
Mne. Loquere: hoc scriptum est. Ch. „Nunc, pater mi (proin tu ab eo ut caveas tibi),

680. V.: *et tab. et lin.* Posterius *et* omissum est in Palatino. 682. Inepte libri: Ch. *Q. tu loqueris?* Mne. (haec nota non conspicitur in Pal.) *h. ut f. s.* 683. Ita scripti. V.: *exquiris.* 697. Inconcinne libri: *reddidi.*

„Sycophantias componit: aurum ut abs ted auferat;
„Et profecto se ablaturum dixit.“ Plane adscribito.
Mne. Dic modo. Ch. „Atque id pollicetur se daturum aurum mihi,
„Quod dem scortis quodque in lustris comedim et congraecem, pater.
„Sed, pater, vide, ne tibi hodie verba det! quaeso, cave!“
Mne. Loquere porro. Ch. Adscribedum. Mne. Etiam. Loquere, quid scribam, modo.
Ch. „Sed pater, quod promisisti mihi, te quaeso, ut memineris.
„Ne illum verberes; verum apud te vinctum adservato domi.“
Cedo tu ceram ac linum actutum. — Age, obliga, obsigna cito.
Mne. Obsecro, quid istis ad istunc usust conscriptis modum?
Ut tibi ne quid credat atque ut vinctum te adservet domi?
Ch. Quia mi ita lubet! Potin', ut cures te atque ut ne parcas mihi?
Mea fiducia opus conduxi, et meo periclo rem gero. i. t.
Mne. Aequom dicis. Ch. Cedo tabellas. Mne. Accipe. Ch. Animum advortite,
Mnesiloche, et tu, Pistoclere. Jam facite in biclinio
Cum amica sua uterque adcubitum eatis (ita negotium est),
Atque ibidem, ubi nunc sunt lecti strati, potetis cito.
Pi. Numquid aliud? Ch. Hoc; atque etiam, ubi erit adcubitum semel,
Ne quoquam exsurgatis, donec a me erit signum datum.
Pi. O imperatorem probum! Ch. Jam bis bibisse oportuit. i. t.
Mne. Fugiamus! Ch. Vos vostrum curate officium; ego efficiam meum. —
Insane magnum molior negotium, i. s.
Metuoque, ut hodie possiem emolirier.
Sed nunc truculento mi atque saevo usus sene est:
Nam non conducit huic sycophantiae,
Senem tranquillum esse. Ubi me adspexerit:
Vorsabo ego hodie illum, si vivo, probe!
Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer!
Adambulabo ad ostium: ut, quando exeat,
Extemplo advenienti ei tabellas dem in manum.

709. V. uno tenore: *Etiam loquere, q. s., m.* 715. *atque ut ne* a Camerariani. V.: *a. ne.*

NICOBULUS. CHRYSALUS.

Ni. Nimio illaec res est magnae dividiae mihi, i. s. IV, 4.
Subterfugisse sic mihi hodie Chrysalum!
Ch. Salvos sum: iratus est senex. Nunc est mihi
Adeundi ad hominem tempus. Ni. Quis loquitur prope?
Atque hic quidem, opinor, Chrysalust. Ch. Accessero.
Ni. Bone serve, salve. Quid fit? quam mox navigo
In Ephesum, ut aurum repetam ab Theotimo domum? —
Taces? Per omnis deos adjuro, ni meum
Gnatum tam amem atque ei facta cupiam, quae is velit,
Ut tua jam virgis latera lacerentur probe,
Ferratusque in pistrino aetatem conteras!
Omnia rescivi scelera ex Mnesilocho tua.
Ch. Men' criminatust? Optume est! ego sum malus!
Ego sum sacer, scelestus! Specta rem modo.
Ego v e r u m verbum faciam! Ni. Etiam, carnufex,
Minitare? Ch. Nosces tu illum actutum, quali' sit.
Nunc hasce tabellas ferre me jussit tibi;
Orabat, quod istic esse scriptum, ut fieret.
Ni. Cedo. Ch. Nosce signum. Ni. Novi. Ubi ipse est?
Ch. Nescio;
Nil jam me oportet scire; oblitus sum omnia;
Scio, me esse servom: nescio etiam id, quod scio. —
Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit!
Pendebit hodie pulcre: ita intendi tenus.
Ni. Manedum parumper: jam exeo ad te, Chrysale.
Ch. Ut verba dat mi! ut nescio, quam rem gerat!
Servos arcessit intus, qui me vinciant.
Bene navis agitatur! pulcre haec confertur ratis!
Sed conticiscam: nam audio aperiri foris.

NICOBULUS. CHRYSALUS.

Ni. Constringe tu illi, Artamo, actutum manus! i. s. IV, 5.
Ch. Quid feci? Ni. Inpinge pugnum, si muttiverit! —
Quid haec loquontur litterae? Ch. Quid me rogas?
Ut ab illo accepi, ad te obsignatas attuli.
Ni. Eho tu, loquitatusne es gnato meo
Male per sermonem, quia mihi id aurum reddidit,
Et te dixisti id aurum ablaturum tamen
Per sycophantiam? Ch. Egone istuc dixi? Ni. Ita.

748. *verbum*, me esse scelestum. Id verbum verum faciam, factis id comprobabo. Similia *verum* et *verbum* non semel sibi invicem offecere. Hoc autem est minitari, non, quod vulgo legitur, *Ego verbum faciam*. 766—769. Verba *loquit.* et *Egone* non liquescunt. *Eho* posteriorem syllabam producit.

Ch. Quis homo est, qui dicat, me dixisse istuc? Ni. Tace;
Nullus homo dicit: haec tabellae te arguont,
Quas tu attulisti. Hem, hae te vinciri jubent!
Ch. Aha, Bellerophontem tuos me fecit filius:
Egomet tabellas tetuli, ut vincirer! — Sine!
Ni. Propterea hoc facio: ut suadeas gnato meo,
Ut pergraecetur tecum, tervenefice!
Ch. O stulte, stulte, nescis nunc venire te;
Atque in eo ipso adstas lapide, ut praeco praedicat.
Ni. Responde: quis me vendit? Ch. Quem di diligunt,
Adulescens moritur, dum valet, sentit, sapit.
Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,
Plus jam viginti, mortuom esse oportuit.
Terrai odium ambulat: tam nil sapit,
Nec sentit. Tanti est, quanti est fungus putidus.
Ni. Tun' terrae me odium esse autumas? Abducite hunc
Intro atque adstringite ad columnam fortiter!
Nunquam auferes hinc aurum! Ch. Atqui jam dabis.
Ni. Dabo? Ch. Atque orabis me quidem ultro, ut auferam.
Quom illunc rescisces, criminatorem meum,
Quanto in periclo et quanta in pernicie siet:
Tum libertatem Chrysalo largibere.
Ego adeo nunquam accipiam. Ni. Dic, scelerum caput,
Dic, quo in periclo est meus Mnesilochus filius?
Ch. Sequere hac me: faxo jam scies. Ni. Quo gentium?
Ch. Tres unos passus. Ni. Vel decem. Ch. Agedum, tu Artamo,
Forem hanc pauxillum aperi! placide! ne crepa! —
Sat est. Accede huc tu! viden' convivium?
Ni. Video exadvorsum Pistoclerum et Bacchidem.
Ch. Qui sunt in lecto illo altero? Ni Interii miser!
Ch. Novistine hominem? Ni. Novi. Ch. Dic, sodes mihi:
Bellan' videtur specie mulier? Ni. Admodum.
Ch. Quid? illanc meretricemne esse censes? Ni. Quippini?
Ch. Frustra es. Ni. Quis igitur, obsecro, est? Ch. Inveneris:
Ex me quidem hodie nunquam fies certior.

CLEOMACHUS. NICOBULUS. CHRYSALUS.

Cle. Meamne hic Mnesilochus, Nicobuli filius, i. s. IV, 6
Per vim ut retineat mulierem? quae haec factio est?

774. Sic vet. cod. Camer. a. m. 1. aliique vett., teste Acid. ad 923.

Ni. Quis ille est? Ch. Per tempus hic venit miles mihi.
Cl. Non me arbitratur militem, sed mulierem,
Qui me meosque non queam defendere.
Nam neque Bellona mihi unquam neque Mars creduat,
Ni illum examinalem faxo, si convenero,
Nive exheredem fecero vitae suae!
Ni. Chrysale, quis ille est, qui minitatur filio?
Ch. Vir hic est illius mulieris, quacum adcubat.
Ni. Quid? vir? Ch. Vir inquam. Ni. Nupta est illan', obsecro?
Ch. Scies haud multo post. Ni. Oppido interii miser!
Ch. Quid? nunc scelestus tibi videtur Chrysalus?
Age nunc, vincito me! auscultato filio!
Dixin' te inventurum illunc, qualis siet?
Ni. Quid nunc ego faciam? Ch. Jube, sis me exsolvi cito:
Nam ni ego exsolvor: jam manufesto hominem opprimet.
Cle. Nihil est lucri, quod me hodie facere mavelim,
Quam illunc cubantem cum illa opprimere: ambo ut necem.
Ch. Audin' quae loquitur? Quin tu me exsolvi jubes?
Ni. Exsolvite istum! — Perii, pertimui miser!
Cle. Tum illanc, quae corpus publicat volgo suom,
Faxo se haud dicat nactam, quem derideat!
Ch. Paciscere cum illo paulula pecunia
Potes. Ni. Pacisce ergo, obsecro, quod tibi lubet:
Dum ne manufesto hominem opprimat neve enicet.
Cle. Nunc nisi ducenti Philippi redduntur mihi:
Jam illorum ego animam amborum exsorbebo oppido!
Ni. Hem, illuc pacisce, si potes! perge, obsecro!
Pacisce quidvis! Ch. Ibo et faciam sedulo. —
Quid clamas? Cle. Ubi herus tuos est? Ch. Nusquam; nescio.
Vis tibi ducentos nummos jam promittier,
Ut ne clamorem hic facias neu convicium?...
Cle. Nihil est, quod malim. Ch. Ac mala tibi ut multa ingeram.
Cle. Tuo arbitratu. Ni. Ut sublanditur carnufex!
Ch. Pater hic Mnesilochi est: sequere. Is promittet tibi;
Tu aurum rogato. Ceterum verbum sat est. —

819. V.: *D. tibi ego illum inv. te qu. sit.* MSS.: *siet.* 821. Ita Pal. V.: *nisi.* 828, 9. V.: *Pacisci*, et *Paciscere ergo*, quorum hoc ferendum non est propter metrum, eadem autem utrumque interlocutorem uti forma convenit. Idem antiqui usus verbum restitui versibus. 833, 34, ubi itidem libri: *paciscere.*

Ni. Quid fit? Ch. Ducentis Philippis rem pepigi:
Ni. Ah salus
Mea, servavisti me! Quam mox dico: Dabo?
Ch. Roga hunc tu. — Tu promitte huic. Ni. Promitto: roga.
Cle. Ducentos numos aureos Philippos probos
Dabin'? Ch. Dabuntur, inque. Responde. Ni. Dabo.
Ch. Quid nunc, inpure? numquid debetur tibi?
Quid illi molestus? quid illum morte territas?
Et ego et illic mactamus te infortunio!
Tibi si est machaera: at nobis veruina est domi,
Qua quidem te faciam, si tu me irritaveris,
Confossiorem soricina nenia!
Jamdudum hercle equidem sentio, suspicio
Quae te solicitet: eum esse cum illa muliere.
Cle. Imo est quoque. Ch. Ita me Jupiter, Juno, Ceres,
Latona, Minerva, Spes, Opis, Virtus, Venus,
Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Submanus, Sol, Saturnus dique omnes ament,
Ut ille cum illa neque cubat, neque ambulat,
Neque osculatur, neque illud, quod dici solet ...
Ni. Ut jurat! Servat me ille suis perjuriis.
Cle. Ubi nunc Mnesilochus ergo est? Ch. Rus misit pater;
Illa autem in arcem abiit aedem visere
Minervae. Nunc aperta est: i, vise, estne ibi.
Cle. Abeo ad forum igitur. Ch. Vel hercule in malam
crucem!
Cle. Hodie exigam aurum hoc. Ch. Exige ac suspende te:
Ne supplicare censeas, nihili homo! —
Ille est amotus! Sine, me (per te, here, obsecro
Deos immortalis!) ire huc intro ad filium.
Ni. Quid eo introibis? Ch. Ut eum dictis plurimis
Castigem, quom haec sic facta ad hunc faciat modum.
Ni. Imo oro, ut facias, Chrysale, et ted obsecro,
Cave parsis in eum dicere! Ch. Etiam me mones?
Satin' est, si plura ex me audiet hodie mala,
Quam audivit unquam Clinia ex Demetrio? —
Ni. Lippi illic oculi servos est simillumus:
Si non est: nolis esse neque desideres;
Si est: abstinere, quin attingas, non queas.
Nam ni illic hodie forte fortuna hic foret:
Miles Mnesilochum cum uxore opprimeret sua,
Atque obtruncaret moechum manufestarium,
Nunc quasi ducentis Philippis emi filium,

842. Libri corrupto metro: *Vah, salus.*

Quos dare promisi militi; quos non dabo
Temere etiam, priusquam filium convenero.
Nunquam edepol quidquam temere credam Chrysalo.
Verum lubet mi etiam has perlegere denuo:
Aequom est, tabellis consignatis credere.

CHRYSALUS. NICOBULUS.

CH. Atridae duo fratres cluent fecisse facinus maxumum, i. t. IV, 7
Quom Priami patriam Pergamum, divina moenitum manu,
Armis equis exercitu atque eximiis bellatoribus
Millenum numero navium decumo anno post subegerunt;
Non pedibus termento ruit, praeut herum expugnavi meum!
Sine classe sineque exercitu et tanto numero militum
Cepi, expugnavi amanti herili filio aurum ab suo patre!
Nunc priusquam huc senex venit, lubet lamentari, dum exeat.
O Troja! o patria! o Pergamum! o Priame, periisti, senex,
Qui misere male mulcabere quadringentis Philippis aureis!
Nam ego has tabellas obsignatas, consignatas, quas fero,
Non sunt tabellae, sed equos, quem misere Achivi ligneum;
Epejus Pistoclerust: ab eo haec sumta; Mnesilochust Sinon
Relictus. Ellum non in busto Achilli, sed lecto adcubat!
Bacchidem habet secum. Ille olim habuit ignem, qui signum daret;
Haec ipsum exurit. Ego sum Ulixes, quojus consilio haec gerunt.
Tum quae hic sunt scriptae litterae, hoc indu equo insunt milites
Armati atque animati probe: ita res successit mi usque adhuc.
Atque hic equos non in arcem, verum in arcam, faciet inpetum:
Excidium, exitium, exlecebra fiet equos hic hodie auro senis.
Nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio ego Ilio;
Miles Menelaust; ego Agamemno, idem Ulixes Lartius;

892. Pal.: *Non pedibus* (adscriptum: *al. pelides.*) *tormento ruit.* Intelligendum Pergamum. *Ped. term. ruit.* h. e. ita ruit, ut termentum esset pedibus, seu pulvis. V.: *N. Pelides termento fuit, pr. ego h. e. m.* 901. Ita Pal. et edd. vett. V.: *sed in lecto.* 905. V.: *succ. meliusque adh.* 909. Pal. *Agamemno, i. U. Lertius.* V.: *Agamemnon, id. Ulysses Laertius. Agam.* non liquescit.

Mnesilochus Alexander, qui erit exitium re patriae suae:
Is Helenam abduxit, quoia causa nunc facio obsidium Ilio.
Nam illi itidem audivi Ulixem, ut ego sum, fuisse et audacem et malum.
Deprensus doli ego; illic mendicans pene inventus interit,
Dum exquirit sibi fata Iliorum. Adsimiliter mi hodie obtigit.
Vinctus sum, sed dolis me exemi; item se ille servavit dolis.
Ilio tria fuisse audivi fata, quae ei forent exitio; t. t.
Signum ex arce si periisset; alterum autem est Troili mors;
Tertium, quom portae Scaeae limen superum scinderetur.
Paria item tria nunc tribus eis sunt fata nostro huic Ilio: t. t. c.
Nam dudum primo ut dixeram nostro seni mendacium i. t.
Et de hospite et de auro et de lembo: ibi signum ex arce jam abstuli.
Jam duo restabant fata tum, nec magis id ceperam oppidum.
Post ubi tabellas ad senem tetuli: ibi occidi Troilum.
Quom censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis:
Ibi vix me exsolvi; atque id periclum adsimulo, Ulixem ut praedicant,
Cognitum ab Helena esse proditum Hecubae. Sed ut olim ille se t. t. c.
Blanditiis exemit et persuasit, se ut amitteret:
Item ego dolis me illo expuli e periclo et decepi senem. i. t.
Post cum magnifico milite, urbis verbis qui inermus capit, i. t.
Conflixi atque hominem repuli. Dein pugnam conserui seni;
Eum ego uno adeo mendacio devici, uno ictu extempulo
Cepi spolia. Is nunc ducentos numos Philippos militi, t. t. c.
Quos dare se promisit, dabit. i. d.
Nunc alteris etiam ducentis usus est, qui dispensentur i. t. h.
Ilio capto, ut sit mulsum, qui triumphent milites. t. t. c.
Sed Priamus hic multo illi praestat: non quinquaginta modo,
Quadringentos filios habet; atque equidem omnis lectos sine probro.
Eos ego hodie omnis contruncabo duobus solis ictibus.
Nunc Priamo nostro si est quis emtor: coëmtionalem senem

910. V.: *Mn.* est *Al.* 913. V.: *Dolis ego depr. sum.* Acid.: *Doli.* Cf. 658. 915. *me* legitur in edd. mediis. 916. V.: *quae illi.* 918. *portae Scaeae.* Decurt.: *forte phrigie*, neque aliud habuisse dicitur altera Camerarii membrana. 923. Sic Acid. V.: *detuli.* 929. Sic idem. Pal.: *Poste.* V.: *Postea.*

Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo, ubi oppidum expugnavero.
Sed Priamum adstantem eccum ante portam video: adibo atque adloquar.
Ni. Quoinam vox prope me sonat? Ch. Eho, Nicobule! Ni. Quid fit? as. t. d. i. d. c.
Quid, quod te misi? ecquid egisti? Ch. Rogas? Congredere. Ni. Gradior.
Ch. Optumus sum orator: ad lacrumas castigando hominem coëgi t. t.
Maleque dictis, quae quidem quivi comminisci. Ni. Quid ait? Ch. Verbum
Nullum fecit; lacrumans tacitus auscultabat, quae ego loquebar;
Tacitus conscripsit tabellas, obsignatas mi has dedit, t. t. c.
Tibi me jussit dare. Sed metuo, ne idem cantent, quod priores. t. t.
Nosce signum. Estne ejus? Ni. Novi. Lubet perlegere has. Ch. Perlege. as. t. d. i. d.
— Nunc superum limen scinditur! adest nunc exitium Ilio! i. t.
Turbat equos lepide ligneus. Ni. Chrysale, ades, dum ego has perlego.
Ch. Quid me tibi adesse opus est? Ni. Volo, ut, quod jubeo, facias: as. t. d. i. d. c.
Ut scias, quae hic scripta sient. Ch. Nil moror, neque volo scire.
Ni. Tamen ades. Ch. Quid opus est? Ni. Taceas. Quod jubeo, id facias! Ch. Adero.
Ni. Euge, litteras minutas! Ch. Qui quidem videat parum; t. t. c.
Verum qui satis videat, grandes satis sunt. Ni. Animadvortito igitur. t. t.
Ch. Nolo, inquam. Ni. At volo, inquam. Ch. Quid opust? Ni. At enim id, quod te jubeo, facias.
Ch. Justum est, tuos tibi servos tuo arbitratu serviat. t. t. c.
Ni. Hoc age, sis, jam nunc. Ch. Ubi lubet, recita: aurium operam tibi dico. as. t. d. i. d.
Ni. Cerae quidem haud parsit neque stilo; sed, quidquid est, perlegere certum est. i. t. h.

942. V.: O *Nic.*, quod metro non sufficit. 943. *Gradior.* Sic Pal., idque poscit versus. V.: *congredior.* 944. *orator* longam habet syllabam postremam, sicut passim ejusmodi syllabae producuntur apud hunc nostrum. 952. Verba *tibi ad.* non eliduntur. Pal. et vett. edd.: *jubeo.* V.: *jubebo.* 958. *Just.* non patitur ecthlipsin.

„Pater, ducentos Philippos, quaeso, Chrysalo
„Da, si esse salvom vis me aut vitalem tibi."
Malum quidem hercle magnum! Ch. Tibi, dico.
Ni. Quid est?
Ch. Non prius salutem scripsit? Ni. Nusquam sentio.
Ch. Inde a principio jam inpudens epistola est!
Non dabis, si sapies; verum si das maxume:
Nae ille alium gerulum quaerat, si sapiet, sibi:
Nam ego non laturus sum, si jubeas maxume:
Sat sic suspectus sum, quom careo noxia.
Ni. Ausculta porro, dum hoc, quod scriptum est, perlego.
„Pudet prodire me ad te in conspectum, pater:
„Tantum flagitium te scire audivi meum,
„Quod cum peregrini cubui uxore militis."
Ni. Pol haud derides: nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.
Ch. Nihil est illorum, quin ego illi dixerim.
Ni. „Stulte fecisse fateor; sed quaeso, pater,
„Ne me, in stultitia si deliqui, deseras.
„Ego animo cupido atque oculis indomitis fui:
„Persuasum est facere, quojus me nunc facti pudet."
Prius cavisse ergo, quam pudere, aequom fuit.
Ch. Eadem istaec verba dudum dixi illi omnia.
Ni. „Quaeso, ut sat habeas id, pater, quod Chrysalus
„Med objurgavit plurimis verbis malis
„Et me meliorem fecit praeceptis suis,
„Ut te ei habere gratiam aequom sit bonam."
Ch. Estne istuc istic scriptum? Ni. Hem, specta: tum scies.
Ch. Ut, qui deliquit, supplex est ultro omnibus!
Ni. „Nunc, si me fas est obsecrare abs te, pater,
„Da mihi ducentos numos Philippos, te obsecro!"
Ch. Ne unum quidem hercle, si sapis Ni. Sine perlegam.
„Ego jusjurandum verbis conceptis dedi,
„Daturum id me hodie mulieri ante vesperum,
„Priusquam a me abiret: nunc, ne perjurem, pater,
„Cura atque abduce me hinc ab hac quantum potest,
„Quam propter tantum damni feci et flagiti.
„Cave tibi ducenti numi dividiae fuant:
„Sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi.
„Vale atque haec cura." Quid nunc censes, Chrysale?
Ch. Nil ego tibi hodie consili quidquam dabo,

963. Sic Pal. V. verba *Malum q. h. m.* Chrysalo tribuuntur. 965. Versus insertus legitur post 970. Correxit Acid. 994. *perjurem* scripti et vett. edd. V.: *nunc, pater, ne pejerem.*

Neque ego haud committam, ut, si quid peccatum siet,
Fecisse dicas de mea sententia;
Verum ut ego opinor, si ego in istoc sim loco,
Dem potius aurum, quam illum conrumpi sinam.
Duae conditiones sunt; tu utram accipias, vide:
Vel ut aurum perdas, vel ut amator pejeret.
Ego nec te jubeo neque veto neque suadeo.
Ni. Miseret me illius. Ch. Tuos est: non mirum facis.
Si plus perdundum sit: periisse suaviust,
Quam illuc flagitium volgo dispalescere.
Ni. Nae ille edepol Ephesi multo mavellem foret,
Dum salvos esset, quam revenisset domum! —
Quid ego istic? Quod perdundum est, properem perdere.
Binos ducentos Philippos jam intus ecferam,
Et militi quos dudum promisi miser,
Et istos. Mane istic: jam exeo ad te, Chrysale. —
Ch. Fit vasta Troja! scindunt proceres Pergamum!
Scivi ego jamdudum, fore me exitium Pergamo!
Edepol qui me esse dicat cruciatu malo
Dignum, nae ego cum illo pignus haud ausim dare:
Tantas turbelas facio. Sed crepuit foris:
Ecfertur praeda ex Troja. Taceam nunc iam.
Ni. Cape hoc tibi aurum, Chrysale! i, fer filio!
Ego ad forum autem hinc ibo, ut solvam militi.
Ch. Non equidem accipiam! proin tu quaeras, qui ferat!
Nolo ego mihi credi. Ni. Cape vero! odiose facis.
Ch. Non equidem capiam. Ni. At quaeso. Ch. Dico, ut res se habet.
Ni. Morare. Ch. Nolo, inquam, aurum concredi mihi.
Vel da aliquem, qui me servet. Ni. Odiose facis.
Ch. Cedo, si necesse est! Ni. Cura hoc. Jam ego revenero. —
Ch. Curatum est, esse te senem miserrumum.
Hoc est incepta ecficere pulcre, vel mihi
Evenit, ut ovans praeda onustus cederem!
Salute nostra atque urbe capta per dolum
Domum reduco integrum omnem exercitum.

1003. Sic MSS., non *siem*, ut vulgo. 1013. Ita scripti, nisi quod Pal. ostendit *ergo*. *Quid istic?* est formula aegre concedentis. V.: *Quin ergo istic, q. p. e., p. p.?* 1021. *turbelas* recte Meurs., ut a suada suadela similiaque alia dicuntur. 1024. Pessime libri: *militem*. 1029. V.: *ohe, od. facis*, quod versus non capit. 1033. *vel*. Libri: *veluti*, quae est interpretatio ἄμετρος. 1034. V.: *incederem*. Correxit Bentl. in nota ad Horat. Epist. 2, 1, 67.

Sed, spectatores, vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho: pervolgatum est: nil moror;
Verumtamen accipientur mulso milites.
Nunc praedam hanc omnem ad quaestorem deferam.

PHILOXENUS.

Quam mage pectore in meo foveo, quas meus filius turbas turbet, t. t. V, 1.
Quam se ad vitam et quos ad mores praecipitem inscitus capessat:
Mage curae est mageque adformido, ne is pereat neu conrumpatur;
Nec placitant mores, quibus video volgo natos esse parentes.
Scio: ego fui illa aetate et feci illa omnia; sed modesto more. i. t. h.
Duxi, habui scortum, potavi, edi, donavi; etenim id raro. t. t.
Ergo dare me ludum gnato meo institui: ut animo obsequium
Sumere possiet: puto aequom; sed nimis nolo desidiae
Ei dari ludum. Nunc ad Mnesilochum, quod mandavi, viso:
Ecquid eum ad virtutem aut ad frugem opera sua conpulerit,
Sicut eum, si convenit, scio fecisse: eo ingenio natust.

NICOBULUS. PHILOXENUS.

NI. Quicunque ubiubi sunt, qui fuerunt, quique futuri sunt posthac a. Ar. V, 2.
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnis longe antideo stultitia et moribus indoctis! a. t.
Perii, pudet! hoccin' me aetatis ludos bis factum esse indigne? t. t.
Mage quam id reputo: tam magis uror, quae meus filius turbavit!

1036. *red.* non elidendum. 1040. Sic Pal. V.: *omnem jam*, qui videtur esse tibicen versûs, sed minime necessarius. 1043. vulgo infertur post sequentem versum, merito improbante Acidalio. 1045. Sic 2 Camerariani. V.: *potavi*. 1046. V.: *Ego*. Correxit idem. Non liquescit *meo*. 1047. V.: *s. possit*, *aequ. esse puto*. 1048. V.: *E. dare l. nunc Mnes.* *Ad* inseruit Acid. 1051. *ubiubi* MS. Schobing. et edd. mediae. Pal. et vett.: *ubi*. V.: *ubique*. 1052. Ita Palat. V. desideratur *auro*.

Perditus atque eradicatus sum etiam! exemplis omnibus crucior!
Omnia me mala consectantur! omnibus exitiis interii!
Chrysalus me hodie laceravit, Chrysalus me miserum spoliavit!
Is me scelus auro usque attondit dolis doctis indoctum ut lubitum est: i. t. h.
Ita miles memorat meretricem esse, quam ille uxorem esse aibat; t. t.
Omniaque, ut quidque actum est, memorat: eam sibi hunc annum conductam;
Reliquom id auri factum, quod ego ei homo stultissumus promisissem.
Hoc, hoc est, quod peracescit; hoc demum est, quod percrucior, as. 2 an.
Me hoc aetatis laetificari, imo edepol sic ludos factum, as. t. d. i. d. c,
Cano capite atque alba barba miserum me auro esse emunctum!
Perii, hoc servom meum non nauci facere esse ausum! Atque ego si alibi t. t.
Plus perdiderim: minus aegre habeam, minus id mihi damno ducam. as. t. d. i. d. c.
Phi. Certo hic prope me nescio quis mi visus loqui est. Sed quem video?
Hic quidem pater Mnesilochi. t. d.
Ni. Euge, socium aerumnae et mali video! Philoxene, salve. i. t. c.
Phi. Et tu. Unde agis? Ni. Unde homo miser atque infortunatus.
Phi. At pol ego ibi sum, esse ubi miserum decet hominem atque infortunatum. t. t.
Ni. Pari igitur utimur fortuna, aetate ut sumus. Phi. Sic est; sed tu,
Quid tibi est? Ni. Pol mihi par idem est, quod tibi. cr. t.
Phi. Numquid ad filium haec aegritudo attinet?
Ni. Admodum. Phi. Idem mihi morbus in pectore est.

1061. Sic vet. Camerar. V.: *quicquid*. Legitur quoque *memoravit*, temere mutatis et tempore verbali et metro. 1064. V.: *ludificari*, ταυτολογία aeque intolerabili atque illa 609. Cf. Aul. 683. *Me*, me infelice, meo damno; *laetificari*, Chrysalum et quicunque audit. 1067. V.: *minusque id*, quod et languidius est, et versum asperat sine mercede. 1070. Putide libri: *mei mali*. 1071. *Unde* ἀναφώνητως legendum. 1075. Codd. duriore metro: *Numquidnam*.

Ni. At mihi Chrysalus, homo optumus, cr. tr.
Perdidit filium, me atque rem omnem meam. cr. t.
Phi. Quid tibi ex filio nam, obsecro, aegre est? Ni. Scies.
Id: perit cum tuo; amabo aeque amicas habent.
Phi. Qui scis? Ni. Vidi. Phi. Hei mihi, disperii! t. d.
Ni. Quid dubitamus pultare atque huc evocare ambos foras? t. t. c.
Phi. Haud moror. Ni. Heus, Bacchis, jube, sis, actutum aperiri foris,
Nisi mavoltis foris et postis comminui securibus!

BACCHIDES SORORES. NICOBULUS. PHILOXENUS.

Ba. Quis sonitu ac tumultu tanto nomine nominat me ac pultat t. t. V, 3.
Aedis? Ni. Ego atque hic. Ba. Quid hoc est negoti? as 2 i. h.
Nam, amabo, qui has huc ovis adegit?
Ni. Ovis vocant nos pessumae. Soror. Pastor harum dormit, as. i. d. ith.
Quom sic haec eunt a pecu palitantes. b. t.
Ba. At pol nitent; haud sordidae videntur ambae. i. tr. h.
So. Attonsae quidem ambae usque sunt. Ni. Ut videntur b. t.
Deridere nos! Phi. Sine suo usque arbitratu.
Ba. Rerin', ter in anno tu has tonsitari? as. 2 i. h.
So. Pol hodie altera jam bis detonsa certo est. as. b. d. i. h.
Vetulae sunt thymiamae. Ba. At bonas fuisse credo. b. t.
So. Viden', limulis, obsecro, ut intuentur? as. b. d. i. h.
Ba. Ecastor sine omni arbitror malitia esse. b. t.
Ni. Merito hoc nobis fit, qui quidem huc venerimus.
Ba. Cogantur quidem intro. b. d.
So. Haud scio, quid eo opus sit, quae nec lactem nec lanam ullam habent. t. t. c.
Sic sine adstent. Exoluere, quanti fuere. as. 2 ith.
Omnis fructus jam illis decidit. as. 2 t. h.
Non vides, uti palantes solae libere grassentur? t. t.

1085. In hac scena saepius inter se commutata sunt et senum nomina et sororum Bacchidum, quae peccata singillatim recensere operae non est pretium, cum ea res editorum fere permissa sit arbitrio, nominibus personarum saepenumero aut nullis perscriptis in codd., aut manifesto falsis. Id quod semel moneo. 1087. V.: *quis*, difficiliore quidem numero. 1089. Sic Pal. V.: *hae*. 1102. *jam* non liquescit. 1103. V.: *ut*.

Quin aetate credo esse mutas: b. tr.
Ne balant quidem, quom a pecu cetero absunt. b. t.
Ba. Stultae atque haud malae videntur. t. d.
So. Revortamur intro, soror. Ni. Eloco ambae b. t.
Manete: hae volunt vos oves. b. tr. c.
Ba. Prodigium hoc quidem est: humana nos voce adpellant oves. t. t. c.
Phi. Haec oves vobis malam rem magnam, quam debent, dabunt.
Ba. Si quam debes, te condono; tibi habe: nunquam abs te petam.
Sed quid est, quapropter nobis vos malum minitamini?!
Phi. Quia nostros agnos conclusos istic esse ajunt duos.
Ni. Et praeter eos agnos meus est istic clam mordax canis;
Qui nisi nobis producuntur jam atque emittuntur foras:
Arietes truces nos erimus: tam in vos incursabimus.
Ba. Soror, est, quod te volo secreto. Eho, amabo! Ni. Quo illaec abeunt? as. t. d. i. d. c.
Ba. Senem illum tibi dedo ulteriorem, lepide uti lenitum reddas; i. t. h.
Ego ad hunc iratum adgrediar. Possumus nos huc hos intro inlicere.
So. Meum pensum ego lepide adcurabo, quanquam odiosum est mortem amplexari. as. t. d. i. d. h.
Ba. Facito ut facias. So. Taceas. Tu tuom facito; ego, quod dixi, haud mutabo.
Ni. Quid illaec illic in consilio secreto duae consultant? as. t. d. i. d. c.
Phi. Quid ais tu, homo? Ni. Quid me vis? Phi. Pudet dicere me tibi quiddam... as. t. d. a. par.
Ni. Quid est, quod pudeat? Phi. Sed amico homini tibi, quod volo, credere certum est:
Nihili sum! Ni. Istuc scio jampridem. Sed, qui sis nihili, memora. as. t. d. i. d. c.
Phi. Tactus sum vehementer visco! t. d.
Cor stimulo foditur. Ni. Pol tibi multo aequius est coxendicem. i. t.
Sed quid istuc? Etsi jam ego ipse, quid sit, prope scire puto me; as. t. d. i. d. c.
Verum audire etiam ex te studeo. Phi. Viden' hanc? Ni. Video. Phi. Haud mala mulier!

1110. Hic quoque libri: *Hae*, cum alterum ipse versus sibi poscat. 1116. V.: *jam in vos i.* 1117. V.: *illae.* 1124. Sic MSS. et vett. edd. V.: *st.! amico.* 1128. V.: *istuc est?* 1129. Pal.: *necar.* Margo libri vet. Camer.: *ne carpe.* V.: *necas.*

Ni. Pol vero ista mala et tu nihili! Phi. Quid multa?
Ego amo. Ni. An amas? Ni. Ne carpe. as. t. d. i. d. h.
Ni. Tun', homo putide, amator istac fieri aetate audes?
Phi. Qui non? t. t.
Ni. Quia flagitium est. Phi. Quid opust verbis? Filio meo
non sum iratus;
Neque te tuo est aequom esse iratum: si amant, sapienter
faciunt. as. t. d. i. d. c.
Ba. Sequere hac. Phi. Eunt eccas tandem! Ni. Probri
as. 2 i. h.
Perlecebrae et persuastrices, quid nunc?
Etiam redditis nobis filios et servom, as. 2 ith.
An ego experior tecum vim majorem? Phi. Abin' hinc?
Non homo tu quidem es, qui istoc pacto tam lepidam inle-
pide adpelles! as. t. d. i. d. c.
Ba. Senex optume, quantum est in terra, sine hoc exorari
abs te: as. b. tr. i. d. c.
Ut istuc delictum desistas tanto opere ire oppugnatum.
Ni. Nisi abeas: quanquam tu bella es, malum tibi magnum
dabo jam! Ba. Patiar. as. t. d. i. d. h.
Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias. Phi. Ut blan-
diloqua est! as. t. d. i. d. c.
Ba. Hei, mihi metuo! So. Hic mage tranquillust. t. d.
Ba. I hac mecum intro, atque ibi, si quid vis, filium con-
castigato. i. t. h.
Ni. Abin' a me, scelus? Ba. Sine, mea pietas, te exorem!
Ni. Exores tu me? as. t. d. i. d. c.
So. Ego quidem ab hoc certe exorabo. Phi. Imo ego te oro,
ut me intro abducas. t. t.
So. Lepidum te! Phi. At scin', quo me pacto ad te intro
abducas? So. Mecum ut sis.
Phi. Omnia, quae cupio, commemoras. t. d.
Ni. Vidi ego nequam homines, verum te neminem deterio-
rem. Phi. Ita sum. t. t.
Ba. I hac mecum intro, ubi tibi sit lepide victibus vino
atque unguentis! i. t. h.
Ni. Satis, satis jam vostri est convivi! me nil poenitet, ut
sum acceptus. t. t.
Quadringentis Philippis filius me et Chrysalus circum-
duxerunt, as. t. d. i. d. h.

1131. Sic Pal. V.: *Tu.* 1135. *Perlec.* non liquescit. 1140. Pal. *tantopere.* 1145. Sic idem liber. A ceteris *te* abest.

Quem quidem ego ut non excruciem, alterum tantum non meream auri! as. t. d. i. d. c.
Ba. Quid tandem, si dimidium auri redditur?
Isne tum hac mecum intro, atque ut eis delicta ignoscas? Phi. Faciet. as. t. d. i. d. c.
Ni. Minume! nolo! nil moror! sine sic! malo illos ulcisci ambo! t. t.
Phi. Etiam tu, homo nihili, quod di boni dant, cave tua culpa amissis! as. t. d. i. d. h.
Dimidium auri datur: accipias potesque et scortum adcumbas! as. t. d. i. d. c.
Ni. Egon', ubi filius conrumpatur meus, ibi potem? Phi. Potandum est. i. t. h.
Ni. Age, jam id, utut est, etsi est dedecorum, patiar, facere inducam t. t.
Animum: egon' inspectem, quom haec cum illo adcumbet? as. 2 ith.
Ba. Imo equidem pol tecum adcumbam, te amabo et te amplexabor. as. t. d. i. d. c.
Ni. Caput prurit! perii! vix negito! b. tr.
Ba. Non tibi venit in mentem, amabo, si, dum vivas, tibi bene facias, t. t.
Tam pol id quidem esse haud perlonginquom, neque si hoc hodie amissis,
Post in morte id eventurum esse unquam? as. 2 ith.
Ni. Quid ago? Phi. Quid agas, rogitas etiam? Ni. Lubet et metuo. Ba. Quid metuis? as. t. d. i. d. c.
Ni. Ne obnoxius filio sim et servo. as. 2 i. h.
Ba. Mel meum, amabo, istaec fiunt. Tuus est:
Unde illum censes sumere, nisi quod tute illi deris? i. t. c.
Hanc veniam illis sine te exorem. Ni. Ut terebrat! satin', obfirmatum t. t.
Quod mi erat, id me exorat? Tua sum opera et propter te inprobior. as. t. d. i. d. c.
Ne isse quam mavellem! Ba. Satin' ego istuc habeo obfirmatum?

1154. *dimid.* non eliditur. 1155. *tum* V.: *tu.* Haec saepius permixta. 1161. *cum* non liquescit. 1165. *Tam*, tamen. V.: *jam.* 1166. Verba *event. esse* non eliduntur. 1169. *meum* non eliditur. 1173. Pal.: *Ne isquam meam vellem.* Alter Camerarianus: *Ne is quam mea mavellem.* V.: *Nusquam me a te avelles. Satin'* etc. *Ne isse*, non isse, huc ad meretrices.

Ni. Quod semel dixi, haud mutabo. Ba. It dies: ite intro adcubitum. t. t.
Filii intus vos expectant. Ni. Quam quidem actutum, emoriamur?
Ba. Vesper hic est: sequimini. Phi. Ducite nos, quo lubet quidem, tanquam addictos. t. d. i. d. h.
Ba. Lepide ipsi hi sunt capti, suis qui filiis fecere insidias. — t. t.
Ite! t.

G R E X.

Hi senes nisi fuissent nihili jam inde ab adulescentia: t. t. c.
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus;
Neque adeo haec faceremus, ni antehac vidissemus fieri,
Ut apud lenones rivales filiis fierent patres.
Spectatores, vos valere et volumus clare adplaudere.

1175. Sic Pal., ut legitur in vulgatis libris. Alii scripti, ut referunt: *quam nos quidem a. e.* Ea lectione probata, versus ejusdem moduli foret, quo sequens. 1176. Sic Pal. V.: *duc. nos q. l., tanqu. quidem add.* 1177. *Ite* positum extra versus: nam sequentibus annumerari nolim. Est autem clausula, de quibus vide Bentleji Schediasma de metris Terentianis.

C A P T I V I.

ARGUMENTUM.

Captust in pugna Hegionis filius; 1, 2.
Alium quadrimum fugiens servos vendidit.
Pater captivos commercatur Alios,
Tantum studens, ut gnatum recuperet suum,
Et in ibus emit olim amissum filium.
Is suo cum domino veste vorsa ac nomine,
Ut amittatur fecit, ipsus plectitur;
Et is reduxit captum et fugitivum simul,
Indicio cujus alium agnoscit filium.

Versu 1. vox *pugna* non liquescit, nisi scribendum sit *pugnad*. Sed minus id necessarium videtur in incisione versûs. Cf. not. ad Amph. 732.

DRAMATIS PERSONAE.

ERGASILUS.
HEGIO.
LORARIUS.
PHILOCRATES.
TYNDARUS.
ARISTOPHONTES.
PUER HEGIONIS.
PHILOPOLEMUS.
STALAGMUS.
GREX.

PROLOGUS.

Vos quos videtis stare hic captivos duos, 1. 2.
Illi, quia stant hic, — stant ambo, non sedent.
Hoc vos mihi testes estis me verum loqui.
Senex qui hic habitat, Hegio, est hujus pater.
Sed is quo pacto serviat suo sibi patri,
Id ego hic apud vos proloquar, si operam datis.
Seni huic fuerunt filii nati duo;
Alium quadrimum puerum servos surpuit,
Eumque hinc profugiens vendidit in Alide
Patri hujusce. Jam hoc tenetis? — Optumum est! —
Negat hercule illic ultimus. — Accedito! —
Si non, ubi sedeas, locus est, est, ubi ambules:
Quando histrionem cogis mendicarier.
Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum.
Vos, qui potestis vostra opi censerier,
Accipite reliquom: alieno uti nil moror.
Fugitivos ille, ut dixeram ante, hujus patri,
Domo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit.
Hic postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo
Peculiarem: quia quasi una aetas erat.
Hic nunc domi servit suo patri, nec scit pater.
Enimvero di nos quasi pilas homines habent.
Rationem habetis, quomodo unum amiserit.

1. Ita Guelferbytanus liber et Monacensis, quos versavimus, et Sarracen. Vulgo: *Hos quos* etc. Sed *Hos* male convenit sequenti *Illi*. 2. Vulgus librorum inficete: *Illi qui astant, hi stant ambo, n. s.* Helmstad. a me collatus: *I. qu. stant, hii st. a., n. s.* Guelf.: *Illi qui instant,* quod fortasse fuit initio *I., quia enim stant.* Leid. B. et Monacensis: *I. q. stant, instant a., n. s. Quia* posteriorem producit. 9. Langiani *Eum.* 10. Codd. *Patri*, ut fere d illud ephelcysticum, de quo constat ex grammaticis aliisque scriptoribus, oblitteratum est in libris. Joann. Bosscha in ed. fabulae (Traj. ad. Rhen. et Amstelod. 1817), ut nos olim: *Hujusce patri*; sed gravior vox *Patri* potiore loco versus ponenda est.

Posteaquam belligerant Aetoli cum Aliis:
Uti fit in bello, alter capitur filius;
Medicus Menarchus emit ibidem in Alide.
Coepit captivos conmercari hic Alios:
Si quem reperirre posset, qui mutet suom
Illum captivom; hunc suom esse nescit, qui domi est.
Et quoniam heri indaudivit, de summo loco
Summoque genere captum esse equitem et alterum,
Nil pretio parsit, filio dum parceret:
Reconciliare ut facilius posset domum,
Emit hosce de praeda ambo de quaestoribus.
Hice autem inter sese hunc confinxerunt dolum,
Quo pacto hinc servos servom herum amittat domum:
Itaque inter se commutant vestem ac nomina;
Illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus;
Hujus illic, hic illius, fert imaginem.
Et hic hodie docte expediet hanc fallaciam
Et suom herum faciet libertatis conpotem,
Eodemque pacto fratrem servabit suom,
Reducemque faciet liberum in patriam ad patrem,
Inprudens, itidem ut saepe jam in multis locis
Plus insciens quis fecit, quam prudens, boni.
Sed inscientes sua sibi fallacia
Ita conpararunt et confinxerunt dolum,
Itaque hi conmenti de sua sententia: ut
In servitute hic ad suom maneat patrem.
Ita nunc ignorans suo sibi servit patri.
Homunculi quanti sunt, quom recogito!
Haec res agetur nobis, vobis, fabulae.
Sed etiam est, paucis vos quod monitos voluerim.
Profecto expediet, fabulae huic operam dare:
Nam pertractate facta est neque item ut ceterae;
Neque spurcidici insunt versus inmemorabiles;
Hic neque perjurus leno est nec meretrix mala
Neque miles gloriosus. Neu vereamini,

24. V.: *Postquam* Cf. Am. 650. 31. Ita Leid. A (nisi quod *et* desideratur), ut alias legi notatum erat in Langianis. *Et facile* excidit, quod quidem plane necessarium est sententiae. 36. Sic Leid. C. Monacensis quoque liber, quem contulimus: *servus sevum*, et superscriptum: *in habitu servi.* Recte *servom herum*, ne quis forte Hegionem dici putet. Cf. 292 sequ. Vulgo: *Q. p. hic servus suum herum hinc a. d.* Sed Leidd. A, B, Monac., Pall. et Voss. B.: *Q. p. is serv.*, vetus Codex Camerar.: *Q. p. his serv.*; Helmst. autem *hic* pro *hinc*. 37. Ita Leid. B. Vulgo: *et nom.* 55. *pertractate*, diligenter. Sequimur codd. Pall. 1, 6, Voss. B, Leid. C. Vulgo: *Non pertr.* Cf. Bosscha.

Quia bellum Aetolis esse dixi cum Aliis:
Foris illic extra scenam fient proelia:
Nam hoc pene iniquom est Comico choragio,
Conari de subito agere nos tragoediam.
Proin, si quis pugnam exspectat, litis contrahat:
Valentiorem nactus advorsarium
Si erit: ego faciam, ut pugnam inspectet non bonam:
Adeo ut spectare postea omnis oderit.
Abeo. Valete, judices justissumi
Domi, bellique duellatores optumi!

ERGASILUS.

Juventus nomen indidit scorto mihi i, s. I, 1
Eo, quia invocatus soleo esse in convivio.
Scio, absurde dictum hoc derisores dicere;
At ego ajo, recte: nam sibi in convivio
Amator, talos quom jacit, scortum invocat:
Estne invocatum, annon? Est planissume.
Verum hercle vero nos parasiti planius,
Quos nunquam quisquam neque vocat neque invocat;
Quasi mures semper edimus alienum cibum.
Ubi res prolatae sunt, quom rus homines eunt:
Simul prolatae res sunt nostris dentibus.
Quasi cum caletur, cochleae in occulto latent,
Suo sibi succo vivont, ros si non cadit:
Item parasiti rebus prolatis latent
In occulto, miseri victitant succo suo,
Dum ruri rurant homines, quos ligurriant.
Prolatis rebus parasiti venatici
Sumus; quando rure redierunt, molossici
Odiosicique et multum incommodistici.
Et hic quidem hercle nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus frangique aulas in caput,
Vel extra portam Trigeminam ad Saccum ilicet.
Quod mihi ne eveniat, nonnullum est periculum.
Nam postquam meus rex est potitus hostium
(Ita nunc Aetoli belligerant cum Aliis:
Nam Aetolia haec est: illi est captus in Alide
Philopolemus hujus Hegionis filius
Senis, qui hic habitat; quae aedes lamentariae

18. *rure.* Sic vett. edd. Vulgo *res*, quod vix latinum est et ἄμετρον. 22. V.: *Vel ire ext. p. t. ad S. licet*, vel *i ext. p. ire*, ut vagari solent glossemata. Cf. 599. etc.

Mihi sunt, quas quotienscunque conspicio, fleo):
Nunc hic occepit quaestum, hunc fili gratia
Inhonestum et maxume alienum ingenio suo:
Homines captivos conmercatur, si queat
Aliquem invenire, suom qui mutet filium;
Quod ego quidem nimis quam cupio ut inpetret:
Nam ni illum recipit, nihil est, quo me recipiam:
Nulla juventutis spes est: sese omnes amant.
Ille demum antiquis est adulescens moribus,
Quojus nunquam voltum tranquillavi gratiis.
Condigne pater est ejus moratus moribus:
Nunc ad eum pergam. Sed aperitur ostium,
Unde saturitate saepe ego exivi ebrius.

HEGIO. LORARIUS. ERGASILUS.

H. Advorte animum, sis, tu. Istos captivos duo, i, s. I, 2
Heri quos de praeda emi de quaestoribus,
His indito catenas singularias;
Istas majores, quibus sunt vincti, demito.
Sinito ambulare, si foris, si intus volent;
Sed uti adserventur magna diligentia.
Liber captivos avis ferae consimilis est:
Semel fugiendi si data est occasio,
Satis est; postilla nunquam possis prendere.
Lo. Omnes profecto liberi lubentius
Sumus, quam servimus. H. Non videre ita tu quidem.
Lo. Si non est, quod dem, mene vis dem ipse in pedes?
H. Si dederis: erit extemplo mihi, quod dem tibi.
Lo. Avis me ferae consimilem faciam, ut praedicas.
H. Ita ut dicis: nam si faxis, te in caveam dabo.
Sed satis verborum est. Cura, quae jussi, atque abi.
Ego ibo ad fratrem ad alios captivos meos:
Visam, ne nocte hac quidpiam turbaverint;
Inde me continuo recipiam rursus domum.
E. Aegre est mi, hunc facere quaestum carcerarium
Propter sui gnati miseriam miserum senem;
Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest:
Vel carnificinam hunc facere possum perpeti.

33 — 39. vulgo inserti leguntur post 57, quod vitium pridem animadvertit Acidalius Divinatt. Plautt. p. 90. In Pal. 4. ad oram versus 34 adscriptum erat *deficit*. 41. Ita Guelferbyt. et Monac. Vulgo *exii*. 42. *duo* MS. Guelferbyt., quem versavi, quae lectio elegantior est vulgata *duos*.

H. Quis hic loquitur? E. Ego, qui tuo moerore maceror
Macesco consenesco et tabesco miser.
Ossa atque pellis sum miser a macritudine,
Neque unquam quidquam me juvat, quod edo domi;
Foris aliquantillum etiam, quod gusto, id beat.
H. Ergasile, salve. E. Di te bene ament, Hegio.
H. Ne fle. E. Egon' illum non fleam? egon' non defleam
Talem adulescentem? H. Semper sensi filio
Meo te esse amicum, et illum intellexi tibi.
E. Tum denique omnes nostra intellegimus bona,
Quom, quae in potestate habuimus, ea amisimus.
Ego, postquam gnatus tuos potitust hostium,
Expertus, quanti fuerit, nunc desidero.
H. Alienus quom ejus incommodum tam aegre feras:
Quid me par facere patrem est, quoi ille est unicus?
E. Alienus ego? alienus illi? Ah, Hegio,
Nunquam istuc dixis neque animum induxis tuom!
Tibi ille unicust; mi etiam unico magis unicus.
H. Laudo, malum quom amici tuom ducis malum.
Nunc habe bonum animum. E. Heu heu, huic illud dolet,
Quia nunc remissus est edundi exercitus!
H. Nullumne interea nactus, qui possit tibi
Remissum, quem dixti, imperare exercitum?
E. Quid credis? Fugitant omnes hanc provinciam,
Quoi obtigerat, postquam captust Philopolemus tuos.
H. Non pol mirandum est, fugitare hanc provinciam:
Multis et multigeneribus opus est tibi
Militibus. Primodum opus est Pistoriensibus
(Eorum sunt aliquot genera Pistoriensium);
Opus Paniceis; opus Placentinis quoque;
Opus Turdetanis; opus est Ficedulensibus;
Jam maritumi omnes milites opus sunt tibi.
E. Ut summa saepe ingenia in occulto latent!
Hic qualis imperator nunc privatus est!
H. Habe modo bonum animum: nam illum confido domum
In his diebus me reconciliassere:
Nam eccum captivom hic adulescentem Alium,
Prognatum genere summo et summis divitiis:
Hoc illum me mutare confido fore.
E. Ita di deaeque faxint! H. Sed num quo foras

71. Sic Bosscha. Libri minus recte: *egone non d.* 85. Ita Voss. B. Vulgo *edendi*, quae videtur esse interpretatio.

Vocatus es ad coenam? E. Nusquam, quod sciam.
Sed quid tu id quaeris? H. Quia mi est natalis dies:
Propterea te vocari ad coenam volo . . .
E. Facete dictum! H. Sed si pauxillum potes
Contentus esse. E. Nae perpauxillum modo:
Nam istoc me adsiduo victu delecto domi.
Age, sis, rego. Emin' tu? H. Nisi qui meliorem adferet,
Quae mi atque amicis placeat conditio magis.
E. Quasi fundum vendam; meis me addicam legibus.
H. Profundum vendis tu quidem, haud fundum, mihi.
Sed si venturus: tempore. E. Malis jam otium est.
H. I modo, venare leporem; nunc erim tenes:
Nam meus scruposam victus conmetat viam.
E. Nunquam istoc vinces me, Hegio: ne postules;
Cum calceatis dentibus veniam tamen.
H. Asper meus victus sane est. E. Sentisne esitas?
H. Terrestris coena est . . . E. Sus terrestris bestia est.
H. Multis oleribus . . . . E. Curato aegrotos domi.
Numquid vis? H. Venias temperi. E. Memorem mones.
H. Ibo intro atque intus subducam ratiunculam,
Quantillum argenti apud trapezitam siet.
Ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero.

LORARII. PHILOCRATES. TYNDARUS.

LORARIUS. Di immortales si id voluerunt, vos hanc aerumnam exsequi: t. t. c. II, 1
Decet id pati animo aequo. Si id facietis, levior erit labos.
Domi fuistis, credo, liberi; i. d.
Nunc servitus si evenit, ei vos morigerari mos bonust, i. t.
Eamque herili imperio ingeniis vostris lenem reddere.
Indigna digna habenda sunt, herus quae facit. i. s.
P. Oh, oh, oh! Lo. Ejulatione haud est opus.
Multam oculis multam miseriai edicitis.

109. *esse*, edere. Frustra hic turbatur. Cf. Gron. 115. Ita Gruter. Susp. 6, 5. Libri: *tempori* (vel *tempore*) *em lis jam ot. est; t. emulis* (vel *aemulis*) *i. o. est;* (vet. codex Camerar.) *t. hem vel i. o. est*, ut vulgo legitur; *t. hem silvis i. o. est*, etc. 125. Libri numero duriore: *Q. a. mi ap. t. s.* Sequor codd. Guelferb. et Leid. A., pronomen minime necessarium omittentes. 127. De metris hujus scenae insolentioribus idem dicendum, quod de 3, 2, ubi vide quae monemus. 131. *Eamque.* Acidal.: *Feramque*, quod verisimile. Plerique libri, etiam nostri, praeter Helmstad., *Eamque et her.* Lamb. aliique: *et herile imperium.* 134. Libri: *multa oc. multa misera editis*, etc. Camerar. et vulgo editores: *oc. multam miseriam additis.*

In re mala animo si bono utare, adjuvat.
T. At nos pudet, quia cum catenis sumus. Lo. At pigeat postea i. t.
Nostrum herum, si vos eximat vinclis [aut solutos sinat], quos argento emerit.
T. Quid a nobis metuit? Scimus nos i. d.
Nostrum officium, quod est, si solutos sinat. c. t.
Lo. At fugam fingitis! sentio, quam rem agitis. as. c. d. t. d. br.
T. Nos fugiamus? quo fugiamus? Lo. In patriam. T. Apage! haud nos id deceat, t. t.
Fugitivos imitari. Lo. Imo edepol, si erit occasio, haud dehortor.
T. Unum exorare vos sinite nos. Lo. Quidnam id est? T. Ut sine hisce arbitris c. s.
Atque vobis nobis deti locum loquendi. as. 2 ith.
Lo. Fiat. Abscedite hinc! nos concedamus huc! c. t.
Sed brevem orationem incipesse! as. c. d. t.
T. Hem, istuc mihi certum erat. — Concede huc! Lo. Abite ab istis! as. 3 i. h.
P. Obnoxii ambo vobis sumus propter hanc rem, as. an. i. h.
Quom, quam nos volumus copiam esse, ea nos facitis compotes. i. t.
Secede huc nunc iam, si videtur, procul, c. t.
Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant,
Neu permanet palam haec nostra fallacia:
Nam doli non doli sunt, nisi astu colas,
Sed malum maxumum, si id palam provenit.
Nam si herus mihi es tu, atque ego me tuom esse servom adsimulo: as. t. d. i. d. c.
Tam viso opust, cauto est opus, ut sobrie sineque arbitris i. t.
Adcurate hoc agatur docte et diligenter: i. tr. h.
Tanta incepta res est; haud somniculose hoc b. t.
Agendum est. T. Ero, ut me voles esse. Phi. Spero.
T. Nam tu nunc vides, pro tuo capite caro
Carum offerre meum me caput vilitati.
P. Scio. T. At scire memento, b. d.
Quando id, quod voles, habebis; nam fere maxuma as. t. d. c. d.
Pars morem hunc homines habent, quod sibi volunt, dum inpetrant,

138. *Quid* eliditur, ut saepe apud Plautum. Est haec clausula praecedentium jambicorum. 148. *quam* quidam Langiani. Vulgo *quae*. 149. Libri lapsu proclivi: *copia est*. 156. Vulgo *ταυτολόγως*: *ut hoc sobr.* Sequor Guelf. Helmst. Leid. C etc. 160. Ita Langg. V. durioribus numeris; *caro capite*.

Boni sunt; sed id ubi penes sese habent, ex b. t.
Bonis pessumi et fraudulentissumi sunt.
Nunc, ut te mihi volo, esse autumo. as. c. 2 i. h.
P. Quod tibi suadeo, suadeam meo patri. c. t.
Pol ego te, si audeam, meum patrem nominem:
Nam secundum patrem tu es pater proxumus.
T. Audio. P. Et propterea saepius te, ut memineris, moneo: as. t. d. i. d. c.
Non ego herus, sed tibi sum servos. Nunc obsecro te hoc unum:
Quoniam nobis di inmortales animum ostenderunt suom, t. t. c.
Ut qui, herum me tibi fuisse atque esse [nunc] conservom, velint
Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem, i. t.
Per fortunam incertam et per mei te erga bonitatem patris, t. t. c.
Per conservitium commune, quod hostica evenit manu:
Ne me secus honore honestes, quam quom servibas mihi,
Atque, qui fueris et qui nunc sis, meminisse ut memineris.
T. Scio quidem, me te esse nunc et ted esse me.
P. Hem, istuc si potes as. t. d. i. d.
Memoriter meminisse: inest spes nobis in hac astutia.

HEGIO. PHILOCRATES. TYNDARUS.

H. Jam ego revortar intro, si ex his, quae volo, exquisivero. t. t. c. II, 2.
Ubi sunt isti, quos ante aedis jussi huc produci foras?
P. Edepol tibi ne quaestioni essemus, cautum intellego:
Ita vinclis custodiisque circummoeniti sumus.
H. Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, quom etiam cavet:
Etiam quom cavisse ratus est, saepius cautor captus est.

165. V.: *sed id ubi jam pen. s. h.* Omissum *jam* in Guelf. et Voss. B apud Boscchам, quod quidem salva sententia abesse potest, metrumque impedit. 167. Editur invitis MSS. et edd. vett.: *N. ut te m. v. esse, esse aut.* 168. Hunc versum MSS. tribuunt Philocrati, non Tyndaro, ut vulgati libri; et recte: nam ille suadet non hic. Male autem codd.: *Q. t. suadeam, suadeam m. p.*, cum rem antea jam Philocrates alteri aperuerit, sibique ut obsequatur suadere pergat. 172. V.: *N. e. h. tibi, sed serv. sum.* Sed Voss. B.: *N. e. h. sed tibi serv. s.* 177. Libri glossemate ἀμέτρως: *Perque cons.*

An vero non justa causa est, ut vos servem sedulo,
Quos tam grandi sim mercatus praesenti pecunia?
P. Neque pol tibi nos, quia nos servas, aequom est vitio vortere,
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat occasio.
H. Ut vos hic, itidem illi apud vos meus servatur filius.
P. Captus est? H. Ita. P. Non nos igitur soli ignavi fuvimus.
H. Secede huc: nam sunt, quae ex te solo scitari volo,
Quarum rerum te falsiloquom mi esse nolo. P. Non ero,
Quod sciam; si quid nescibo, id nescium tradam tibi.
T. Nunc senex est in tonstrina! Nunc jam h i c cultros attinet!
Ne id quidem, involucrum injicere, voluit: vestem ut ne inquinet.
Sed utrum strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem,
Nescio; verum si frugi est, usque admutilabit probe.
H. Quid tu? servosne esse an liber mavelis? memora mihi.
P. Proxumum quod sit bono quodque a malo longissume,
Id volo; quamquam non multum fuit molesta servitus,
Nec mihi secus erat, quam si essem familiaris filius.
T. Eugepae, Thalem talento non emam Milesium:
Nam p o l ad sapientiam hujus nimius nugator fuit.
Ut facete orationem ad servitutem contulit!
H. Quo de genere natust illic Philocrates? P. Polyplusio,
Quod genus illi est unum pollens atque honoratissumum.
H. Quid ipsus hic? quo honore est illic? P. Summo atque ab summis viris.
H. Tum igitur, ei quom in aliis tanta gratia est, ut praedicas,
Quid divitiae? suntne opimae? P. Unde excoquat sevom senex.
H. Quid pater? vivitne? P. Vivom, quom inde abimus, liquimus;

189. Helmstad. Leid. C et recentior manus in cod. Monacensi *praesentia*. Fort.: *praesenti ac pec.*, per synchysin, huic atque Terentio satis familiarem. Vide nos ad Amph. 378. 193. Discriminis causa *fuvimus* et similia scripsimus ex regula praeteritorum, cum *fui* pro *fuvi* dicatur, ut *audii* pro *audivi*. Ceterum cf. Sisennam ap. Rufin. de metris Comicorum p. 2711. Putsch., et Bosschae laudatos ad h. l. Varronem de L. L. 8. et Ernestium ad Cic. de Orat. 41. 198. Ita Turneb. Adverss. 28, 38. Libri *involucre*. 206. Argentorat. anni 1514.: *Nam is ad sap.* Sed plerique MSS. et vett. edd. v. praecedente: *Eugepol.* Illud *pol* huc videtur pertinere. Vulgo: *Nam ad sap.* Bosschae placuit: *N. ad sap. h. ille n. n. f.*

Nunc vivatne, nec ne, id Orcum scire oportet scilicet.
T. Salva res est: philosophatur quoque jam, non mendax modo est.
H. Quid erat ei nomen? P. Thesaurochrysunicocroesides.
H. Videlicet propter divitias inditum id nomen quasi est.
P. Imo edepol propter avaritiam ipsius ac tenaciam.
[Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.]
H. Quid tu ais? tenaxne pater ejus est? P. Imo edepol pertenax.
Quin etiam, ut mage noscas, Genio suo ubi quando sacruficat:
Ad rem divinam quibus opus est, Samiis vasis utitur:
Ne ipse Genius subripiat. Proinde, aliis ut credat, vide.
H. Sequere hac me igitur: eadem ego ex hoc, quae volo, exquaesivero.
Philocrates, hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit:
Nam ego ex hoc, quo genere gnatus sis, scio: hic fassust mihi.
Haec tu eadem si confiteri vis; tuam in rem feceris.
Quae tamen scito scire me ex hoc. T. Fecit officium hic suom,
Quom tibi est confessus verum; quamquam volui sedulo
Meam nobilitatem occultare et genus et divitias meas.
Hegio, nunc, quando patriam et libertatem perdidi,
Nonme ego istunc potius quam te metuere, aequom censeo:
Vis hostilis cum istoc fecit meas opes aequabilis.
Memini, quom dicto haud audebat, facto nunc laedat licet.
Sed viden'? Fortuna humana fingit artatque, ut lubet:
Me, qui liber fueram, servom fecit, e summo infumum;
Qui imperare insueram, nunc alterius imperio obsequor;
Et equidem si proinde, ut ipse fui imperator familiae,
Habeam dominum; non verear, ne injuste aut graviter mi imperet.
Hegio, hoc te monitum, nisi forte ipse non vis, volueram.
H. Loquere audacter. T. Tam ego fui ante liber, quam gnatus tuos;
Tam mihi, quam illi, libertatem hostilis eripuit manus;

216. Libri *Thesaurochrysonicochrysides*, — *erusides*, etc. 218. Ita Guelf.. ut legendum vidit Acidalius. V.: *atque audaciam*. Quae post hunc versum leguntur, *Nam — nomine*, pro spuriis habenda sunt, quidquid nonnulli obloquuntur. Cf. 554 seqq. 219. Ita Guelf., joco quidem apertiore quam in vulgatis libris, ubi legitur *pertinax*. 226. V.: *tua re*, soloece. Guelf. *tua in re*. Ald. Par. *t. ex re*. Bosscha: *t. e. re*. 237. Ita Guelf. Vulgo: *Et quidem*.

Tam ille apud nos servit, quam ego nunc hic apud te servio.
Est profecto deus, qui, quae nos gerimus, auditque et videt;
Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illi curaverit:
Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit.
Quam tu filium tuom, tam pater me meus desiderat.
H. Memini ego istaec. Sed faterin' eadem, quae hic fassust mihi?
T. Ego patri meo esse fateor summas divitias domi
Meque summo genere gnatum; sed te obtestor, Hegio,
Ne tuom animum avariorem faxint divitiae meae:
Ne patri tametsi unicus sum, decere videatur magis,
Saturum me servire apud te sumtu et vestitu tuo
Potius, quam illi, ubi minume honestum est, mendicantem vivere.
H. Ego virtute deum et majorum nostrum dives sum satis:
Non ego omnino omne lucrum esse utile homini existumo.
Scio ego: multos luculentos lucrum jam homines reddidit;
Est, etiam ubi profecto damnum praestet facere, quam lucrum.
Odi ego aurum: multa multis saepe suasit perperam.
Nunc animum huc advorte: ut ea, quae sentio, pariter scias.
Filius meus illi apud vos servit captus in Alide;
Eum si reddis mihi, praeterea unum numum ne duis
Et te et hunc amittam hinc. Alio pacto abire non potes.
T. Optumum atque aequissumum oras optumusque hominum es homo.
Sed is privatam servitutem servit illi, an publicam? i. t.
H. Privatam medici Menarchi. Phi. Pol hic hujus quidem est cliens. t. t. c.
Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber est, quando pluit.
H. Facis, homo ut redimatur? T. Faciam; sed te id oro, Hegio . . .
H. Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam. T. Auscultadum: scies.

247. *istaec* Guelf. Leid. B, qui est Leidensium antiquissimus, et Monacensis a me collatus. V.: *istoc*. 260. Ita Langg. Junt. quoque et Ald.: *inulide* Cf. prol. 9, 26, fab. 26. Vulgo: *capt. Alide*, ellipsi parum usitata. 267. *Facis* (pro *facies*, ut futurum usurpari solet, praesertim apud Comicos) vet. codex Camerar., 4 Palatt., Guelf. noster, Sarracen. *Fac is* codd. Sambuci, teste Gulielmio in Quaest. Plautt., Pal. 1. a manu 2., Junt. Ald. et vulgo libri; quod minus civile.

Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non postulo;
Verum te quaeso, ut aestumatum hunc mihi des, quem mittam ad patrem: Ut
Ut is homo redimatur illi. H. Imo alium potius misero
Hinc, ubi erunt induciae, illuc, tuom qui conveniat patrem:
Qui tua, quae tu jusseris, mandata, ita, ut vis, perferat.
T. Ac nihil est, ignotum ad illum mittere: operam luseris;
Hunc mitte: hic transactum reddet omne, si illuc venerit;
Nec fideliorem quemquam, nec quoi plus credat, potes
Mittere ad eum, nec qui mage sit servos ex sententia,
Neque adeo, quoi tuom concredat filium hodie audacius.
Ne vereare: meo periculo hujus ego experiar fidem,
Fretus ingenio ejus, quod me scit esse erga se benevolum.
H. Mittam equidem istunc aestumatum tua fide, si vis. T. Volo;
Quam citissume potest, tam hoc cedere ad factum volo.
H. Num quae causa est, quin, si ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illoc? T. Optuma imo. H. Solvite istum nunc iam,
Atque utrumque. T. Di tibi omnes omnia optata adferant,
Quom me tanto honore honestas, quomque ex vinclis eximis!
Hoc quidem haud molestum est, jam quod collus collari caret.
H. Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida est bonis.
Nunc tu, illunc si illo es missurus, dic, demonstra, praecipe,
Quae ad patrem vis nuntiari. Vin' vocem huc ad te? T. Volo.

HEGIO. PHILOCRATES. TYNDARUS.

H. Quae res bene vortat mihi meoque filio i. s. II, 3
Vobisque! Volt te novos herus operam dare
Tuo veteri domino, quod is velit, fideliter.
Nam ego te aestumatum dedo huic viginti minis;

289. Libri *dice*. Fort.: *dice, monstra*. 294. V.: *N. e. te aest. huic dedi v. m.*, in quibus forma metri apparet nulla. Atqui Leidensium codicum antiquissimus: *extumatum dedi* hnc; alius ejus gregis: *dedi hinc*; unde colligas reponendum esse *dedo*, cui alterum illud non semel offecit in his fabulis.

Hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem
Meum ut ille redimat filium: mutatio
Inter me atque illum, ut nostris fiat filiis.
Phi. Utroquevorsum rectum est ingenium meum,
Ad ted atque illum; pro rota me uti licet:
Vel ego huc vel illuc vortar, quo imperabitis.
H. Tute tibi a tuopte ingenio prodes plurimum,
Quom servitutem ita fers, ut ferri decet.
Sequere. — Hem tibi hominem! T. Gratias habeo tibi,
Quom copiam istam mi et potestatem facis,
Ut ego ad parentes hinc remittam nuntium,
Qui me quid rerum hic agitem et quid fieri velim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ita convenit inter me atque hunc, Tyndare,
Ut te aestumatum in Alidem mittam ad patrem:
Si non tebitas huc, ut viginti minas
Dem pro te. Phi. Recte convenisse sentio:
Nam pater expectat aut me aut aliquem nuntium,
Qui hinc ad se veniat. T. Ergo animum advortas volo,
Quae nuntiare hinc te volo in patriam ad patrem.
Phi. Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam sedulo, t. t. c.
Ut potissumum, quod in rem recte conducat tuam,
Id petessam id persequarque corde atque animo et viribus.
T. Facis ita, ut te facere oportet. Nunc animum advortas volo.
Omnium primum salutem dicito matri et patri
Et cognatis, et si quem alium benevolentem videris:
Me hic valere et servitutem servire huic homini optumo,
Qui me honore honestiorem semper fecit et facit . . .
Phi. Istuc ne praecipias: facile memoria memini tamen.
T. Nam quidem, nisi quod custodem habeo, liberum me esse arbitror.
Dicito patri, quo pacto cum hoc mihi convenerit

301. Ita Boxhorn. Brunck. Bosscha. Libri: *T. t. ea t.* 303. Libri *Gratiam*, versu impedito; nec placent, in quibus est *Sequere hac*, velut Argent. 1514. Lamb. etc.: nam quis ita versum dimetiatur:

Sequere hác. Hem tibi hominém. Gratiam habeó tibi.

305. Ita Monac. et Pall. 2, 5. V. *hunc*, praepostere quidem: Cf. 308. seqq. 317. Libri, intrusa explicatione ἀμέτρῳ: *Id petam.* V. secundum Camerar.: *Id petam idque persequar c. et a. atque v.* Sed Langg.: *corde atque an. et auribus.* 324. Fort.: *Nam equidem*, cum Lamb. 325. Sic Argent. 1514. V. difficiliore metro *mihi cum hoc*,

De hujus filio ... PHI. Quae ego memini, mora mera est monerier.
T. Ut eum redimat et remittat nostrum huc amborum vicem.
PHI. Meminero. H. At quamprimum poterit, tam in rem utrique est maxume.
PHI. Non tuom tu mage videre, quam ille suom gnatum cupit.
H. Meus mihi, suos quoique est carus. PHI. Numquid aliud vis patri
Nuntiari? T. Me hic valere; et tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili:
Neque te commeruisse culpam, neque me advorsatum tibi;
Beneque hero gessisse morem in tantis aerumnis tamen;
Neque med unquam deseruisse te neque factis neque fide
Rebus in dubiis, egenis. Haec pater quando sciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga suom gnatum atque se:
Nunquam erit tam avarus, quin te gratis emittat manu.
Et mea opera, si hinc rebito, faciam ut faciat facilius:
Nam tua opera et comitate et virtute et sapientia
Fecisti, ut redire liceat ad parentes denuo;
Quom apud hunc confessus es et genus et divitias meas:
Quo pacto emisisti e vinclis tuom herum tua sapientia.
PHI. Feci ego ita, ut conmemoras, et, te meminisse id, gratum est mihi.
Merito tibi ea evenerunt a me: nam nunc, Philocrates,
Si ego item memorem, quae me erga multa fecisti bene,
Nox diem adimat: nam si servos meus sis, nihilo secius
Obsequiosus mihi fuisti semper. H. Di, vostram fidem,
Hominum ingenium liberale! ut lacrumas excutiunt mihi!

326. Habetur *ego* in Helmst. Leid. C. Voss. B. 328. Ita Lamb. ex codd. et Bosscha, qui etiam dedit *poterit*, ut pridem nos legendum esse vidimus. V. nullis numeris: *At q. poteris, istuc in rem u. e. m. Is* in *istuc* ortum videtur ex antecedente syllaba, *istam* vero in *istuc* data opera mutatum esse. 338. *gratis* Leidd. Voss. B et Monac. V. *gratus*, quod fuit, ut opinor, *gratiis*. 344. *ita*. Libri *ista*, Voss. A *istas*, metro durissimo. Leid. B v. sequ.: *m. t. ea ev. tibi a me.* Fort:

Feci ego ista, uti commemoras, et, te meminisse, id mihi
Gratum est. Merito ea evenerunt (vel *evenere*) *tibi a me:*
nam nunc, Philocrates etc.

346. *me* libri MSS., non *med*, ut vulgati. Dedisse videntur *med*, qui minus animadverterent, *Si* sub ictu positum non elidi. 347. *sis*. Libri *ἀμέτρως esses*. Vitium sollemne. Bosscha tentat in nota: *nam si servus mi esses, n. s.*

Videas, corde amare inter se: quantis laudibus suom herum
Servos conlaudavit. Phi. Pol med istic haud centesimam
Partem laudat, quam ipse meritust ut laudetur laudibus.
H. Ergo quom optume fecisti, nunc adest occasio
Benefacta cumulare: ut erga hunc rem geras fideliter.
Phi. Mage non factum velle possum, quam opera experiar persequi.
Id uti scias: Jovem supremum testem laudo, Hegio, i. t.
Me infidelem non futurum Philocrati . . . H. Probus es homo. t. t. c.
Phi. Nec me secus unquam ei facturum quidquam, quam memet mihi.
T. Istaec dicta me experiri et operis et factis volo;
Et quod minus dixi, quam volui, de te, animum advortas volo,
Atque horunc verborum causa cave tu mi iratus fuas;
Sed, te quaeso, cogitato, hinc mea fide mitti donum
Te aestumatum et meam esse vitam hic pro te positam pignori:
Ne tu me ignores, quom extemplo meo e conspectu abscesseris,
Quom me servom in servitute pro ted hic reliqueris;
Tuque te pro libero esse ducas, pignus deseras,
Neque des operam, pro me ut hujus reducem facias filium.
Scito, te minis viginti hinc aestumatum mittier!
Fac fidelis sis fideli! cave fidem fluxam geras!
Nam pater, scio, faciet, quae illum facere oportet, omnia.
Serva tibi in perpetuom amicum me, atque hunc inventum inveni! i t.
Haec per dexteram tuam, te dextera retinens manu, t. t. c.
Obsecro: infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi!

350. Versus elumbis. Fort.: *laudibus servom herum*, Cf. prol. 36. 351. MSS. et vett. edd.: *Pol istic me haud cent.* Vulgo nunc: *Istic pol h. m. c.* Sed *pol* ante vocalem corripitur. 359. Ita Helmstad. et Leid. C, ut legi volebat Lamb. Vulgata scriptura *dicta te* orta videri potest ex antiqua *dictad*. Non semel sic erratum: v. nos ad Amph. prol. 149, locisque ibi laudatis adde Most. 367. 769. 361. *cave tu* etiam Bosscha. Libri *caveto*, versu impingente. Junt. Ald. *cave mihi*. 360. Ita plerique libri. Alii non recte: *Et quod minus* etc. Male etiam plene distinguitur post *volo*. 369. Sic fere libri superstites praeter Guelf., qui habet *Fac fidele fideli*. Non. 11, 25: *Fidele pro Fideliter, Plaut. Capt.: Fac fidele: cave fidem fluxam geras*. Unde Bosscha *F. fidele sis fidelis*. Malim: *F. fideli sis fidelis*. 371. Ita librorum pars major potiorque, τῷ *tibi* liquescente; quod nescientes dedere: *S. in p. tibi am. etc.*, ut vulgo legitur.

Tu hoc age! tu mihi nunc herus es, tu patronus tu pater:
Tibi commendo spes opesque meas. Phi. Mandavistin' satis?
Satin' habes, mandata quae sunt, facta si refero? T. Satis.
Phi. Et tua et tua huc ornatus reveniam ex sententia.
Numquid aliud? T. Ut, quamprimum possis, redeas. Phi. Res monet.
H. Sequere me: viaticum ut dem a trapezita tibi.
Eadem opera a praetore sumam syngraphum. T. Quem syngraphum?
H. Quem hic ferat secum ad legionem: hinc ire huic ut liceat domum. —
Tu intro abi. T. Bene ambulato. Phi. Bene vale. H. Edepol rem meam
Constabilivi, quom illos emi de praeda a quaestoribus!
Expedivi ex servitute filium, si dis placet.
At etiam dubitavi, hos homines emerem, an non emerem, diu.
Servate istum, sultis, intus, servi: ne quoquam pedem
Ecferat sine custodela. Jam ego adparebo domi:
Ad fratrem modo captivos alios inviso meos;
Eadem percontabor, ecquis adulescentem noverit.
Sequere tu: te ut amittam, ei re primum praevorti volo.

E R G A S I L U S.

Miser homo est, qui ipsi, quod edit, quaerit et id aegre invenit; t. t. c. III, 1.
Sed ille est miserior, qui et aegre quaerit et nihil invenit; i. t.
Ille miserrumus est, qui, quom cupit esse, quod edit, non habet. t. t. c.

375. Ita Langg. et Helmst., nisi quod habent *mandavisti*. Vulgo: — *satis. Satin' habes*, etc. 379. Ita plerique; omnes libri vett. Guelf. tamen, ut edd. vulgatae: *ut dem hinc a trap. Dem* non eliditur, figura frequentissima in Plauto, in Terentio non item. 387. Vulgo hiante versu: *E. s. custode. ego a. d. Jam* additum a Pareo, quod verisimile est raptum esse a praecedente syllaba simili. Ἀμέτρως vir quidam doctus:

Efferat sine custódia. jamjám apparebó domi.

389. Sic libri plurimi. V.: *hunc ad* Bosscha: *ecqui hunc ad.* 391. Libri vulgati: *qui ipse sibi*, *quod edit*, etc. Sed neque *ipse* vim habet, et *sibi* non legitur in Langianis, Guelf., et Leidensium antiquissimo. Sane reponendum *ipsi*, cui pro glossemate adscriptum *sibi*. *Qui* non eliditur. Etiam Bosscha omisit *sibi*.

Nam hercle ego huic die, si liceat, oculos ecfodiam lubens:
Ita malignitate oneravit omnis mortalis mihi;
Neque jejuniosiorem neque magis ecfertum fame
Vidi, nec quoi minus procedat, quidquid facere occeperit:
Ita venter gutturque resident esuriales ferias.
Ilicet parasiticae arti maxumam in malam crucem:
Ita juventus jam ridiculos inopesque ab se segregat.
Nil morantur jam Laconas imi subselli viros
Plagipatidas, quibus sunt verba sine penu et pecunia;
Eos requirunt, qui, lubenter quom ederint, reddant domi.
Ipsi obsonant, quae parasitorum ante erat provincia;
Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt.
Quam in tribu sontis aperto capite condemnant reos;
Neque ridiculos jam terunci faciunt; sese omnes amant.
Nam ut dudum hinc abivi: accessi ad adulescentes in foro;
Salvete inquam. Quo imus una ad prandium? — Atque illi tacent. —
Quis ait „Huc," aut quis profitetur? inquam. — Quasi muti silent
Neque me rident. Ubi coenamus? inquam. Atque illi abnuont.
Dico unum ridiculum dictum dictis de melioribus,
Quibus solebam menstrualis epulas ante adipiscier.
Nemo ridet. Scivi extemplo, rem de conpacto geri.
Ne canem quidem inritatam voluit quisquam imitarier,
Saltem, si non adriderent, dentis ut restringerent.
Abeo ab illis, posquam video me sic ludificarier;
Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios: una res;
Omnes conpacto rem agunt, quasi in velabro olearii.
Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier.
Item alii parasiti frustra obambulabant in foro.
Nunc barbarica lege certum est jus meum omne persequi:
Qui consilium iniere, qui nos victu et vita prohibeant,
His diem dicam; inrogabo multam, ut mihi coenas decem

397. *quoi.* V. *qui* (pro *quo*); sed Guelf. Helmstad. Monac. et major pars Leidensium codicum et Vossianorum, item Sarracen. etc.: *cui*, quod merito Bosscha praetulit: nam ad diem translata omnia, quae de se dicit homo. 398. Ita Junt. Ald. et nos pridem et nuper Bosscha. Male ceteri *Itaque* 400. Ita Langg. V. *inopesque.* 409. Ita Guelf. V.: *Q. i. una, inquam.* Sed non placet solus inter meros trochaïcos versus asynartetus (t. d. i. d.) cum praesertim haec uno affectu omnia pronuntientur. Sic etiam Bosscha. 410. Ita nonnulli libri, ut legi jussit Guilelm. Quaest. in Capt. c. 5. V. *hoc*, pro *huc.* 423. Sequimur Leid. A. et Bosschan, qui, quod ceteri libri habent, vitio sollemni, *concilium iniere*, sine exemplo dici monet. *Qui nos* Guelf. V.: *quo nos*, quae est explicatio alterius.

Meo arbitratu dent, quom cara annona sit. Sic egero.
Nunc ibo ad portum hinc: est mi illic una spes coenatica;
Si ea decolabit: redibo huc ad senem ad coenam asperam.

HEGIO.

Quid est suavius, quam bene rem gerere as. b. d. t. III, 2
Bono publico, sicut egi feci
Heri, quom emi hosce homines? Ubi quisque vident, as. b. d. a.
Eunt obviam, gratulanturque eam rem. b. t.
Ita me miserum restitando retinendoque as. 2 ith.
Lassum reddiderunt. ith.
Vix e gratulando miser jam eminebam. as. ith. b. d.
Tandem abii ad praetorem; ibi vix requievi;
Rogo syngraphum; datur; eloco do Tyndaro: ille abiit domum. i. t.
[Inde illico revortor domum.]
Postquam id actum: eo protinam ad fratrem mei ubi sunt alii captivi; t. t.
Rogo, Philocraten ex Alide ecquis omnium noverit. t. t. c.
Hic exclamat, eum sibi esse sodalem; dico eum esse apud me; t. t.
Hic extemplo orat obsecratque, eum sibi ut liceat videre: i. t. h.
Jussi eloco hunc exsolvi. Nunc tu sequere me, i. s.
Ut, quod me oravisti, inpetres, eum hominem uti convenias. i. t. c.

TYNDARUS.

Nunc illud est, quom me fuisse, quam esse, nimio mavelim; i. t. III, 3

428. Hanc scenam a nemine unquam restitutum iri existimabat Acidalius. Habet sane hic noster metra sua propria, quae eruenda ex eo sunt, non inculcanda aliena et communia. 434. Ita Helmst. V.: *ex grat.* 436. *do* Argent. a. 1514., *de* aliae vett. edd. et MSS. Leidd. et Monacensis. V.: *dedi mihi*, sed abest pronomen a Guelf. *domum*, in patriam. Verba uncinis inclusa ab oeconomia fabulae abhorrere docuit Acid. 437. V.: *postqu. id. a. est, eo: Protinus ad fr, inde abii, mei* etc. Verba *inde abii* non leguntur in edd. Colon. Junt. Ald. 439. V.: *Tandem hic excl.;* sed ineptum illud *Tandem* abest a Leid., nostris, et edd. plerisque vett.

Nunc spes opes auxiliaque a me segregant spernuntque se!
Hic est ille dies, quom nulla vitae meae salus superabilis,
Neque exitium exitio est, neque adeo spes, quae hunc mi aspellat metum!
Nec subdolis mendaciis mihi usquam integumentum est meis,
Nec sycophantiis nec fucis ullum mantellum obviam est,
Neque deprecatio perfidiis meis nec malefactis fuga est,
Nec confidentiae usquam hospitium est nec deverticulum dolis.
Operta quae fuere, aperta sunt; patent praestigiae.
Omnis palam est res, neque de hac re negotium est, i. s.
Quin male occidam, oppetamque pestem heri vicem meamque. t. t.
Perdidit me Aristophontes hic, qui intro venit modo: t. t. c.
Is me novit; is sodalis Philocrati et cognatus est;
Neque jam Salus servare, si volt, me potest, nec copia est, i. t.
Nisi si aliquam corde machinor astutiam. — i. s.
Quam, malum? quid machiner? quid comminiscar? as. 2 ith.
Maxumas nugas ineptiasque incepisse! Haereo. t. t. c.

HEGIO. TYNDARUS. ARISTOPHONTES. LORARIUS.

H. Quo illum nunc hominem proripuisse foras se dicam ex aedibus? i. t. III, 4
T. Nunc enimvero occidi! eunt ad te hostes, Tyndare! i. s.
Quid loquar? quid fabulabor? quid negabo, aut quid fatebor? t. t.
Res mi omnis in incerto sita est. Quid rebus confidam meis? i. t.

445. Ita Guelf. *Superabilis*, quae superat, superest V.: *sperabilis*. 446. Sic IS. Pontani vet. cod. Conjectura sagaci reperit Acid. V.: *exilium*. 447. *integumentum* cod. Meldens. apud Lamb. V. hic quoque legitur *mantellum*. Illud habet etiam Bosscha. 459. Guelf. et Helmst.: *ineptias*. *Incepisse* aliquot Langg Guelf. Helmstad.; *incipisse* vetus liber Camerar., alii Langianorum, Voss. A apud Bosscham, Mediol. a. 1500., Argent. 1514. etc. V.: *incipisso*, quod ipse versus repudiat. Pal. 6.: *Horreo*. Aliorum hallucinationes enarrare longum est. 461. Ita Guelf. Helmst. Leidd. A. et C denique vett. edd., idque poscit ipse versus. V.: *N. en ego occidi*.

Utinam te di prius perderent, quam periisti e patria tua,
Aristophontes, qui ex parata rem inparatam omnem facis!
Occisa est haec res, nisi reperio atrocem mi aliquam astutiam.
H. Sequere. Hem tibi hominem! adi atque adloquere.
T. Quis homo est me hominum miserior?
A. Quid istuc est, quod meos te dicam fugitare oculos, Tyndare.
Proque ignoto me adspernari, quasi me nunquam noveris? t. t. c.
Equidem tam sum servos, quam tu, etsi ego domi liber fui.
Tu usque a puero servitutem servivisti in Alide.
H. Edepol miror minume, is si te fugitat aut oculos tuos,
Aut si te odit, qui istum adpelles Tyndarum pro Philocrate.
T. Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide:
Ne tu, istic quod fabuletur, auris inmittas tuas:
Nam istic hastis insectatus est domi matrem et patrem,
Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit. i. t.
Proin' tu ab istoc procul recedas! H. Ultro istum a me!
A. Ain', verbero,
Me rabiosum, atque insectatum esse hastis meum memoras patrem, t. t. c.
Et eum morbum mi esse, ut qui me opus sit insputarier?
H. Ne verere: multos iste morbus homines macerat,
Quibus insputari saluti fuit atque illis profuit.
A. Quid tu autem? etiam huic credis? H. Quid ego credam huic? A. Insanum esse me.
T. Viden' tu hunc quam inimico voltu intuitur? Concedi optumum est, i. t.
Hegio: fit, quod tibi dixi: gliscit rabies: cave tibi! t. t. c.
H. Credidi esse insanum extemplo, ubi te adpellavit Tyndarum.
T. Quin suom ipse interdum ignorat nomen, neque scit, qui siet.
H. At etiam te suom sodalem esse aibat. T. Haud vidi magis!
Equidem Alcmaeus atque Orestes et Lycurgus postea

465. V. *re.* Voss. B et ed. Tarvis. a. 1482.: *parata re imparatam rem omnem f.* MS. Meurs. et Junt. Ald.: *par. imp. rem o. f.* 472. Monac.: *miror min.*: nam v. legitur *min. miror.* Idem cod. et Guelf., item Leidd. A et C: *is si*, cum alibi pronomen desideretur. 480. Vett.: *his, eis, iis*, etc. V.: *Aliis*, Tyndaroque 3 postremae voces hujus versiculi tribuuntur. Sed non sic Bosscha, qui legit: *atque illis profuit.* Hoc verius puto, quam quod aliquando in mentem venit ponendum esse, *ibus.* Non semel confusa haec vocabula in libris. 485. Ita Helmst. Monac., Junt. Ald. V.: *tibi ego dixi*, minus bene contracto nomine Hegionis. 489. Sic vet. cod. Cam. et Langiani, similiterque alii. V.: *Et quidem Alcmaeo.*

Una opera mihi sunt sodales, qua iste. A. At etiam, furcifer,
Male loqui mi audes? non ego te novi? H. Pol planum id quidem est,
Non novissse, qui istum adpelles Tyndarum pro Philocrate.
Quem vides, ignoras; illum nominas, quem non vides.
A. Imo iste eum sese ait, qui non est, esse; et, qui vero est, negat.
T. Tu enim repertus, Philocratem qui superes veriverbio! i. t.
A. Pol, ego ut rem video, tu inventus, vera vanitudine t. t. c.
Qui convincas! Sed quaeso hercle, agedum, adspice ad me!
T. Hem! A. Dic modo:
Te Tyndarum esse negas? T. Nego, inquam. A. Tun' te Philocraten esse ais. i. t.
T. Ajo inquam. A. Tune huic credis? H. Plus quidem, quam tibi aut mihi: t. t. c.
Nam ille quidem, quem tu esse hunc memoras, hodie hinc abiit Alidem
Ad patrem hujus. A. Quem patrem, qui servos est?
T. Et tu quidem
Servos, et liber fuisti; et ego me confido fore,
Si hujus huc reconciliasso in libertatem filium.
A. Quid ais, furcifer? tun' gnatum te esse memoras liberum?
T. Non equidem me Liberum, sed Philocratem esse ajo.
A. Quid est?
Ut scelestus, Hegio, nunc iste te ludos facit!
Nam is est servos ipse, neque praeter se unquam ei servos fuit.
T. Quia tute ipse eges in patria, nec tibi, qui vivas, domi est:
Omnis inveniri similis tibi vis. Non mirum facis:
Est miserorum, ut malevolentes sint atque invideant bonis.
A. Hegio, vide sis, ne quid tu huic temere insistas credere!
Atque, ut perspicio, profecto jam aliquid pugnae dedit:
Filium tuom quod se redimere ait, id ne utiquam mihi placet.
T. Scio, te id nolle fieri; efficiam tamen ego id, si di adjuvant:

493. V., frustra impedito versu: *eum ignoras*. Glossema. 499. V.: *Ego, inquam*, laborante quidem versu nec satis concinna oratione. Legendum *Ajo inquam*, ut *Nego, inquam; Ajo* non elidendum. 505. Recte Bosscha observat, simul hoc intelligi velle Tyndarum non se liberum jam esse, sed Philocratem. *Quid est?* Cur? Quomodo? ut Aul. 505. 503. Sic Helmst., ut alibi quoque meliores libri. V. una voce: *neutiquam*, minus quidem recte. Vid. Bentl. ad Terent. Hec. 68.

Illum restituam huic, hic autem in Alidem me meo patri.
Propterea ad patrem hinc amisi Tyndarum. A. Quin tute is es,
Neque praeter te in Alide ullus servos istoc nomine est!
T. Pergin' servom me exprobrare esse, id, quod vi hostili obtigit?
A. Enim jam nequeo contineri! T. Heus tu, audin', quid ait? quin fugis? i. t.
Jam illic hic nos insectabit lapidibus, nisi illunc jubes t. t. c.
Conprehendi. A. Crucior! T. Ardent oculi: fune opus, Hegio!
Viden' tu, illi maculari corpus totum maculis luridis? i. t.
Atra bilis agitat hominem! A. At pol te, si hic sapiat senex, t. c. c.
Pix atra agitet apud carnuficem, tuoque capiti inluceat!
T. Jam deliramenta loquitur: larüae stimulant virum.
H. Hercle quid, si hunc conprehendi jusserim? T. Sapias magis.
A. Crucior, lapidem non habere me, ut illi mastigiae
Cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinnat suis!
T. Audin', lapidem quaeritare? A. Solus te solum volo,
Hegio. H. Istinc loquere, si quid vis: procul tamen audiam.
T. Namque edepol si adbites propius: os denasabit tibi
Mordicus. A. Neque pol me insanum, Hegio, esse creduis,
Neque fuisse unquam, neque esse morbum, quem istic autumat;
Verum si quid metuis a me, jube me vinciri. Volo,
Dum istic itidem vinciatur. T. Imo enimvero Hegio,
Istic, qui volt, vinciatur. A. Tace modo! ego te, Philocrates
False, faciam, ut verus hodie reperiare Tyndarus!
Quid mi obnutas? T. Tibi ego obnuto? Quid agat, si absis longius?
H. Quid ais? quid, si adeam hunc insanum? T. Nugas! ludificabitur;
Garriet, quod neque pes unquam neque caput conpareat.
Ornamenta adsint: Ajacem, hunc quom vides, ipsum vides.

519. Sic ed. Argent. Junt. Ald.: *Sed enim jam.* V.: *Enimvero jam* 521. Sic plures codd., in his Monac. V.: *opu'st.* 524. V.: *Atra pix;* sed *ater* porrecta semper est syllaba priore. 526. Sic fere libri. V., secundum Camerarii? *Quid? quid, si hunc* etc. 538. Sic Helmst. et Leid. A., h. e. *adnutas*, quod habet Guelf. V.: *abnutas.* V. quoque *abnuto*, quod simul emendandum fuit. 541. Sic Donza Centur. c. 19. Cam.: *absint.* V.: *absunt.* *Orn.*, vestimenta scenica.

H. Nihili facio; tamen adibo. T. Nunc ego omnino occidi!
Nunc ego sacrum inter saxumque sto, neo, quid faciam, scio!
H. Do tibi operam, Aristophontes, si quid est, quod me velis.
A. Ex me audibis vera, quae nunc falsa opinare Hegio,
Sed hoc me primum expurgare tibi volo, me insaniam i. t.
Neque tenere neque mi esse ullum morbum, nisi quod servio. t. t. c.
At ita me rex deorum atque hominum faxit patriae compotem, i. t.
Ut istic Philocrates non magis est, quam aut ego aut tu. H. Eho, dic mihi:
Quis igitur illic est? A. Quem dudum dixi a principio tibi.
Hoc si secus reperies: nullam causam dico, quin mihi t. t. c.
Et parentum et libertatis apud te deliquio siet.
H. Quid tu ais? T. Me tuom esset servom et te meum herum. H. Haud istuc rogo!
Fuistin' liber? T. Fui. A. Enimvero non fuit; nugas agit. i. t.
T. Qui tu scis? an tu fortasse fuisti meae matri obstetrix, t. t. c.
Qui id tam audacter dicere audes? A. Puerum te vidi puer.
T. At ego te major majorem video. Hem rursum tibi!
Meam rem ne cures, si recte facias. Num ego curo tuam?
H. Fuvitne huic pater Thesaurochrysunicocroesides?
A. Non fuit neque ego istuc nomen unquam audivi antè hunc diem;
Philocrati Theodoromedes fuit pater. T. Pereo probe!
Quin quiescis? I dierectum, cor meum, ac suspende te!
Tu subsultas; ego miser vix adsto prae formidine.
H. Satin' istuc mihi exquisitum est, fuisse hunc servom in Alide,
Neque esse hunc Philocratem? A. Tam satis, quam nunquam hoc invenies secus. i. t.
Sed ubi is nunc est? H. Ubi ego minume atque ipsus se volt maxume. t. t. c.
Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus, sum miser
Hujus scelesti technis, qui me, ut lubitum est, ductavit dolis!
Sed vide, sis! A. Quin exploratum dico et provisum hoc tibi.

543. V.: *Nunc ego inter.* 546. *primum* non liquescit. 550. *illic* plerique omnes codd. V. tamen: *ille*, non sine periculo versus. 558. *ne cures* Helmst. et Leidd. C. V.: *non c.* 559. V.: *Fuitne.* 562. Ita Guil. V.: *Q. q. dier. c. m.! i, ac s. te.* 569. *dico* Guelf.: *video.*

H. Certon'? A. Quin nihil, inquam, invenies magis hoc certo certius.
Philocrates jam inde usque amicus fuit mihi a puero puer.
H. Sed qua facie est tuos sodalis Philocrates? A. Dicam tibi:
Macilento ore, naso acuto, corpore albo, oculis nigris,
Subrufus, aliquantum crispus, cincinnatus. H. Convenit.
T. Ut quidem hercle in medium ego hodie pessume processerim.
Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur meo!
H. Verba mihi data esse video. T. Quid cessatis, conpedes,
Currere ad me meaque amplecti crura, ut vos custodiam?
H. Satin' med illi hodie scelesti capti ceperunt dolo?
Illic servom se adsimulabat, hic sese autem liberum,
Nuculeum amisi; reliquit pignori putamina:
Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere obfuciis.
Hic quidem me unquam inridebit. Colaphe, Cordalio, Corax, i. t.
Ite istinc atque ecferte lora! Lo. Num lignatum mittimur?

HEGIO. TYNDARUS. ARISTOPHONTES.

H. Inicite huic manicas mastigiae! T. Quid negoti est? Quid ego as. 3 i. h. III, 5
Deliqui? H. Rogitas, i. h.
Sator sartorque scelerum et messor maxume? i. s.
T. Non occatorem dicere audebas prius?
Nam semper occant rustici, quam sarriunt,
Prius. H. At ut confidenter mihi contra adstitit!
T. Decet innocentem servom atque innoxium

571. *usque.* Monac.: *adeo.* 573. Libri: *et oculis.* 574. Ita haec Bosscha distinxit secundum aliquot codd., quos versavit. V.: *Subrufus aliquantum, crispus.* Helmst., ut olim Langiani: *aliquantulum.* 581. Sic vet. cod. Camer. Langg. Palatt. V.: *Nucleum* 585. Brix., Argent. a. 1514., Junt. Ald. Gryph. et, quae postea lucem viderunt, edd. fere omnes:

H. *Iniicite huic actutum manicas mastigiae!*
T. *Quid hoc est negotii? quid ego deliqui?* H. *Rogas?*

Fecere quidam metri gratia: *I. act. m. h. mast.?* Metri, inquam, consueti jambicorum senariorum. Verum enimvero *actutum* abest a veteribus; deinde *hoc* non legitur in B Leid., et in A. est *rogitas*; recte quidem, si quid sentio, ut locum hic habeat vehemens illud metri genus, quod nos agnovimus etiam Epid. 318. et Rud. 849. sqq. Cujus clausula est versus 586. Ceterum Guelf. codex Cam. et Pall.: *Inicite.* 588. MSS. Langg., nostri, Leidd. A, C, Voss. B, et vett. edd.: *debebas.* 589. sequ. Hyperbaton. Vulgo, corruptis metris:

Nam semper occant prius quam sarriunt rustici
H. *At ut* etc.

Confidentem esse suom apud herum potissumum.
H. Adstringite isti, sultis, vehementer manus!
T. Tuos sum: tu has quidem vel praecidi jube!
Sed quid hoc negoti est, quamobrem suscenses mihi?
H. Quia me meamque rem, quod te in uno fuit,
Tuis scelestis falsidicis fallaciis
Delaceravisti, deartuavistique opes.
Confecisti omnis res ac rationes meas:
Ita mi exemisti Philocratem fallaciis.
Illum esse servom credidi, te liberum:
Ita vosmet ajebatis, itaque nomina
Inter vos permutastis. T. Fateor, omnia
Facta esse ita, ut tu dicis, et fallaciis
Abiisse eum abs te mea opera atque astutia.
An, obsecro hercle te, id nunc suscenses mihi?
H. At cum cruciatu maxumo id factum est tuo.
T. Dum ne ob malefacta peream, parvi existumo.
Si ego hic peribo atque ille, ut dixit, non redit:
At erit mi hoc factum mortuo memorabile,
Herum me captum ex servitute atque hostibus
Reducem fecisse liberum in patriam ad patrem,
Meumque potius me caput periculo
Praeoptavisse, quam is periret, ponere.
H. Facito ergo, ut Acherunti clueas gloria!
T. Qui per virtutem perbitat, non interit.
H. Quando ego te exemplis excruciasso pessumis
Atque ob sutelas tuas te morti misero:
Vel te interisse vel perisse praedicent!
Dum pereas: nihil interduo, dicant vivere!
T. Pol si istuc faxis: haud sine poena feceris,
Si ille huc redibit, sicut confido adfore.
A. Proh di inmortales, nunc ego teneo, nunc scio,
Quid hoc sit negoti: meus sodalis Philocrates
In libertate est ad patrem in patria. Bene est,
Nec quisquam est mihi aeque melius quoi velim!

594. Ita codd. Gifan., nostri, Palatt. V.: *T. s.*, *tuas quidem v. p. i.* 596. Elegans lectio Leidensium B, C, et Voss. B. V.: *in te.* Te sub ictu positum non liquescit. 608. V.: *parvi aestumo*, Guelf.: *extumo*, Monac.: *extimo*. 609. Pro *atque* vulgo legitur *ast*, quod vix latine dici puto; certe male, cum *At* sequatur. Lamb. aliique: *et* 611. V. non eliso nullius ponderis verbo *Meum*: *Meum herum captum*. 616. Ita Cam. et Scal. V.: *peritat*, hiante versu. Argent. a. 1514. aliaeque nonnullae edd.: *peritat*, *is*. 617. V. horridis numeris: *excruciavero*. Bosscha: *excruciaro*, quae contractio minus usitata veteribus. 624. Sic Helmst. V.: *Q. sit hoc.* 626. Sic fere MSS. V.: *N. est qu. mihi.*

Sed hoc mihi aegre est, me huic dedisse operam malam,
Qui nunc propter me meaque verba vinctus est.
H. Vetuin', te quidquam mi hodie falsum proloqui?
T. Vetuisti. H. Cur es ausus mentiri mihi?
T. Quia vera obessent illi, quoi operam dabam;
Nunc falsa prosunt. H. At tibi oberunt. T. Optumum est.
At herum servavi, quem servatum gaudeo,
Quoi me custodem addiderat herus major meus.
Sed malene id factum arbitrare? H. Pessume.
T. At ego ajo Recte, qui abs te seorsum sentio:
Nam cogitato: si quis hoc gnato tuo
Tuos servos faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteresne, necne, eum servom manu?
Essetne is apud te servos acceptissumus?
Responde. H. Opinor. T. Cur ergo iratus mihi es?
H. Quia illi fuisti, quam mihi, fidelior.
T. Quid? tu una nocte postulavisti et die
Recens captum hominem et nuperum et novitium
Te perdocere, ut melius consulerem tibi,
Quam illi, quicum una a puero aetatem exegeram?
H. Ergo ab eo petito gratiam istam! — Ducite,
Ubi ponderosas crassas capiat conpedes!
Inde ibis porro in latomias lapidarias,
Ibi quom alii octonos lapides ecfodiunt, nisi
Cotidiano sesquiopus confeceris:
Sexcentoplago nomen indetur tibi.
A. Per deos atque homines ego te obtestor, Hegio,
Ne tu istunc hominem perduis! H. Curabitur;
Nam noctu nervo vinctus custodibitur;
Interdius sub terra lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo; non uno absolvam die.

632. Ita codd. nonnulli scripti et edd. vett. V.: *Optume est.* 640. Voss. A.: *E. is serv, ap. te acc.* Guelf.: *Ersetne id serv. acc.* V.: *E. apud te is serv. acc.* 641. Pall. 4, Oxon. Leid. B. et Guelf.: *ingratus*, quod probant JS. Pontan. et Bosscha. Non semel mixta haec vocabula. 645. Hoc versu post *nuperum* haec leguntur in codice Helmst.: *haud repentinas esse oportet amicitias*, et subscriptum, tanquam glossema: *neque veteres idcirco.* 651. sequ. Ita Bentl. ad Terent. Heaut. 4, 5, 7. V.: *effodint; nisi Cotidianus!* Sed istud *effodint* nihili verbum est, neque id ostendunt codd., sed *effodiunt*, quod cur mutetur, nullus video; deinde cod. vet. Cam. nostri et vett. edd. non *cotidianus*, ut vulgo; sed *cotidianos sesquiopus*, S littera adhaerente, nisi fallor, priori vocabulo ex sequente, qualibus descriptorum vitiis scatent libri. Ipsum *cotidiano* reperit Guil. probatque, ut item Lips. et Bentl. Vulgata lectio ὁμοιοτελεύτῳ nonnihil offendit. 657. Langg. *una.*

A. Certumne est tibi istuc? H. Non moriri certiust.
Abducite istum actutum ad Hippolytum fabrum:
Jubete huic crassas conpedes inpingier.
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum
In lapicidinas facite deductus siet;
Atque ita me velle hunc dicito curarier,
Ne quid deterius huic sit, quam quoi pessume est.
T. Cur ego te invito salvom me esse postulem?
Periclum vitae meae tuo stat periculo.
Post mortem in morte nihil est, quod metuam, mali;
Et per si vivo usque ad summam aetatem: tamen
Breve spatium est perferundi, quae minitas mihi.
Vale atque salve; etsi, aliter ut dicam, meres.
Tu Aristophontes, de me ut meruisti, ita vale:
Nam mihi propter te hoc obtigit. A. Oh! H. Abducite!
T. At unum hoc quaeso, si huc rebitet Philocrates,
Ut mi ejus facias conveniundi copiam.
H. Peristis, nisi jam hunc e conspectu abducitis!
T. Vis haec quidem hercle est, et trahi et trudi simul.
H. Ille est abductus recta in phylacam, ut dignus est.
Ego illis capteivis aliis documentum dabo,
Ne tale quisquam facinus incipere audeat:
Quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam.
Usque obfrenatum suis me ductaret dolis.
Nunc certum est nulli posthac quidquam credere:
Satis sum semel deceptus. Speravi miser,
Ex servitute me exemisse filium;
Ea spes elapsa est. Perdidi unum filium
Puerum quadrimum, quem mihi servos surpuit,
Neque eum servom unquam reperi, neque filium;
Major potitus hostium est. Quod hoc est scelus?
Quasi in orbitatem liberos produxerim!
Sequere hac: reducam te, ubi fuisti. Neminis
Misereri certum est, quia mei miseret neminem!
A. Exauspicavi ex vinclis; nunc intellego
Redauspicandum esse in catenas denuo.

663. Ita Guelf. V.: *dicite*, quod numeri non admittunt. Dicit hoc senex uni servo fideliori. *Me*, quod vulgo abest, legitur in omnibus vetustis. 664. Sic libri plurimi. V.: *Ne qui*. 668. Ita Guelf. et Monac. V.: *Et si pervivo*. 672. *Oh*. vulgo non legitur; sed Monac.: *obtigit. o. he. abducite*. 675. Ita Helmst. et, ex suis haud dubie, Bosscha V.: *Periistis. jam hunc* Argent. V.: *hunc jam*. 677. Frustra libri *Illic*. 678. Helmst. Monac.: *captivis*. 682. Ita Guelf. V.: *post haec*. 687. Sic nostri codd. V.: *N. enim*.

ERGASILUS.

Jupiter supreme, servas me measque auges opes! t. t. c. IV, 1
Maxumas opimitates opiparasque obfers mihi:
Laudem, lucrum, ludum, jocum, festivitatem, ferias, i. t.
Pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium;
Sine sacris hereditatem sum aptus ecfertissumam t. t. c.
Nec quoiquam homini supplicare me nunc est certum mihi:
Nam vel prodesse amico possum, vel inimicum perdere: i. t.
Ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies!
Nunc ad senem cursum capessam hunc Hegionem, quoi boni
Tantum adfero, quantum a diis ipse optat, atque etiam amplius.
Nunc certa res est; eodem pacto, ut Comici servi solent,
Coniciam in collum pallium: primo ex med hanc rem ut audiat;
Speroque, me ob hunc nuntium aeternum adepturum cibum!

HEGIO. ERGASILUS.

H. Quanto in pectore hanc meo mage rem voluto, as. 2 ith. b. t. IV, 2
Tanto mi aegritudo auctior est in animo,
Ad illunc modum sublitum os esse mi hodie; b. t.
Neque id perspicere quivi. Quod quom scibitur: i. s.
Per urbem inridebor. Quom extemplo ad forum advenero: omnes loquentur: b. s.
Hic ille est senex doctus, quoi verba data sunt! b. t.
Sed Ergasilus estne hic, procul quem video? as. b. d. i. h.
Conlecto quidem est pallio. Quidnam acturust? b. t.
E. Move abs te moram atque, Ergasile, age hanc rem! as. b. d. t.

697. *Pompam, penum.* Ἐν διὰ δυοῖν: nam intelligitur longa ferculorum series; ut bene monet Bosscha. Cf. fragm. Baccharïae vers. 2. Nec tamen nolim legi, si quis liber adjuvet, *pompam penûs.* 699. Quod vulgo desideratur, *me* habent multi libri, in his nostri et Bosschae praeter Voss. A. 703. Ita Guelf. V.: *ipse a diis.* 705. Sic vet. cod. Cam. et Pall. 5. V.: *Conjiciam.* 707. Sic nostri, Leid. A, Voss. B. V.: *hanc rem magis vol.* 708. *aegrit.* non eliditur, praesertim in commissura versus asynarteti. 714. Sic vet. cod. Camer. V.: *Collecto.*

Eminor interminorque, ne quis mi obstiterit obviam, as. t. d. i. d.
Nisi qui sat diu vixisse sese homo arbitrabitur: t. t. c.
Nam qui obstiterit, ore sistet! H. Hic homo pugilatum incipit.
E. Facere certum est! Proinde ut omnes itinera insistant sua,
Ne quis in hanc plateam negoti conferat quidquam sui:
Nam meus est balista pugnus, cubitus catapulta est mihi,
Humerus aries; tum genu ut quemque icero: ad terram dabo;
Dentilegos omnis mortalis faciam, quemque obfendero!
H. Quae illaec eminatio est? nam nequeo mirari satis.
E. Qui mi in cursu obstiterit, faxo is vitae extemplo obstiterit suae! as t. d. i. d.
Faciam, ut hujus die locique meique semper meminerit!
H. Quid hic homo tantum incipissit facere cum tantis minis? t. t. c.
E. Prius edico, ne quis propter culpam capiatur suam:
Continete vos domi! prohibete a vobis vim meam!
H. Mira edepol sunt ni hic in ventrem sumsit confidentiam.
Vae misero illi, cujus cibo iste factus est inpensior!
E. Tum pistores scrophipasci, qui alunt furfuri sues,
Quarum odore praeterire nemo pistrinum potest,
Eorum si quojusquam scropham in publico conspexero:
Ipsis ex dominis meis pugnis exculcabo furfures!
H. Basilicas edictiones atque imperiosas habet:
Satur homo est; habet profecto in ventre confidentiam.
E. Tum piscatores, qui praebent populo piscis foetidos,
Qui advehuntur quadrupedanti crucianti cantherio,
Quorum odos subbasilicanos omnis abigit in forum:
Eis ego ora verberabo sirpiculis piscariis:
Ut sciant, alieno naso quam exhibeant molestiam.
Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas ovis,
Qui locant caedundos agnos et duplo agninam danunt,

720. Libri soloece: *in hac platea.* 722. Ita Junt. Ald. Cam. Lamb. Bosscha, alii. V.: *ad quemque.* Scripti etiam: *iecero*, pauci: *iero*; sed edd. vett.: *icero.* 726. *hujus* plurimi codd. V.: *ejus.* 731. *impensior* Frising. Langg. Pall. 5, nostri et Bosschae, ut videtur, omnes, item Meursii liber et Palmerii et vett. edd., quod merito placuit. V. secundum cod. Camer.: *imperiosior*, sed *edictiones imperiosas* habemus 756. Cf. Bacch. 479, Pseud. 786, Truc. 80. 732. Ita Cam. Voss. de Anal. 1, 42., qui metri causa legendum putat *furfuri qui alunt sues*, quod ut fiat, nulla causa est, cum *qui* sub ictu positum non liquescat corripiaturque. Quem tamen sequitur Bosscha.

Qui petroni nomen indunt verveci sectario,
Eum ego si in via petronem publica conspexero:
Et petronem et dominum reddam mortalis miserrumos.
H. Eugepae! edictiones aedilitias hic habet,
Mirumque adeo est, ni hunc Aetoli sibi fecere agoranomum.
E. Non ego nunc parasitus sum, sed regum rex regalior:
Tantus ventri conmeatus meo adest in portu cibus.
Sed ego concesso hunc Hegionem onerare laetitia senem, i. t.
Qui homine hominum adaeque nemo vivit fortunatior? t. t. c.
H. Quae illaec est laetitia, quam illic laetus largitur mihi?
E. Heus, ubi estis? ecquis aperit ostium? as. o. 2 t. d. br.
H. Hic homo ad coenam recipit se ad me. E. Aperite hasce
ambas foris, t. t. c.
Priusquam pultando assulatim foribus exitium adfero!
H Perlubet hunc hominem conloqui. Ergasile! E. Ergasilum qui vocat? i. t.
H. Respice, Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet, i. tr. h.
Ergasile. E. Hoc me jubes? i. d. br.
Sed quis est? H. Respice ad me. Hegio sum. E. Oh
mihi cr. t.
Quantum est hominum optumorum optume, in tempore
Advenis. cr.
H. Nescio quem ad portum nactus es, ubi coenes: eo fastidis. i. t. c.
E. Cedo manum! H. Manum? E. Manum, inquam, cedo
tuam actutum! H. Tene t. t. c.
E. Gaude! H. Quid ego gaudeam? E. Quia ego impero.
Age, gaude modo!
H. Pol moerores mi antevortunt gaudiis. E. Nolo irascier.
Jam ego ex corpore exigam omnis maculas moerorum tibi!
Gaude audacter! H. Gaudeo, etsi nil scio, quod gaudeam.

748. Non pauci MSS.: *Euge*, quod dedisse videtur corrector aliquis, postquam intrusum esset *quidem*, ut numeri versus levigarentur. V. enim legitur: *hic habet quidem*. Sed libri quidam, in his Helmst.: *hic quidem habet*, ut vagari solent glossemata. *Eugepae*, quod erat in cod. Camer., non liquescit. 752. Sic Leid. B. V.: *cesso*. Cf. Poen. 753. Plerique codd.: *Q. homine ad*. Alii, in his nostri Guelf. et Helmst.: *hominum*. Utrumque verum. De se Cam. addidit *hominum*. 755. Ita B. Leid. V.: *ecquis hoc ap. ost.?* 757. Sic vett. edd. V.: *vel assul*. 759. Verba *Fortuna q. t. n. f.*, *nec faciet* Ergasilo tribuuntur in vulgatis libris, inepte quidem. 760. *Ergasile* habetur in Leid. B. apud Boscham et Monacensi. 768. Verba *Noli irascier* huic loco non convenire, sensit Acidalius. Versu 772 recte se habent, hic minus. Censebat itaque vir doctus legendum esse: *Non ita est: scies*. Possis etiam: *Nolo ita siet*, idque sane codicum scripturae similius. Cf. Cas. 513.

E. Bene facis. Jube ... H. Quid jubeam? E. Ignem ingentem fieri.
H. Ignem ingentem? E. Ita dico: magnus ut sit.
H. Quid? me, volturi,
Tuan' causa aedis incensurum censes? E. Noli irascier.
Juben', an non jubes, adstitui aulas, patinas elui,
Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus,
Alium piscis praestinatum abire ... H. Hic vigilans somniat.
E. Alium porcinam atque agninam et pullos gallinaceos ...
H. Scis bene esse, si sit, unde. E. Pernam atque ophthalmiam,
Horaeum et scombrum et trugonem et cetum et mollem caseum?
H. Nominandi istorum tibi erit mage quam edundi copia
Hic apud me, Ergasile. E. Mean' me causa hoc censes dicere?
H. Nec nil hodie hic nec multo plus tu edes (ne frustra sies):
Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me adferas.
E. Quin ita faciam, ut tute cupias facere sumtum, etsi ego vetem.
H. Egone? E. Tu nae. H. Tum tu mi igitur herus es.
E. Imo benevolens.
Vin' te faciam fortunatum? H. Malim, quam miserum quidem.
E. Cedo manum! H. Hem manum! E. Di te omnes adjuvant! H. Nil sentio.
E. Non enim es in senticeto: eo non sentis. Sed jube
Vasa tibi pura adparari ad rem divinam cito,
Atque agnum adferri propere unum pinguem. H. Cur?
E. Ut sacrufices.
H. Quoi deorum? E. Mi hercle: nam ego sum tibi nunc summus Jupiter;
Idem ego sum Salus, Fortuna, Lux, Laetitia, Gaudium.
Proin tu deum hunc saturitate facias tranquillum tibi.

770. Argent. a. 1514.: *Sed jube.* 777. *ophthalmiam* Guelf. Leidd. et huc fere vergebant Palatini. V. *ophthalmia.* 778. *trugonem*, τρυγωνα. V.: *trigonem.* 781. V.: *N. n. h. n. m. pl. t. hic e., ne f. sis.* 783. V.: *ut te cup.* Sed Guelf.: *ut te tute*, Leid. A. vocibus transpositis: *te tu.* 784. Sic plane Pal. 3. Ceteri fere libri: *tu ne.* V.: *tute.* *Tu nae* etiam Bosscha. 789. *propere unum.* Libri *proprium*, quod frustra tuetur Pius in Annott. posterioribus ad Plautum Lamp. Gruter. 1. p. 580. *Propere* in eo latere sensit Scal., sed id versui non sufficit. 792. *Proin tu d. hunc* major pars librorum, et recte, ut gravissima vox *deum* non liquescat. Fecerunt tamen correctores: *Proinde t. d. huncce.*

H. Esurire mihi videre. E. Mihi quidem esurio, non tibi.
H. Tuo arbitratu facile patior. E. Credo: consuetus puer.
H. Jupiter te dique perdant! E. Te hercle mi aequom est gratias
Agere ob nuntium: tantum ego nunc porto a portu tibi boni.
Nunc tu mihi places. H. Abi, stultus: sero post tempus venis.
E. Igitur olim si advenissem: mage te tum istuc diceres;
Nunc hanc laetitiam accipe a me, quam fero: nam filium
Tuom modo in portu Philopolemum vivom salvom et sospitem
Vidi in publica celoce, ibidemque illum adulescentulum
Alium una et tuom Stalagmum servom, qui aufugit domo,
Qui tibi subripuit quadrimum puerum filiolum tuom.
H. Abi in malam rem! ludis me! E. Ita me amabit sancta Saturitas, t.
Hegio, itaque suo me semper condecoret cognomine t. t. c.
Ut ego vidi .... H. Gnatum meum? E. Tuom gnatum et genium meum.
H. Et captivom illum Alidensem .... E. Μὰ τὸν Ἀπόλλω! H. Et servolum
Meum Stalagmum, meum qui gnatum surpuit? E. Νὴ τὰν Κόραν!
H. Jam diu .... E. Νὴ τὰν Πραινέςην; H. Venit. E. Νὴ τὰν Σιγνίαν!
H. Certon'? E. Νὴ τὰν Φρουσινῶνα. H. Vide, sis! E. Νὴ τὰν Ἀλάτριον!
H. Quid tu per barbaricas urbis juras? E. Quia enim item asperae,
Ut tuom victum autumabas esse. H. Vae aetati tuae!
E. Quippe quando nil mihi credis, quod ego dico sedulo.
Sed Stalagmus quojus erat tunc nationis, quom hinc abit?
H. Siculus. E. At nunc Siculus non est: Bojus est; bojam terit:
Liberorum quaerundorum causa ei, credo, uxor data est.
H. Dic: bonan' fide tu mi istaec verba dixisti? E. Bona.
H. Di inmortales, iterum gnatus videor, si vera autumas!
E. An tu dubium habebis, etiam sancte quom ego jurem tibi?

810. Sic fere Langg. Bosschae, Helmst. et vett. quaedam edd., in his Mediol. a. 1500 (*ne tam alatrium*), ex regula communi de genere nominum urbium propriorum. Sic et ipse Bosscha. V.: νὴ τό Ἀλάτριον, 813. Ita Leid. B. V.: *mihi nihil*, vel *mihi nil*. 814. V. *abiit*. Sed cf. interpp. ad Amph. 505. et ad Horat. Sat. 2, 3, 61, item Donat. ad Terent. Phorm. prol. 1. etc. 819. Sic libri omnes antiqui. In recentioribus omissum *ego*.

Postremo, Hegio, si parva jurijurando est fides:
Vise ad portum. H. Facere certum est. Tu intus cura,
quod opus est.
Sume, posce, prome quidvis! te facio cellarium.
E. Nam hercule, nisi manticulatus probe ero, fusti pectito.
Aeternum tibi dapinato victum, si vera autumas!
E. Unde id? H. A me meoque gnato. E. Sponden' tu
istud? H. Spondeo.
E. At ego, tuom tibi advenisse filium, respondeo.
H. Cura, quam optume potes! E. Bene ambula et red-
ambula!
Ille hinc abiit; mihi rem summam credidit cibariam.
Di inmortales, ut ego collos jam praetruncabo tergoribus! t. t.
Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! t. t. c.
Quanta sumini absumedo! quanta callo calamitas!
Quanta laniis lassitudo! quanta porcinariis!
Nam alia si memorem, quae ad ventris victum conducunt:
mora est.
Nunc ibo indu praefecturam: jus ut dicam larido,
Et, quae pendent indemnatae, pernis auxilium ut feram.

PUER HEGIONIS.

Diespiter te dique, Ergasile, perdant et ventrem tuom. i. t. V, 1
Parasitosque omnis, et qui posthac coenam parasitis dabit!
Clades, calamitas, intemperies in nostram advenit domum
Modo. Quasi lupus esuriens metui ne in me faceret inpetum;
Nimisque hercle ego illum male formidabam: ita frendebat
dentibus.
Adveniens deturbavit totum cum carni carnarium;
Arripuit gladium, praetruncavit tribus tergoribus glandia;
Aulas calicesque omnis confregit, nisi quae modiales erant;
Cocum percontabat, possentne seriae fervescere;
Cellas refregit omnis intus, reclusitque armarium.

823. Ita Brix. Iunt. Argent. Ald., Colvio et Acidalio recte probantibus. Scripti: *mantiscinatus*, ut vulgo edd., *mantissinatus*, *mantioinatus*, *mantinapus*. Salmas. et Brunck.: *panticinatus*. 824. Sic eaedem edd., non *dapinabo*, sicut vulgo, quod proximis utriusque personae dictis haud convenit. 834. *meam praef.* Pal. 5. et Argent. Sed recte Gron. legendum putat secundum cod. Angl.: *N. ibo in praef.*, nisi quod metri gratia scribendum erat *indu*. Recte item Gron.: *ut jus*. V.: *N. i. ad pr., et i. d. l.* 835. Sic Pall. et Langg. Guelf. quoque et vett. edd.: *pernis*. V.: *pernae, eis dux*. 841. Libri: *carne*. Fort., usurpata anastrophe: *tot. carne cum carn.* 844. V.: *percontabatur*.

Adservate istunc, sultis, servi! ego ibo, ut conveniam senem:
Dicam, ut sibi penum aliud ornet, si quidem sese volet
Uti: nam hic quidem ut adornat, aut jam nihil est, aut jam nihil erit.

HEGIO. PHILOPOLEMUS. PHILOCRATES. STALAGMUS.

H. Jovi disque ago gratias merito magnas, b. t. V, 2.
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quomque ex miseriis plurimis me exemerunt,
Quae adhuc, te carens dum hic fui, sustentabam;
Quomque hunc conspicio in potestate nostra; as. i. h. b. d.
Quomque haec reperta est fides firma nobis.
Phi. Satis jam dolui ex animo et cura me satis et lacrumis maceravi hoc; as. t. d. i. d. h.
Satis jam audivi tuas aerumnas, ad portum quas mihi memorasti.
Hoc agamus. P. Quid nunc, quoniam tecum servavi fidem, t. t. c.
Tibique hunc reducem in libertatem feci? H. Fecisti, ut tibi.
Philocrates, nunquam referre gratias possim satis,
Proinde ut tu promeritus de me et filio. Phi. Imo potes,
Pater, et poteris, et ego potero, et di potestatem dabunt,
Ut beneficium benemerenti nostro merito muneres,
Sicut tu huic potes, pater mi, facere merito maxume.
H. Quid opus verbis? lingua nulla est, qua negem, quidquid roges.
P. Postulo abs te, ut mi illunc reddas servom, quem hic reliqueram
Pignus pro me, qui mihi melior, quam sibi, semper fuit:
Pro benefactis ejus ut ei pretium possim reddere.
H. Quod benefecisti, referetur gratia: id, quod postulas,
Et id et aliud, quod me orabis, inpetrabis; atque te
Nolim suscensere, quod ego iratus ei feci male.
P. Quid fecisti? H. In lapicidinas conpeditum condidi,
Ubi rescivi, mihi data esse verba. P. Vae misero mihi!
Propter meum caput labores homini evenisse optumo!

859. Ita B. Leid. V.: *gratiam*. 860. V., refragantibus scriptis nostris et aliorum fere omnibus: *filio meo*. Non eliditur vox *filio* propter interpunctionem. 861. Iunt. Ald. Bosscha. V.: *dicam*, duriore quidem contractione, ut bene monet vir doctissimus

H. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis:
Gratiis a me, ut sit liber, abducito. P. Edepol, Hegio,
Facis benigne! Sed quaeso, hominem ut jubeas arcessi.
H. Licet.
Ubi estis vos? Ite, ite actutum: Tyndarum huc arcessite.
Vos ite intro. Interibi ego ex hac statua verberea volo
Erogitare, meo minore quid sit factum filio.
Vos lavate interibi. Phi. Sequere hac, Philocrates, me intro. P. Sequor.
H. Age, tu illic procede, bone vir, lepidum mancupium meum!
Sta. Quid me oportet facere, ubi tu, talis vir, falsum autumas?
Fui ego bellus, lepidus, bonus vir, nunquam, neque frugi bonae.
Neque ero unquam. Nae tu spem ponas, me bonae frugi fore.
H. Propemodum, ubi loci fortunae tuae sint, facile intellegis:
[Si eris verax, tua ex re facies ex mala meliusculam.]
Recta et vera loquere. Sed neque vere tu neque recte adhuc
Fecisti unquam. Sta. Quod ego fatear, credin' pudeat, quom autumes?
H. At ego faciam ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo!
Sta. Heia, credo ego, inperito plagas minitaris mihi!
Tandem ista aufer. Dice, quid fers: ut feras hinc, quod petis.
H. Satis facundus; sed jam fieri dicta compendi volo.
Sta. Ut vis, fiat. Bene morigerus fui puer; nunc non decet.
H. Hoc agamus. Jam animum advorte ac mihi, quae dicam, edissere.
Si eris verax: tua re facies ex mala meliusculam.

884. V.: *ne tu sp. p.* Sed *nae* et *ne* nullo discrimine scripta leguntur in codd. De 88 verbis, quae uncinisi nclusi, vid. ad 894. 886. *tu* praebuere Iunt. Ald. Alii inferciunt *mihi*. 890. Scripti: *dic.* V.: *dicque.* 891. Ita vett., et similiter aliis in locis, intellecto verbo substantivo. Male vulgati libri: *facundu's.* Legitur quoque, praeter morem Plauti et corruptis numeris: *fieri dictis compendium volo.* Vicina sunt in libris vetustis *dicta* et *dictis.* 892. Sic Leid. C. V.: *fuit,* et tribuuntur haec Hegioni, quem vix decent. 894. V.: *S. e. v., tuis rebus feceris meliusculas*, vel pejus etiam: *Si e. v., res tuas fec. meliusculas.* Dedit Camerar.: *tuis e rebus*, Bosscha e Vossiano B.: *t. ex rebus.* Sed melioris notae sunt, modo emendentur, verba illa, quae vulgo leguntur post 885. Emendavimus igitur. Alterutrum horum versuum scribere Plautus potuit, utrumque non potuit.

STA. Nugae istaec sunt: non me censes scire, quid dignus siem?
H. At ea subterfugere potis es pauca, si non omnia.
STA. Pauca ecfugiam, scio; nam multa evenient, et merito meo.
Quia et fugi et tibi subripui filium et eum vendidi.
H. Quoi homini? STA. Theodoromedi in Alide πολυπλουσίῳ
Sex minis. H. Preh di immortales, is quidem est hujus pater
Philocratis! STA. Quin melius novi, quam tu, et vidi saepius.
H. Serva, Jupiter supreme, et med et meum gnatum mihi!
Philocrates, per tuom te genium obsecro, exi! te volo!

PHILOCRATES. HEGIO. STALAGMUS.

PHI. Hegio, adsum: si quid me vis, impera. H. Hic gnatum meum t. t. c. V, 3
Tuo patri ait se vendidisse sex minis in Alide.
PHI. Quam diu id factum est? STA. Hic annus incipit vicesimus.
PHI. Falsa memorat. STA. Aut ego aut tu: nam tibi quadrimulum
Tuos pater peculiarem parvolum puero dedit.
PHI. Quod erat ei nomen, si vera dicis, memoradum mihi.
STA. Paegnium vocitatust; post vos indidistis Tyndaro.
PHI. Cur ego te non novi? STA. Quia mos oblivisci est hominibus,
Neque novisse, quojus nihili sit faciunda gratia.
PHI. Dic mihi: isne istic fuit, quem vendidisti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus est, hujus filius?
H. Vivitne is homo? STA. Argentum accepi; nil curavi ceterum.
H. Quid tu ais? PHI. Quin istic ipsust Tyndarus tuos filius,
Ut quidem argumenta hic loquitur: nam is mecum a puero puer
Bene pudiceque educatust usque ad adulescentiam.
H. Et miser sum et fortunatus, si vos vera dicitis:
Eo miser sum, quia male illi feci, si gnatus meust.
Heu, heu, quom ego plus minusve feci, quamde aequom fuit!
Quod male feci, crucior modo, si infectum fieri possiet.
Sed eccum incedit huc, ornatus haud ex suis virtutibus! i. t.

899. V.: *Polyplusio*, quasi hoc esset hominis nomen proprium. Sed cf. 561. Non rara in Planto graeca. 903. Sic libri plurimi, et Bosscha. V.: *ingenium*. Vid. Bentl. ad Terent. Andr. 1, 5, 54. 921. V.: *minusque*, errore tralaticio. Non sic loquuntur: vid. Gronov. ad Men. 492. Erroneum quoque vulgatum *quam*, cujus loco in Helmst. *quod* legitur, quod *quamde* fuisse puto. Cf. Guilielmii Quaest.

TYNDARUS. HEGIO. PHILOCRATES. STALAGMUS.

T. Vidi ego multa saepe picta, quae Acherunti fierent,
t. t. c. V. 4.
Cruciamenta; verum enimvero nulla adaeque est Acheruns,
Atque ego ubi fuvi in lapicidinis illic. Ibi demum est locus, i. t.
Ubi labore omnis lassitudo est exigunda ex corpore.
Nam ubi illo adveni: quasi patriciis pueris aut monedulae
Aut anates aut coturnices dantur, quicum lusitent, t. t. c.
Itidem mi haec advenienti upupa, qui me delectem, data est . . . .
Sed herus eccum ante ostium, et herus alter eccum ex Alide
Rediit! H. Salve, exoptate gnate mi! T. Hem, quid? „Gnate mi?"
Attat, scio, cur te patrem esse adsimules et me filium: i. t.
Quia mihi, itidem ut parentes, lucis das tuendae copiam.
Phi. Salve, Tyndare! T. Et tu, quojus causa hanc aerumnam exigo! t. t. c.
Phi. At nunc in divitias liber faxo venies: nam tibi
Pater hic est; hic servos, qui te huic hinc quadrimum
Vendidit patri meo te sex minis; is te mihi
Parvolum peculiarem parvolo puero dedit.
Ille indicium fecit: nam hunc ex Alide huc reducimus.
T. Quid? hujus filium? Phi. Intus eccum fratrem germanum tuom! i. t.
T. Quid tu ais? adduxtin' illunc hujus captivom filium?
Phi. Quin, inquam, intus hic est. T. Fecisti edepol et recte et bene!
Phi. Nunc tibi pater hic est; hic fur est tuos, qui parvom hinc te abstulit.
T. At ego nunc grandis grandem natu ob furtum ad carnuficem dabo. i. t.
Phi. Meritus est. T. Ergo edepol m e r i t o meritam mercedem dabo. t. t. c.

926. Ita Helmst. et vett. edd. V.: *ubi ego fui in lapicidinis. Illic ibi* etc. 930. *delectem* Pal. 1. Guelf. Voss. B., quod merito placuit. Sic etiam Bosscha. V.: *delectet.* 932. Vel *Rediit* porrecta prima Syllaba legendum est, vel *Salve* non elidendum. 934. Ita Leid. C, nisi quod habet *Qui mihi itidem.* V.: *item*, quod etiam ipsum ferri potest; sed altero versûs numeri eriguntur. 936. Helmst.: *A. n. divit. liber* etc. *in* omisso. V.: *At n. liber in div.* 940. Pall. et Guelf.: *reduximus.* Alii, in his Monac. *adduximus.* 945. *nunc*, non *hunc*, ut vulgo, Pall., vet. cod. Camer. a manu 1., nostri libri et Bosschae omnes, item vett. edd., in his Tarvisii excusa 1482. et Mediol. anni 1500, quod etiam Boxhornio arridebat. 946. Verbum *merito* addendum fuit metri gratia, cui verbo sequens *meritam* offecit. Sic et Bosscha.

Sed dic, orabo: pater meus tune es? H. Ego sum, gnate mi.
T. Nunc edepol demum in memoriam regredior, quom cogito,
Quasi per nebulam, Hegionem meum patrem vocarier.
H. Hegio sum. Phi. Conpedibus quaeso ut levior tibi sit filius
Atque hic gravior servos. H. Certum est, principium id praevortier.
Eamus intro: ut arcessatur faber: ut istas conpedes
Tibi adimam, huic dem. Sta. Quoi peculi nihil est, recte feceris. t. t. c.

C A T E R V A.

Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula est: t. t. c.
Neque in hac subagitationes sunt neque ulla amatio
Nec pueri suppositio, neque argenti circumductio;
Neque ubi amans adulescens scortum liberet clam suom patrem.
Hujusmodi paucas poëtae reperiunt comoedias,
Ubi boni meliores fiant. Nunc vos, si vobis placet,
Et si placuimus neque odio fuimus: signum hoc mittite!
Qui pudicitiae esse voltis praemium, plausum date!

947. V., hiante versu, *oro*. Non semel futura usurpantur pro praesentibus, Graecorum more, qui βουλήσομαι pro βούλομαι et hujusmodi alia nonnunquam dicunt Cf. Cas. 237. Mil. 397. Trin. 889. etc. Quo pertinet etiam frequens illud apud Comicos *amabo*! 948. Plerique omnes libri sic:

Nunc demum in memoriam redeo, cum mecum cogito,
Nunc edepol in memoriam regredior, audisse me.
Quasi etc.

in quibus turbasse glossatores, nemo est quin videat. Atque ista *Nunc demum* etc. ne justos quidem habent numeros. Nempe verbis *in mem. regredior* interpretandi causa adscripta primum fuit formula tritior illa *in memoriam redeo;* dein addendo cum dese tum ex proximis versum efficere studuerunt, ut fieri solet in hoc genere. Ex proximis petita censeo verba *cum mecum cogito*, ut quae Plautini sint saporis, quibus ad antecedentia relatis ὁ τυχών sequentibus, item metri causa, addidit verba *audisse me*. Confirmat suspicionem antiquus optimusque codex; quem versavimus, Guelf., in quo prior horum versuum non legitur. Quod quidam utrumque retinentes legunt. *mecum recogito*, fugit eos ratio. *Mecum* inculcatum a versificatore. 949. *neb*. non liquescit. 950. *Hegio*. V. *Ego*, imperfectis quidem numeris. Sic et supra erratum 761. in codd. Helmst. atque Leid. B., et 904. scriptor codicis A Leid.: *Hegio, ego adsum*, cum in αὐτογράφῳ reperisset, nisi fallor, *egio* (nam sic fere vetusti libri), pro eoque legi vellet, sed malo *ego*.

CASINA.

ARGUMENTUM.

Conservam conservi duo uxorem expetunt; i. s.
Alium senex adlegat, alium filius.
Senem adjuvat sors; verum decipitur dolis:
Ita ei subicitur pro puella servolus
Nequam, qui dominum mulcat atque villicum.
Adolescens ducit Casinam civem cognitam.

DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGUS.
CHALINUS.
OLYMPIO.
CLEOSTRATA.
PARDALISCA.
MURRHINA.
STALINO.
ALCESIMUS.
COCUS.
ANCILLAE.
GREX.

PROLOGUS.

Salvere jubeo spectatores optumos, 1. 1. 1.
Fidem qui facitis maxumi, et vos Fides.
Si verum dixi, signum clarum date mihi:
Ut vos mihi aequos jam inde a principio sciam.
Qui utuntur vino vetere, sapientis puto,
Et qui lubenter veteres spectant fabulas.
Antiqüa opera, et verba quom vobis placent,
Aequom placere est autem veteres fabulas:
Nam nunc novae quae prodeunt comoediae
Multo sunt nequiores, quam numi novi.
Nos postquam populi rumorem intelleximus,
Studiose expetere vos Plautinas fabulas:
Antiqüam ejus edimus comoediam,
Quam vos probastis, qui estis in senioribus:
Nam juniorum qui sunt, non norunt, scio;
Verum ut cognoscant, dabimus operam sedulo.
Haec quom primum acta est, vicit omnis fabulas.
Ea tempestate flos poëtarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum;
Sed tamen absentes prosient praesentibus.
Vos omnis opere magno esse oratos volo,
Benigne ut operam detis ad nostrum gregem.
Ejicite ex animo curam atque alienum aes;
Ne quis formidet flagitatorem suom:
Ludi sunt; ludus datus est argentariis;
Tranquillum est, Alcedonia sunt circa forum;
Ratione utuntur ludis, poscunt neminem;
Secundum ludos reddunt autem nemini.

Vers. 4. Sic nostri codd., Mediol. a. 1500. etc. V.: *Ut v. mi esse aequ.*, vix quidem audito *mihi*, verbo gravissimo. 8. *autem* posuit Acidal. Divinatt. p. 124. Inepte libri: *ante*. 20. V.: *S. abs. tam. prosunt praes.* Vett. fere: *S. tam. abs. Prosient*, h. e. prodesse possunt, ipse versus expetit. 26. Sic Mediol. V.: *circum*.

Aures vacivae si sunt, animum advortite:
Comoediai nomen dare vobis volo.
Clerumenoe vocatur haec comoedia.
Graece, latine Sortientes. Diphilus
Hanc graece scripsit, post id rursum denuo
Latine Plautus cum latranti nomine.
Senex hic maritus habitat; eji est filius;
Is cum patre una in illisce habitat aedibus.
Est eji quidam servos, qui in morbo cubat
(Imo hercle vero in lecto, ne quid mentiar);
Is servos, sed abhinc annos factum est sedecim,
Quom conspicatust primulo crespuculo
Puellam exponi: adit extemplo ad mulierem,
Quae illam exponebat; orat, ut eam det sibi;
Exorat; aufert; detulit recta domum;
Dat herae suae; orat, ut eam curet, educet.
Hera fecit: educavit magna industria,
Quasi si esset ex se nata, non multo secus.
Postquam haec adolevit ad eam aetatem, ut viris
Placere posset: atque puellam eam hic senex
Amare ecflictim et item contra filius.
Sibi nunc uterque contra legiones parat,
Paterque filiusque, clam alter alterum.
Pater adlegavit villicum, qui posceret
Sibi istam uxorem: sperat, si ei sit data,
Fore sibi paratas clam uxorem excubias foris.
Filius armigerum autem adlegavit suom,
Qui sibi eam uxorem poscat: scit, si id impetret,
Futurum, quod amat, intra praesepis suas.
Senis uxor sensit, operam virum amori dare:
Propteread una consentit cum filio.
Ille autem postquam filium sensit suom
Eandem illam amare et inpedimento sibi
Esse: adulescentem hinc peregre ablegavit pater.
Sciens ejus mater dat operam absenti tamen.
Is, ne expectetis, hodie in hac comoedia

30. V.: *Comoediae.* 40. V.: *Q. conspicatus est primo crep.* 47. *eam* non est elidendum. 48. V.: *P. p., at eam puellam hic senex Amat efflictim.* Junt. Ald. Taubm.: *Amare.* 51. Guelf.: *alterum quoque* Helmstad. et vett. edd.: *alterumque.* Aberasse videtur *que* ad finem versûs. 53. V.: *is sperat*, sicut 56. Guelf. *is scit*, quasi servi dicerentur. Ortum utrobique pronomen ex vicinis vocibus. Legitur quoque *eji* secundum Brantium, nescientem, *si* sub ictu positum non elidi. 59. V.: *Propterea ea una*, refragantibus quidem vett., qua scriptis, qua impressis. 63. Putide libri et perversis numeris: *Sc. e. m. ei dat op. a. t.*

In urbem non redibit: Plautus noluit:
Pontem interrupit, qui erat ei in itinere.
Sunt hic, quos credo nunc inter se dicere:
Quaeso hercle, quid istuc est? serviles nuptiae?
Servine uxorem ducent aut poscent sibi?
Novom attulerunt, quod fit nusquam gentium.
At ego ajo hoc fieri in Graecia et in Carthagini
Et hic in nostra terrad et in Apulia;
Majoreque opera ibi serviles nuptiae
Quam liberales etiam curari solent.
Id ni sit, mecum pignus, si quis volt, dato
In urnam mulsi, Poenus dum judex siet,
Vel Graecus adeo, vel mea causa Apulus.
Quid nunc? nil agitis? Sentio: nemo sitit.
Revortar ad puellam illam expositititiam,
Quam servi summa vi sibi uxorem expetunt.
Ea invenietur et pudica et libera,
Ingenua Atheniensis, neque quidquam stupri
Faciet profecto in hac quidem comoedia;
Mox hercle vero post, transacta fabula,
Argentum si quis dederit, ut ego suspicor,
Ultro ibit nuptum; non manebit auspices.
Tantum est. Valete, bene rem gerite et vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac!

OLYMPIO. CHALINUS.

Ol. Non mihi licere meam me rem solum, ut volo,
Loqui atque cogitare sine ted arbitro?
Quid tu, malum, me sequere? Ch. Quia certum est mihi,
Quasi umbra, quoquod ibis tu, te persequi.
Quin edepol, etiamsi in crucem vis pergere:
Sequi decretum est. Dehinc conjicito ceterum,
Possisne, necne, clam me sutelis tuis
Praeripere Casinam uxorem, proinde ut postulas.
Ol. Quid tibi negoti mecum est? Ch. Quid ais, inpudens?
Quid in urbe reptas, villice non magni preti?
Ol. Lubet. Ch. Quin ruri es, in praefectura tua?
Quin potius, quod legatum est tibi negotium,

66. Ita Bentl. ad Terent. Heaut. 2, 3, 30. V.: *ei*. 72. Ita Guelf., nisi quod habet *terra*, ut ceteri libri. V. *et* posterius desideratur. Fabulae versu 10. vulgo legitur: *Q. in u. r., v. hic m. p.* Guelf. *homo* dat pro *hic*; edd. habent: *vill. hinc non m. pr.* Rectum *non*, idque latet in *homo*, commutatis inter se N et H litteris, ut passim factum.

Id curas atque urbanis rebus te abstines?
Huc venistine sponsam praereptum meam?
Abi rus; abi dierectus tuam in provinciam!
Ol. Chaline, non sum oblitus officium meum:
Praefeci, ruri recte qui curet tamen.
Ego, huc quod veni in urbem, si inpetravero,
Uxorem ut istanc ducam, quam tu deperis,
Bellam et tenellam Casinam, conservam tuam,
Quando ego eam mecum rus uxorem abduxero:
Rure incubabo usque in praefectura mea.
Ch. Tun' illam ducas? Hercle me suspendio,
Quam tu ejus potior fias, satiust mortuom.
Ol. Mea praeda est illa: proin tu te in laqueum induas!
Ch. Ex sterculino ecfosse, tua illaec praeda sit?
Ol. Scies, hoc ita esse. Ch. Vae tibi! Ol. Quot te modis,
Si vivo, habebo in nuptiis miserum meis!
Ch. Quid tu mihi facies? Ol. Egone quid faciam tibi?
Primum omnium huic lucebis novae nuptae facem:
Postilla ut semper — inprobus nihilique sis.
Post id locorum quando ad villam adveneris:
Dabitur tibi amphora una et una semita,
Fons unus, unum ahenum et octo dolia,
Quae nisi erunt semper plena, ego te inplebo flagris!
Ita te adgerunda curvom aqua faciam, inprobe,
Ut postilena possit ex te fieri!
Post autem, ruri nisi tu aut ervom ederis,
Aut, quasi lumbricus, terram: quod te postules
Gustare quidquam, nunquam edepol jejunium
Jejunum est aeque atque ego te ruri reddebo.
Post id quom lassus fueris et famelicus:
Noctu ut condigne te cubes, curabitur.
Ch. Quid facies? Ol. Concludere in festram firmiter,
Unde auscultare possis, quom ego illam osculer.
Quom mi illa dicet: „Mi animule, mi Olympio,

16. Ita Guelf. et edd. vett. Helmst.: *Ch., non obl. o. m.* V.: *non sum ego obl.* 26. Sic fere et hic alibi codd. antiquiores. V.: *sterquilinio.* 31. Libri: *nihilque.* 36. V.: *probe;* sed nusquam me legere memini *ita probe.* 38. V.: *nisi tu acervum ederis.* Et sic fere vett. Sed Sarrac. et Ald.: *P. a. nisi ruri tu ervum ed.;* Camerar.: *P. a. n. r. tu ervom comederis.* Scriptum, gliscente depravatione, *atervom, acervom.* Non semel mixta *ac, at, gu.* Non liquescit *ervom.* 41. Ita plurimi vett. Legitur Dicebo et Fidebo apud Naevium, ut monet Meursius. Cf. Non. v. Reddibo. V.: *Jejunium est aeque, atque ego ruri reddibo te* Vet. liber Camerar. *te ruri reddibo;* et *reddibo* quidem vel *redibo* fere etiam ceteri antiqui. 44. Ita Vitus Garnerus. Festus: *Festram antiqui dicebant, quam nos fenestram.* V.: *fenestram.* Cf. Mil. 381.

Mea vita, mea mellilla, mea festivitas,
Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea!
Sine, amabo, ted amari, meus festus dies,
Meus pullus passer, mea columba, mi lepus!"
Quom mi haec dicentur dicta: tum tu, furcifer,
Quasi mus, in medio parieti vorsabere!
Nunc, ne tu te mihi respondere postules,
Abeo intro: taedet tui sermonis. Ch. Te sequor:
Hic quidem pol certo nihil agés sine me arbitro.

CLEOSTRATA. PARDALISCA.

Cl. Obsignate cellas; referte anulum ad me. b. t. II, 1
Ego huc transeo in proxumum ad meam vicinam.
Vir si quid volet me: facite hinc me arcessatis.
Pa. Prandium jusserat sibi senex parari. as. cr. d. ith.
Cl. Stas? Tace atque abi! Neque paro, neque as. 2 t. h.
Hodie coquetur, quando is mi et filio advorsatur as. 2 an.
Suo animi amorisque causa sui. Flagitium illud hominis! as. 3 i. h.
Ego illum fame, ego illum siti, as. 2 t. h.
Maledictis, malefactis, amatorem ulciscar! b. t.
Ego pol illum probe incommodis dictis cr. t. c.
Angam! faciam ut, proinde ut dignus est, vitam
Colat, Acheruntis pabulum, i. d.
Flagiti persequentem, stabulum nequitiae! as. cr. d. chor. d.
Nunc hinc meas fortunas eo questum ad vicinam. i. tr. h.
Sed foris concrepuit, atque eapse eccam egreditur foras. t. t. c.
Non pol per tempus iter mi incepi. as. 2 i. h.

MURRHINA. CLEOSTRATA.

Mu. Sequimini, comites, in proxumum me huc! Heus vos! as. 2 ith. II, 2
Ecquis haec, quae loquor, audit? Ego hic ero, cr. t.

52. *parieti*, ut fonti, vel fontei, parti etc. pro ablativis. Vid. Schneider. ad Caton. 136. Iunt. Ald. Taubm. priore ed.: *parietis*. V.: *pariete*. 60. Vett.: *Sta*. V.: *St, tace*. Terent. Andr. 5, 6, 15.: *Quid stas? quid cessas?* 62. Sic vett. V.: *animique*. 65. *Ego* neutrubi elidendum. 69. Sic Acidal. et Dissald. V.: *vicinas*. Cf. sequentia. 70. *eapse* et *eampse* usitata Plauto. V.: *ea ipsa*. 73. *loquor* Helmstad. et Monac. V.: *loquar*. *Ego* non magis liquescit quam *si* et *Nam* sequente versu.

Vir si aut quispiam quaeret. Nam ubi domi
Sola sum, sopor calvitur manus. as. 2 t. h.
Cl. Murrhina, salve. Mu. Salve ecastor. Sed quid tu es tristis, amabo? as. t. d. i. d. c.
Cl. Ita solent, quae sunt male nuptae: domi et foris, aegre quod sit,
Satis est semper. Nam ego ibam ad te. Mu. Et ego pol istuc ad te.
Sed quid est, quod tuo nunc animo aegre est? nam quod tibi aegre est,
Itidem mihi dividiae est. Cl. Credo ecastor: nam vicinam
Neminem amo merito mage quam te, t. d.
Nec, quacum plura sunt mihi, quae ego velim. i. s.
Mu. Amo te atque, istuc quid siet, scire expeto.
Cl. Vir me habet pessumis despicatam modis. c. t.
Mu. Hem, quid est? Dic item hoc: nam pol haud sat meo
Corde accepi querelas tuas, obsecro.
Cl. Vir me habet pessumis despicatam modis,
Nec mihi jus meum obtinendi optio.
Mu. Mira sunt, vera si praedicas: nam viri
Jus suom ad mulieres obtinere haud queunt.
Cl. Quin mihi ancillulam ingratiis postulat,
Quae mea est, quae meo educata sumtu est, as. cr. d. i. h.
Villico dare suo. Sed ipsus eam amat.
Mu. Obsecro, tace: nam hic nunc licet dicere: cr. t.
Nos sumus. Cl. Ita est. Mu. Unde ea tibi est? i. d.
Nam peculi probas nihil habere addecet c. t.
Clam viro; et quae habet partum, ei haud commode est,
Quin viro aut subtrahat, aut stupro invenerit.
Hoc viri censeo esse omne, quidquid tuom est.
Cl. Tu quidem advorsum tuam amicam omnia loquere. Mu. Tace, sis, stulta, t. t.

76. V.: *mecastor*, ἀμέτρως quidem. 77. Ita Langiani. V.: *I. s. omnes, q. s. m. n.* 80. V.: *Idem*, quod metro vix sufficit. 83. V.: *exp. scire, quid est.* 84. Post hunc verbum legitur 88. Correxit Acid. 85. V.: *idem* et *satis.* 91. V.: *ingratis.* 93. Ita Guelf., nisi quod scriptum ibi est *Vill. suo dare.* V.: *villico suo se dare*, cum efficere vellent, nisi fallor, trochaïcum tetram. cat. ex verbis *Quae meo — suo se dare.* Quanquam vett. fere: *sumptu siet.* 94. Ἀνεκθλίπτως legendum *nam.* 97. Sic Pall. et nostri. V.: *virum.* *Commode* (h. e. facile) Lipsio debetur Ant. Lectt. 5, 1. V.: *commodi.*

Et mihi ausculta: noli, sis, tu illi advorsari: sine amet; as. t. d. i. d. c.
Sine, quod lubet, id faciat: quando tibi nil domi deliqüom est.
Cl. Satin' sana es? nam tu quidem advörsus tuam rem ista loquere. Mu. Insipiens,
Semper tu huic verbo vitato abs tuo viro. Cl. Quoi verbo?
Mu. „I foras, mulier.“ Cl. St, tace! Mu. Quid est? Cl. Hem! Mu. Quis est, cr. t.
Quem vides? Cl. Vir eccum it: intro abi! adpropera! age, amabo! Mu. Inpetras: t. t. c.
Abeo. Cl. Mox, mage quom otium erit mi et tibi, igitur tecum loquar;
Nunc vale. Mu. Et tu valeas. ith.

STALINO. CLEOSTRATA.

St. Omnibus ego amorem credo nitoribus nitidis antevenire; as. t. d. i. d. h. II, 3.
Nec pote quidquam commemorari, quod plus salis plusque leporis hodie
Habeat. Cocos equidem nimis demiror, qui tot condimentis i. t. h.
Utuntur, eos eo condimento uno non utier, omnibus quod
Praestat: nam ubi amor condimentum inerit, quoivis placiturum credo; as. t. d. i. d. h.
Neque salsum neque suave potest esse quidquam, ubi amor non admiscetur;
Fel quod amarum est, id mel faciet, hominem ex tristi lepidum et lenem. t. t.
Hanc ego de me conjecturam domi facio mage quam ex auditis, as. t. d. i. d. h.
Qui, quom amo Casinam, magis initio munditiis Munditiam antideo; t. t.
Myropolas omnis solicito; ubicunque est lepidum unguentum, ungor:
Ut illi placeam. Et placeo, ut videor. Sed uxor me excruciat, quia vivit! i. t. h.

108. V.: *nunc vale.* Cl. *valeas.* Guelf.: *et ualeas*, pronomine *tu* ab utrinque vicina voce intercepto. Nam sic respondere solent. Ceterum verba *et val.* Murrhinae tribuuntur in edd. veteribus. 109. Inepta libri sententia nullisque numeris: *Omn. rebus ego am. cr. et nit. n. a.* 117. *quom*. Scripti plurimi *quam*, Guelf. *quando*, Helmstad. *quoniam*. V.: *postquam*.

Tristem adstare adspicio. Blande haec mihi mala res adpellanda est. as. t. d. i. d. c.
Uxor mea meaque amoenitas, quid agis tu? Cl. Abi! abstine manum! i. t.
St. Heia, mea Juno, non decet esse te tam tristem tuo Jovi.
Quo abis nunc? Cl. Mitte me. St. Mane. Cl. Non maneo. St. At pol ego te sequar.
Cl. Obsecro, sanun es? St. Sanus, quom ted amo. c. t.
Cl. Nolo ames. St. Non potes inpetrare. Cl. Enicas!
St. Vera dicas velim. Cl. Credo ego istuc tibi.
St. Respice, o mi lepus! Cl. Nempe ita, ut tu mihi es!
Unde, amabo, hic unguenta adolent? c. tr. c.
St. Oh, perii! manufesto miser teneor! Cesso b. t.
Caput pallio detergere? b. tr.
Ut te bonus Mercurius perdat, myropola, qui haec mihi dedisti! as. t. d. i. d. h.
Cl. Eho tu, nihili cana culex, vix teneor, quin, quae decent te, dicam!
Senecta aetated unguentatus per vias, ignave, incedis? i. t. h.
St. Pol ego amico dedi quoidam operam, dum emit cr. t.
Unguenta. Cl. Ut cito commentatust! b. tr.
Ecquid te pudet? St. Omnia, quae tu vis. Cl. Ubi in lustra jacuisti? t. t.
St. Egone in lustra? Cl. Scio plus quam tu med arbitrare. St. Quid id est, as. t. d. i. d. c.
Quod tu scis? Cl. Te sene senum omnium neminem esse ignaviorem. as. t. d. i. d. h.
Unde is, nihili? ubi fuisti? ubi lustratus? ubi bibisti? t. t.
Ades mecastor: vide, palliolum ut rugat! St. Di me et te infelicent, i. t. h.
Si ego in os meum hodie vini guttam indidi. Cl. Imo age, ut lubet! as. t. d. i. d.
Bibe, es, disperde rem! St. Ohe, jam satis est! conprime te, uxor: nimium tinnis. i. t. h.
Relinque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges! — i. t.
Sed quid ais? jam domuisti animum, potius ut, quod vir velit t. t. c.

121. V.: *atque abst. m.* 122. Sic vet. liber Camerar. V.: *Eia.* 124. Sic Langg., similiterque alii scripti. V.: *quando ted.* 129. Helmstad.: *man. inquam miser.* 134. Non elidendum *quoidam.* 138. Sic Palatt. et Monac. V.: *— est? Quid tu scis?* 139. Scripti et vett. edd.: *Adest*; Pal. 3.: *Adem*, pertinente huc m littera ex sequente verbo. 142. Guelf.: *comprime.*

Fieri, id facias, quam advorsere contra? Cl. Qua de re? St. Rogas?
Super ancilla Casina, ut detur nuptum nostro villico,
Servo frugi, atque illi ubi bene sit ligno, aqua calida, cibo,
Vestimentis, ubique educat puerulos, quos pariat, potius t. t.
Quam illi servo nequam des armigero, nihili atque inprobo, t. t. c.
Quoi homini hercle hodie peculi numus non est plumbeus.
Cl. Mirum ecastor, te senecta aetate officium tuom
Non meminisse. St. Quid jam? Cl. Quia, si facias recte aut commode,
Me sinas curare ancillas; quae mea est curatio.
St. Qui, malum, homini scutigerulo dare lubet? Cl. Quia enim unico
Nos oportet opitulari filio. St. At quamquam unicust:
Nihilo mage unicus est mihi ille filius, quam ego illi pater. i. t.
Illum mi aequiust, quam me illi, quae volo, concedere. t. t. c.
Cl. Tu ecastor tibi, homo, malam rem quaeris. Subolet; sentio.
St. Egone? Cl. Tu: nam quid friguttis? quid istuc tam cupide cupis? as. t. d. i. d.
St. Ut enim frugi servo detur potius quam servo inprobo. t. t. c.
Cl. Quid, si ego inpetro atque exoro a villico, causa mea
Ut eam illi permittat. St. Quid, si ego autem ab armigero inpetro,
Illi eam permittat? Atque hoc credo me impetrassere.
Cl. Convenit. Vis tuis Chalinum huc evocem verbis foras?
Tu eum orato; ego autem orabo villicum. St. Sane volo.
Cl. Jam hic erit. Nunc experiemur, nostrum uter sit blandior.
St. Hercules dique istam perdant, quod nunc liceat dicere!
Ego discrucior miser amore; illa autem quasi ob industriam
Mihi advorsatur. Subolet hoc jam uxori, quod ego machinor: i. t.

148. Libri *pueros*. Malui dare *puerulos*, quam vel habere versum pro asynarteto, qualis est 137., vel *prius* ponere pro *potius*, quod illius sit interpretamentum. Gliscentem senis affectum decet metrum gravius. 150. Libri, minus expedito versu: *Q. hom. hod. p. n. n. est pl.* Helmstad. pro *hodie* ostendit *hercle*. Utrumque verum nobis videbatur. 157. Langg.: *aequom est.* Guelf.: *quod volo.* 158. Vett. fere *Tu*, non *Tute*, sicut vulgo legitur Verba *sub.*, *sentio* vulgo seni tribuuntur, sed in Guelf. et Monac. recte continuantur sub persona Cleostratae. Cf. 169. 163. Sic Palatt. V. *me* desideratur.

Propter eam rem magis armigero dat operam de industria. t. t. c.

STALINO. CHALINUS.

St. Qui illum di omnes deaeque perdant! Ch. Te uxor ajebat tua t. t. c. II, 4.
Me vocare. St. Ego enim vocari jussi. Ch. Eloquere, quid velis.
St. Primum ego te porrectiore fronte volo mecum loqui.
Ch. Stultitia est, ei te esse tristem, quojus potestas plus potest.
St. Perbonae frugi hominem ted esse arbitror. Ch. Intellego.
Quin, si ita arbitrare, emittis me manu? St. Quin id volo;
Sed nihil est, me cupere factum, nisi tu factis adjuvas.
Ch. Quod velis, modo id velim me scire. St. Ausculta ergo: loquar.
Casinam ego uxorem promisi villico nostro dare.
Ch. At tua uxor filiusque promiserunt mihi. St. Scio;
Sed utrum nunc tu coelibem ted esse mavis liberum,
An maritum servom aetatem degere et gnatos tuos?
Optio haec tua est; utram harunc vis conditionum, accipe.
Ch. Liber si sim: meo periclo vivam; nunc vivo tuo.
De Casina certum est concedere homini nato nemini!
St. Intro abi atque actutum uxorem huc evoca ante aedis cito,
Et sitellam huc tecum ecferto cum aqua et sortis. Ch. Sat placet.
St. Ego pol istam jam aliquovorsum tragulam decidero:
Nam si sic nihil inpetrare potero, saltem sortiar.
Ibi ego te et subfragatores tuos ulciscar! Ch. Attamen
Mihi sors obtinget. St. Ut quidem pol pereas cruciatu malo. i. t.
Ch. Mihi illa nubet! Machinare quodlubet quovis modo!
St. Abin' hinc ab oculis? Ch. Invitus me vides; vivam tamen. t. t. c.

175. V., versu evagante supra plantam, quod ajunt: *Pro! bonae fr. hom. te jam pridem esse arbitror.* Ch. *int.* Et *Pro* quidem illud vel *Proh* (nam sic quoque libri) prorsus est alienum. Brix. Paris.: *Perbonae*, recte; et misceri solent harum praepositionum compendia. Verba *jam pridem* in nostris codd. non leguntur. 181. Sic vett., non *esse te*, sicut vulgo, 185. V.: *conditionem*. 188. Liber Lipsii: *trag. dejecero*.

St. Sumne ego miser homo? satin' omnes res sunt advorsae mihi?
Metuo jam, ne Olympionem mea uxor exoraverit,
Ne Casinam ducat. Si id factum est: ecce me nullum senem!
Si non inpetravit: etiam specula est mihi in sortitu. t. t.
Si sors autem decolassit: gladium faciam culcitam, t. t. c.
Eumque incumbam. Sed progreditur optume, eccum, Olympio. i. t.

OLYMPIO. STALINO.

Ol. Una edepol opera in furnum calidum condito i. s. II, 5.
Atque ibi torreto me pro pane rubido,
Hera, quam istanc operam a me inpetres, quod postulas.
St. Salvos sum! salva spes est, ut verba audio!
Ol. Quid tu me vero a libertate territas?
Quin, si tu nolis filiusque etiam tuos,
Vobis invitis atque amborum ingratiis
Una libella liber possum fieri!
St. Quid istuc est? quicum litigas, Olympio?
Ol. Cum eadem, qua tu semper. St. Cum uxoren' mea?
Ol. Quam tu mi uxorem? Quasi venator tu quidem es:
Dies ac noctis cum cane aetatem exigis.
St. Quid ait? quid loquitur tecum? Ol. Orat, obsecrat,
Ne Casinam uxorem ducam. St. Quid tum postea?
Ol. Negavi enim ipsi me concessurum Jovi,
Si is mecum oret. St. Di te servassint mihi!
Ol. Nunc in fermento tota est: ita turget mihi.
St. Edepol ego illam mediam disruptam velim!
Ol. Credo edepol esse, siquidem tu es frugi bonae.
Verum edepol tua mihi odiosa est amatio:
Inimica est uxor tua mi, inimicus filius,
Inimici familiares. St. Quid id refert tua?
Unus tibi hic dum propitius sit Jupiter:
Tu istos minutos cave deos floccifeceris.
Ol. Nugae sunt istaec magnae: quasi tu nescias,

204. V: *Quid tu me vero lib. t.* Vett. fere: *Q. tu me*, vel *mea, hera l. t.* Camerarii autem liber antiquior: *Q. t. me vera l. t.*, h. e. *Q. tu me vero a l. territas*, territare sive absterrere atque arcere cupis? 212. Sic Palatt. et nostri. V.: *Q. agit?* 213. V.: *Quid tu postea?* Formulâ *Quid tum postea?* leviora contemnuntur: vid. Donat. ad Terent. Hec. 494. 224. V.: *istae.* Helmstad.: *istec.*

Repente ut ecmoriantur humani Joves.
Sic tandem si tu Jupiter sis mortuos,
Quom ad deos minores redierit regnum tuom:
Quis mihi subveniens tergo aut capiti aut cruribus?
St. Opinione melius res tibi habent tuae,
Si hoc inpetramus, ut ego cum Casina cubem.
Ol. Non hercle opinor posse: ita uxor acriter
Tua instat, ne mihi detur. St. At ego sic agam:
Conjiciam sortis in sitellam et sortiar
Tibi et Chalino. Ita rem natam intellego:
Necessum est vorsis gladiis depugnarier.
Ol. Quid, si sors aliter, quam voles, evenerit?
St. Benedice! dis sum fretus; deos sperabimus.
Ol. Non istuc ego verbum emsim titivilitio:
Nam omnes mortales dis sunt freti; sed tamen
Vidi ego dis fretos saepe multos decipi.
Sed tace parumper. St. Quid vis? Ol. Eccum exit foras
Chalinus intus cum sitella et sortibus.
St. Nunc nos conlatis signis depugnabimus.

CLEOSTRATA. CHALINUS. STALINO. OLYMPIO.

Cle. Face, Chaline, certiorem me, quid meus me vir velit. t. t. c. II, 6
Ch. Ille edepol videre ardentem te extra portam Metiam.
Cle. Credo ecastor velle. Ch. At pol ego haud credo, sed certo scio.
St. Plus artificum est mihi, quam rebar: hariolum hunc habeo domi.
Quid, si propius attollamus signa, eamusque obviam?
Sequere. — Quid vos agitis? Ch. Adsunt, quae inperavisti, omnia:
Uxor, sortes, situla, egomet. St. Te uno adest plus, quam ego volo.

226. V.: *Sed t. si tu I. s. emortuus. Mortuus* placebat etiam Acidalio. 228. Sic. vet. cod. Camerar. Pal. 2. et ab initio etiam primus. V.: *subveniet.* 229. V., nec sententia nec metro probis: *habeat.* Guelf.: *habeant.* 238. Sic Acid. et Fruter. V.: *emissim.* Fulgent. et edd. vett. *empsitem.* Cf. Douzae Explanatt. in Cas. cap. 3. 241. Perperam legitur: *Tace parum.* Vett. edd.: *Sed tace parum.* Lamb. aliique: *parumper.* 246. Libri, etiam vulgati: *vellet.* Recte Douza fil. aliique: *velle.* 247. Sic vet. Cam. et 3 Palatt. V.: *ariolum.* 250. V. Libri, versu profligato: *atque egomet.*

Ch. Tibi quidem edepol ita videtur: stimulus ego nunc sum tibi:
Fodico corculum: adsultascit jam ex metu! St. Mastigia...!
Cle. Tace, Chaline! Ol. Conprime istum! Ch. Imo istum, qui didicit dare!
St. Adpone hic sitellam! sortis cedo mihi! Animum advortite!
Atque ego censui abs te posse hoc me inpetrare, uxor mea,
Casina ut uxor mihi daretur, et nunc etiam censeo.
Cle. Tibi daretur illa? St. Mihi enim? Ah, non id volui dicere.
Dum mihi volui: huic dixi; atque adeo, mihi dum cupio, perperam
Jamdudum hercle fabulor. Cle. Pol tu quidem; atque etiam facis.
St. Sed te uterque tuo pro jure, ego atque hic, oramus... Cle. Quid est?
St. Dicam enim, mea mulsa: de istac Casina nostro villico
Huic... imo hercle mihi (vah tandem redii vix veram in viam!)...
Cle. Per pol saepe peccas Ita fit, ubi quid tantopere expetas.
St. Gratiam facias. Cle. At pol ego neque facio neque censeo.
St. Tum igitur ego sortio utrimque jam. Cl. Quis vetat? cr. t.
St. Optumum atque aequissumum istud esse, jure judico.
Postremo, si illuc, quod volumus, eveniet: gaudebimus;
Sin secus: patiemur animis aequis. Tene sortem tibi:
Vide, quid scriptum est. Ch. Unde? Iniquom est, quia prius isti quam mihi est.
St. Accipe hanc, sis! Ch. Cedo! Mane: unum venit in mentem modo:

252. Libri: *Eo dico, c. adsudassit (adsudassis, adsudascis) jam* etc. *Adsultascit* Salmasio placebat et Gronovio. 253. Sic Acid. V. verba *Compr. i.* continuantur Cleostratae, sequentia vero *Imo — dare* Olympioni tribuuntur. 258. Sic fere scripti. V.: *dum mihi.* 259. Ita scripti. V.: *suo.* 262. Guelf.: *imo etiam mihi.* Ceterum hi versus hoc ordine leguntur in vulgatis libris: 259, 262, 263, 260, 261, 264, pendente versu 262. 265. Libri: *sortis,* aliis addentibus *mittam,* aliis *ponam,* ut Junt. et Ald. *Sortio,* sortiam, sicut passim praesentia usurpantur pro futuris. Primum ipse sortiri voluit senex, h. e. sortes ex situla extrahere; dein leniendae invidiae causa uxori rem permittit 286. 269. Vett. fere: *V. q. scr. est. unde unicus* (Sarrac. Ald.: *villicus*) *est, quia* etc. V.: *V. q. s. e.* Ol. *Unum.* Ch. *iniquum est, quia isti priusquam m. c.* *Unde?* cur? Quaerit, cur villico data sit sors prior.

Vide, ne qua illic insit alia sortis sub aqua. St. Verbero,
Men' te censes esse? Nulla est: habe quietum animum modo.
Ol. Quod bonum atque fortunatum sit mihi, tuom magnum malum!
Ch. Tibi quidem edepol, credo eveniet: novi pietatem tuam.
Sed manedum: num ista aut populna sors aut abiegna est tua?
Ol. Quid tu id curas? Ch. Quia enim metuo, ne in aqua summa natet.
St. Age! — Cave! — Conjicite sortis nunc iam ambo huc. — Eccere,
Uxor, aequa! Ol. Noli uxori credere. St. Habe animum bonum.
Ol. Credo hercle, hodie devotabis sortis, si attigerit. St. Tace.
Ol. Taceo; deos quaeso . . . Ch. Ut quidem hodie tu canem et furcam feras.
Ol. Mihi ut sortitio eveniat. Ch. Ut quidem hercle pedibus pendeas! i. t.
Ol. At, tu ut oculos emungare ex capite per nasum tuos! t.t.c.
Ch. Quid times? paratum oportet esse jam — laqueum tibi.
Ol. Periisti! St. Animum advortite ambo. Ol. Taceo.
St. Nunc tu, Cleostrata,
Ne a me memores malitiose de hac re factum aut suspices:
Tibi permitto; tute sorti. Ol. Perdis me! Ch. Lucrum facit.
Cle. Bene facis. Ch. Deos quaeso, ut tua sors ex sitella ecfugerit!
Ol. Ain' tu? quia tute es fugitivos: omnis te imitari cupis?
Utinam tua quidem ista, sicut Herculéis praedicant
Quondam prognatis, in sortiendo sors delicuerit!
Ch. Tu, ut liquescas ipse, actutum virgis calefactabere!
St. Hoc age, sis Olympio! Ol. Si hic litteratus me sinat.
St. Quod bonum atque fortunatum mihi sit.... Ol. Ita vero; at mihi.
Ch. Non! Ol. Imo hercle! Ch. Imo mihi hercle! St. Hic vincet; tu vives miser!
Praecide os tu illi hodie! Age! ecquid fit? Cle. Cave objexis manum!

277. Sic vett. Etiam antiquior cod. Camer.: *Age cave*, non *Euge: cave*, sicut vulgo. Legitur quoque *amabo*, sed in Palatinis *ambo*, et recte. Cf. 284. 284. Ita codd. Meursii et Parisinus, cujus meminit Gruter. Suspice. 8, 11. V.: *amabo*, errore tralaticio. 293. Libri: *et mihi*. 295. *ne obi. m.* Syllaba *ca* rapta videtur a praegressa nota personae.

Ol. Conpressan' palma, an porrecta, ferio? St. Age, ut vis. Ol. Hem tibi!
Cle. Quid tibi istunc tactio est? Ol. Quia Jupiter jussit meus.
Cle. Feri malam illi rursum. Ol. Perii, pugnis caedor, Jupiter! i. t.
St. Quid tibi tactio hunc fuit? Ch. Quia jussit haec Juno mea. t. t. c.
St. Patiundum est, si quidem me vivo uxor imperium exhibet.
Cle. Tam huic loqui licere oportet, quam isti. Ol. Cur omen mihi
Vituperat? St. Malo, Chaline, tibi cavendum censeo.
Ch. Temperi, postquam oppugnatum est os! St. Age, uxor, nunc iam
Sorti. Vos advortite animum. Praebe tu. Ol. Ubi sim, nescio!
Perii, cor lienosum, opinor, habeo: tam dudum salit;
De labore pectus tundit. Cle. Teneo sortem. St. Ecfer foras!
Ch. Jamne mortuos es? Ol. Ostende! — Mea est. Ch. Mala crux ea est quidem!
Cle. Victus es, Chaline! St. Tum nos demum vivere, Olympio,
Gaudeo! Ol. Pietate factum est mea atque majorum meorum! as. t. d. i. d. h.
St. Intro abi, uxor, atque adorna nuptias. Cl. Faciam ut jubes. t. t. c.
St. Scin' tu, ruri esse ad villam longe quo ducat? Cl. Scio.
St. Intro abi et, quanquam hoc tibi aegre est, tamen fac adcures! Cl. Licet. as. t. d. i. d.
St. Eamus nos quoque intro; hortemur, ut properent. Ol. Numquid moror? i. t.
St. Nam praesente hocce plura verba non desidero. t. t. c.
Ch. Si nunc me suspendam: meam operam luserim, i. s.
Et praeter operam restim sumtifecerim,
Et voluptatem inimicis meis creaverim.
Quid opus est, qui sic mortuos quidem tamen?
Sorti sum victus! Casina nubet villico!
Atque id non tam aegre est jam, vicisse villicum,
Quam, id expetivisse opere tam magno senem,

300. Sic edd. mediae. V.: *mea uxor*, sicut etiam 303. legitur *uxor mea.* 305. V. *jamdudum.* 308. *demum.* V.: *diu.* Fefellit compendium. C. F. 360, 416, 694 etc. 309. Sic MSS. V.: *meum.* 318. Sic Acid. V.: *mortuus? equidem tamen S. s. v.*

Ne ea mihi daretur atque ut illi nuberet.
Ut illic trepidabat, ut festinabat miser,
Ut subsultabat, postquam vicit villicus!
Attat, concedam huc: audio aperiri foris.
Mihi benevolentes aeque ad me prodeunt.
Hinc ex insidiis hisce ego insidias dabo.

OLYMPIO. STALINO. CHALINUS.

Ol. Sine modo rus veniat: ego remittam ad te virum i. §. II, 7
Cum furca in urbem, tamquam carbonarium!
St. Ita fieri oportet. Ol. Factum et curatum dabo!
St. Volui Chalinum, si domi esset, mittere
Tecum obsonatum: ut etiam in moerore insuper
Inimico nostro miseriam hanc adjungerem.
Ch. Recessim dabo me ad parietem; imitabor nepam:
Captandust horum clanculum sermo mihi:
Nam illorum me alter cruciat, alter macerat.
At candidatus cedit hic mastigia,
Stimulorum joculi! Mortem protollo mihi:
Certum est, hunc Acheruntem praemittam prius!
Ol. Ut tibi ego inventus sum obsequens! quod maxume
Cupiebas, eius copiam feci tibi:
Erit hodie tecum, quod amas, clam uxorem. St. Tace.
Ita me di bene ament, ut ego vix reprimo labra,
Ob istanc rem quin te deosculer, voluptas mea!
Ch. Quid? deosculere? quae res? quae voluptas tua?
Ol. Ecquid amas nunc me? St. Imo edepol me quam te minus!
Licetne amplecti te? Ch. Quid? amplecti? Ol. Licet.
St. Ut, quia te tango, mel mihi videor lingere!
Ch. Credo hercle, ecfodere hic volt vesicam villico.
Ol. Ultro te, amator! apage te a dorso meo!
Ch. Hodie hercle, opinor, hi conturbabunt pedes.
Solet hic barbatos sane sectari senex.

326. V. secundum vet. librum Camerar.: *fores M. benevolentis. atque a me pr.* Ceteri fere codd.: *ad me*, et sic Lamb. Guil. Quaest. in Cas. c. 2 *fores. M. benevolentes atque ameci* (h. e. amici: vid. Fest.) *pr.* Non liquescit *aeque.* 334. Ita Fest. et Non. v. Nepa, probante Guil. Verisimm. 2, 22. V. R. *cedam ad par.* 338. V.: *loculi.* Cf. Asin. 280. 345. V.: *Q. deosculer? q. r. est? voluptas quae tua?* Codd.: *Q. d.? q. res? quae vol. t.?* Meursii liber. *deosc. te*, unde ipse: *Quid deosculere?* 347. Ita Guelf. Helmstad. Junt. V.: *quid amplecti licet?* 351. Sic Lamb. secundum scriptos. Vulgati *ἀμέτρως*: *hice.*

Illuc est, illuc, quod hic hunc fecit villicum; et
Idem me pridem, quom ei advorsum veneram,
Facere atriensem voluerat sub janua.
Ol. Ut tibi morigerus hodie, ut voluptati fui!
St. Ut tibi, dum vivam, bene velim plus quam mihi!
Ut ego hodie Casinam deosculabor! ut mihi
Bona multa faciam clam meam uxorem! Ch. Attate,
Nunc pol ego demum in rectam redii semitam:
Hic ipsus Casinam deperit! habeo viros!
St. Jam hercle amplexari, jam osculari gestio!
Ol. Sine prius deduci! Quid, malum, properas? St. Amo.
Ol. At non opinor fieri hoc posse hodie. St. Potest,
Si quidem cras censes posse te mitti manu.
Ch. Enimvero huc aures mage sunt adhibendae mihi:
Jam ego uno in saltu lepide apros capiam duos
St. Apud hunc sodalem meum atque vicinum mihi
Locus est paratus; ei ego amorem omnem meum
Concredui; is mihi se locum dixit dare.
Ol. Quid eius uxor? ubi erit? St. Lepide reperi:
Mea uxor huc vocabit eam ad se in nuptias:
Ut hic sit secum, se adiuvet, secum cubet.
Ego iussi et dixit se facturam uxor mea;
Illa huc cubabit; sed vir faxo aderit domi;
Tu rus uxorem duces; id rus hoc erit,
Tantisper dum ego cum Casina faciam nuptias.
Hinc tu ante lucem rus cras duces postea.
Satin' astu? Ol. Docte! Ch. Age modo, fabricamini!
Malo hercle vostro tam vorsuti vivitis!
St. Scin', quid nunc facias? Ol. Loquere. St. Tene marsupium:
Abi atque obsona! propera! Sed lepide volo:
Molliculas escas, ipsa ut mollicula est. Ol. Licet.
St. Emito sepiolas, lepadas, lolliguncula,
Hordejas. Ch. Imo triticejas, si sapis
St. Soleas. Ch. Qui, quaeso, potius, quam sculponeas,
Quibus batuatur tibi os, senex nequissume?
Ol. Vin' lingulacas? St. Quid opus, quando uxor domi est?
Ea lingulaca est nobis: nam nunquam tacet.
Ol. In re praesenti ex copia piscaria

375. V.: *I. hic c.: vir aberit faxo domo.* Scripti: *I. hic* (nostri huc) *c., si vir* ab. (vel *abierit*) *f. d.* (Guelf.: *foris domum*). 379. V.: *astute.* 382. Sic plurimi vett. V.: *obsonia.* 384. Sic item magna pars codicum, et recte, siquidem lolliguncula derivatum est a lolligo, sicut ratiuncula a ratio etc. V.: *lolligiunculas.* 385. Sic Helmstad. et priscae edd. V.: *triticeas.* Sono servus imitatur verbum, quo senex usus erat, soloecum et rusticum, *hordejas.*

Consulere, quid emam, oportet. St. Aequom oras: abi!
Argento parci nolo: obsonato ampliter.
Nam mihi vicino hoc etiam convento est opus:
Ut, quod mandavi, curet. Ol. Jamne abeo? St. I modo!
Ch. Tribus non conduci possum libertatibus,
Quin ego illis hodie conparem magnum malum,
Quinque hanc rem omnem meae herae jam faciam palam!
Manufesto teneo in noxia inimicos meos.
Sed si nunc facere volt hera officium suom:
Nostra omnis lis est: pulcre praevortar viros!
Nostro omine it dies! jam victi vicimus!
Ibo intro: ut id, quod alius condivit cocus,
Ego nunc vicissim ut alio pacto condiam:
Quoi quidem paratum est, ut paratum ne siet,
Sitque ei paratum, quoi paratum non erat.

STALINO. ALCESIMUS.

St. Nunc, amici an inimici sis imago, Alcesime, t. t. c. III, 1
Mihi, sciam! nunc specimen specitur!, nunc certamen cernitur!
Curam eximere, castigare, id ponito ad conpendium!
„Cano capite, aetate aliena,“ coaddito ad conpendium!
„Quoi sit uxor,“ id quoque illuc ponito ad conpendium!
Al. Miseriorem ego ex amore quam te vidi neminem.
St. Fac vacent aedes! Al. Quin edepol servos, ancillas, domo
Certum est omnis mittere ad te. St. Eho, nimium scite scitus es!
Sed facitodum, ut merula pueri, vorses, quod cantat Colax:
Cum cibatu quosque facito ut veniant, quasi eant Sutrium
Al. Meminero. St. Hem, nunc enim te demum nullum scitum scitiust.

391. Sic Pal. 6, Vet. cod. Cam. post *Cons.* inter versus: *potero.* 395. Sic. vett. V.: *possim.* 397. *rem* ἀνεκθλίπτως pronuntiandum. 398. V.: *noxa.* Correxit Camer. 404. 5. V.: *Quicquid par. est, ut p. ne s., Sietque ei p. quod p. n. e.* Scripti fere: *Quo id par.* Edd. mediae: *Sitque.* 408. Ita Guil. Quaest. in Cas. c. 2. Libri: *Curam exime cast.*, vel: *Curam eme, curam exime, cast.* etc. 414. 5. Scripti: *S. f. merui aper.* (Pal. 6.: *peri*) *uorsus* (*uorsis, uersis*) *quos c. colas cum cibo tum* (vel *tu*, ut Helmstad. et Junt., vel *eum*) *quique* (Monac. *quoque*, h. e. quosque) *fac.* etc. *Merula* Fest. v. Sutrium; *cibatu* placuit Matth. Klockio. Icto. V.: *S. f. memineris versus, quos c. c. Vorses*, in animo, saepe ac studiose tecum reputes cogitesque, ne obliviscaris.

Cura! Ego ad forum modo ibo; jam hic ero. Al. Bene ambula.
St. Fac habeant linguam tuae aedes. Al. Quid ita? St. Quom veniam. ut vocent.
Al. Attate, caedundus tu homo es: nimias delicias facis.
St. Quid me amare refert, nisi sim doctus et dicax nimis?
Sed cave tu inquisitioni mihi sis. Al. Usque adero domi.

CLEOSTRATA. ALCESIMUS.

Cl. Ut properarem arcessire hanc ad me vicinam meam, t. t. c. III, 2.
Hoc erat ecastor id, quod me vir tantopere orabat meus: i. t.
Liberae aedes ut sibi essent, Casinam quo deduceret. t. t. c.
Nunc adeo nequaquam arcessam illanc: ignavissumis
Liberi loci potestas vetulis sit vervecibus.
Sed eccum egreditur senati columen, praesidium popli, i. t.
Meus vicinus, meo viro qui liberum praebet locum!
Non ecastor vili is emtust, modius qui venit salis. t. t. c.
Al. Miror, huc jam non arcessi in proxumum uxorem meam,
Quae jamdudum, si arcessatur, ornata expectat domi.
Sed eccam, opino, arcessit! Salve, Cleostrata. Cl. Et tu, Alcesime. i. t.
Ubi tua uxor? Al. Intus illa te, si se arcessas, manet: t. t. c.
Nam tuos vir me oravit, ut eam ad te adjutum mitterem.
Istuc. Vin' vocem? Cle. Sine: nolo, si occupata est. Al. Otium est.
Cle. Nil moror; molesta ei esse nolo; post convenero.
Al. Non ornatis isti apud vos nuptias? Cle. Orno et paro.
Al. Non ergo opus est adjutrice? Cle. Sat domi est. Ubi nuptiae
Fuerint: tum istam convenibo; nunc vale atque istam jube. —
Al. Quid ego nunc faciam? Flagitium maxumum feci miser
Propter operam illius hirci improbi, edentuli,

418. V.: *Q. u., voc.* Vett. edd.: *Q. v., invocent.* 420. Addita copula a Lambino. 422. *prop.* non eliditur. V.: *arcessere.* 425. Sic edd. mediae. V. *illanc* desideratur. Deinde legitur secundum Camer.: *ne qua ignav.* 427. *eccum* non liquescit. 429. V.: *N. e. vilis emptust mod., qui. v., salis. Vili* cod. Meurs. Junt. Ald. 437. V.: *istic.*

Qui hoc mihi contraxit! Operam uxoris polliceor foras,
Quasi catillatum! Flagitium hominis, qui dixit mihi,
Suam uxorem hanc arcessituram! ea se eam negat morarier. i. t.
Atque edepol mirum, ni subolet jam hoc huic vicinae meae. t. t. c.
Verum autem altrovorsus quom eam mecum rationem puto:
Si quid ejus esset, esset mecum postulatio.
Ibo intro: ut subducam navim rursum in pulvinarium. —
Cl. Jam hic est lepide ludificatus. Miseri ut festinant senes!
Nunc ego illunc nihili, decrepitum, meum virum, veniat velim,
Ut eum ludificem vicissim, postquam hunc delusi alterum!
Nam ego aliquid contrahere cupio litigi inter eos duos:
Sed, eccum, incedit! At, quom adspicias tristem, frugi censeas. i. t.

STALINO. CLEOSTRATA.

St. Stultitia magna est mea quidem sententia, i. s. III, 3
Hominem amatorem ullum ad forum procedere
In eum diem, qui, quod amet, in mundo siet;
Sicut ego feci stultus: contrivi diem,
Dum adsto advocatus quoidam cognato meo,
Quem ego litem hercle adeo perdidisse gaudeo:
Ne me nequidquam sibi hodie advocaverit.
Rogitare prius oportet et contarier,
Adsitne ei animus, quem advocet, necne adsiet;
Si neget adesse: exanimatum amittat domum.
Sed uxorem ante aedis eccam! hei misero mihi!
Metuo, ne non sit surda atque haec audiverit.
Cl. Audivi ecastor cum malo magno tuo.
St. Accedam propius. — Quid agis, mea festivitas?
Cl. Te ecastor praestolabar. St. Jamne ornata res?
Jamne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam,
Quae te adjutaret? Cl. Arcessivi, ut jusseras;
Verum hic sodalis tuos, amicus optumus,
Nescio quid se subflavit uxori suae:
Negavit posse, quando arcesso, mittere.
St. Vitium tibi istuc maxumum est: blanda es parum.

456. *qui* Langg., *cui* alii plurimi. V.: *quoi*. 461. Ita scriptorum meliores. V.: *percontarier*. 462. V.: *A. an. ei, necne assit, q. adv.* 468. *Jamne*. Helmstad.: *Itane?* V.: *res est?*

Cl. Non matronarum partum est, sed meretricium,
Viris alienis, mi vir, subblandirier.
I tu atque arcesse eam: ego intus, quod facto est opus,
Volo adcurare, mi vir. St. Propera ergo! Cl. Licet. —
Jam pol ego huic aliquem in pectus injiciam metum!
Miserrumum hodie hunc habebo amasium!

ALCESIMUS. STALINO.

Al. Viso huc, amator si a foro rediit domum, I. s. III, 4.
Qui me atque uxorem ludificatust, larüa.
Sed eccum ante aedis! Ad te hercle ibam commodum.
St. Atque hercle ego ad te. Quid ais, vir minumi preti?
Quid tibi mandavi? quid tecum oravi? Al. Quid est?
St. Ut bene vacivas aedis fecisti mihi!
Ut traduxisti huc ad nos uxorem tuam!
Satin' propter te pereo ego atque occasio?
Al. Quin tu suspendis te? Nempe tute dixeras,
Tuam arcessituram esse uxorem uxorem meam.
St. Ergo arcessivisse ait sese et dixisse te,
Eam non missurum. Al. Quin eapse ultro mihi
Negavit ejus operam se morarier.
St. Quin eapse me adlegavit, qui istam arcesserem.
Al. Quin nihili facio. St. Quin me perdis! Al. Quin
bene est.
St. Quin etiam diu morabor! Al. Quin cupio tibi.
St. Quin aliquid aegre faciam! Al. Quin faciam lubens.
St. Nunquam tibi hodie Quin erit plus, quam mihi! —
Al. Quin hercle di te perdant postremo quidem!
St. Quid nunc? missurusne es ad me uxorem tuam?
Al. Ducas easque in maxumam malam crucem
Cum hac, cum istac, cumque amica etiam tua!
Abi, aliud cura: ego jam per hortum jussero
Meam istuc transire ad uxorem tuam.
St. Nunc tu mihi amicus es in germanum modum. —

475. V.: *N. m. est officium, sed mer.* Pars altera Palatinorum: *N. m. parum est off.*; altera et nostri: *N. m. parum est, sed m.*, omisso verbo *officium*. *Partum*, partium. 487. V.: *illam*. 480. Sic vet. cod. Camerar. V.: *M. h. ego h. h. a.* *Hodie* non liquescit. 492, 494. V.: *ea ipsa.* 496 — 499. V. haec omnia sub persona Alcesimi leguntur. Sequor edd. medias. 496. *morabor* a morari, quod est μωραίνεσθαι. Cf. Sueton. Ner. c. 33, Menaech. 795. 497. V.: Q. a. a. *facere.* 502. Sic vett., non elisa *cum* particula, qua figura nihil frequentius apud hunc nostrum. V.: *Cumque hac, cumque istac.* 503. Sic Helmstad. V.: *Abi, et al. c.*

Qua ego hunc amorem mi esse avi dicam datum;
Aut, quid ego unquam erga Venerem inique fecerim,
Qui sic tot amanti mi obviam eveniant morae?
Attate, quid illuc clamoris, obsecro, in nostra domo est? t. t. c.

PARDALISCA. STALINO.

Pa. Nulla sum, nulla sum! tota, tota occidi! cor metu mortuom! membra miserae tremunt!, c. o. III, 5.
Nescio, unde auxili, praesidi, perfugi mi aut opum copiam conparem, aut expetam:
Tanta factu modo mira veris modis intus vidi, novam atque integram audaciam!
Cave tibi, Cleostrata! abscede ab ista, obsecro: ne quid in te mali faxit: ita percita.
Eripite isti gladium, quae sui est inpos animi! ch. t.
St. Nam quid est, quod haec huc timida atque exanimata exiluit foras? as. t. d. i. d.
Pardalisca! Pa. Perii, sonitum unde aures usurpant meae? t. t. c.
St. Respice modo ad me! Pa. Here mi.... St. Quid tibi est? quid timida es? i. tr. h.
Pa. Perii! St. Quid peristi? Pa. Perii, et tu peristi! b. t.
St. Aperi: quid tibi? Pa. Vae tibi! St. Imo istuc tibi sit!
Pa. Ne cadam, amabo, tene me! St. Quidquid est, eloquere mihi cito! t. t. c.
Pa. Contine pectus! face ventum, amabo, pallio! as. c. d. ith. h.
St. Timeo hoc negotium, quid est, nisi haec meraclo se uspiam i. t.
Percussit flore Libero.
Pa. Obtine auris, amabo! St. I in malam crucem! as. c. d. ith. c.
Pectus, auris, caput, teque di perduint! c. t.
Nam nisi ex te scio, quidquid hoc sit, cito:
Jam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra tu, ludibrio as. t. d. i. d. c.
Pessume adhuc quae me habuisti! Pa. Here mi....
St. Quid vis, mea ancilla?
Pa. Nimium saevis! St. Numero dicis! t. d.

508. V. *Cui*, vel *Quoi*, *sic* etc. *Qui*, unde, quare. 509. V.: *Attat.* 510. Sic Monac. V.: *mort. est.* 512. Ita Sciopp. Susp. Lectt. 1, 11. V.: *factis.* 513. V.: *fax*, *ira percita*, refragante metro cretico. Cf. Capt. 768. 521. Ita scripti. V.: *ventulum.* 523. *Libero*, Liberali, Liberi. V.: *Libyco.*

Sed hoc, quidquid est, eloquere! in pauca refer! b. t.
Quid intus tumulti fuit? Pa. Scibis. Audi
Malum, pessumumque, hic quod intus modo apud nos
Tua ancillad hoc pacto exordiri coepit,
Quod haud Atticam condecet disciplinam.
St. Quid est id? Pa. Timor praepedit dicta linguae.
St. Quid est? possum scire ego istuc ex te, quid negoti est? i. tr. h.
Pa. Dicam. Ancilla tua, quam tuo villico vis b. t.
Dare uxorem, ea intus... St. Quid intus? quid est? b. t. c.
Pa. Imitatur malarum malam disciplinam, b. t.
Viro quae suo interminatur.... St. Quid ergo?
Pa. Ah! St. Quid est? Pa. Interimere ait se velle vitam. as. cr. d. ith.
Gladium.... St. Hem, gladium? quid enim gladium? a. d.
Pa. Habet. St. Hei misero mihi! cur eum habet?
Pa. Insectatur omnis domi per aedis, as. b. d. i. h.
Nec quemquam prope ad se sinit adire: as. b. d. t.
Ita omnes sub arcis, sub lectis, latentes b. t.
Metu mussitant. St. Occidi atque interii! as. b. d. i. h.
Quid illi est objectum malitiae repente? b. t.
Pa. Insanit. St. Scelestissumum me esse credo.
Pa. Imo si scias dicta, quae dixit hodie.
St. Istuc expeto scire. Quid dixit? Pa. Audi.
Per omnis deos et deas dejuravit,
Occisurum eum, hac nocte quicum cubaret.
St. Med occidet! Pa. An quidpiam, ad te attinet? St. Vah!
Pa. Quid cum ea negoti tibi est? b. tr. c.
St. Peccavi: illuc dicere, „villicum", volebam. i. tr. h.
Pa. Sciens de via in semitam degredere. as. b. d. i. h.
St. Numquid mihi minatur? Pa. Tibi infesta soli est plus quam quoiquam. t. t.
St. Quamobrem? Pa. Quia se des uxorem Olympioni; neque tuam se,
Neque suam, neque viri vitam sinet in crastinum protolli.
Id missa huc sum tibi ut dicam, ab ea ut caveas tibi. t. t. c.

530. Ita Palatt. et Guelf. V.: *loquere.* 536. V.: *p. sc. ego istuc Ex te.* 540. V.: *Viro suo quae interm. vitam* (Guelf.: *mortem*). Verum sequitur *vitam*: quamobrem id hoc loco delebat etiam Acid. 541. Ita Junt. Ald., nisi quod ibi legitur *velle se.* Helmstad.: *te velle.* Neutrum horum pronominum conspicitur in vulgatis libris. 548. Sic fere vett. V.: *mali tam rep. Malitiae,* mali. 555. Non liquescit *cum.* Idem valet de verbis *Peccavi* 556., *Tibi*, 558., *tibi* et *ea* 561. 560. Sic MS. Meurs. Junt. Ald. Frustra legitur: *Nec se suam.* 561. *dicam* vet. cod. Camer. V.: *dicerem.*

ST. Perii hercle miser! a.
Neque est nec fuit me senex quisquam amator b. t.
Adaeque miser! PA. Ludo ego hunc facete? as. b. d. i. h.
Nam quae facta dixi, omnia huic falsa dixi. b. t.
Hera atque haec dolum e proxumo hunc protulerunt;
Ego hunc missa sum ludere. ST. Heus, Pardalisca!
PA. Quid est? ST. Est .... PA. Quid? ST. Est, quod volo exquirere a te.
PA. Moram obfers mihi. ST. At tu mihi obfers moerorem.
Sed etiamne habet nunc Casina gladium? as. b. d. t.
PA. Habet, sed duos. ST. Quid? duos? PA. Altero te b. t.
Occisurum ait, altero villicum hodie.
ST. Occisissumus sum omnium, qui vivont! as. b. d. i. h.
Loricam induam mi: optumum esse opinor.
Quid uxor mea? non adiit atque ademit?
PA. Nemo audet prope accedere. ST. Exoret. PA. Orat. b. t.
Negat ponere alio modo ullo profecto
Ni sese sciat villico non datum iri.
ST. Atqui ingratiis, quoi non volt, nubet hodie!
Nam cur non ego id perpetrem, quod coepi? b. d. i. h.
Ut nubat mihi? Illud quidem volebam.
Non; sed nostro villico. PA. Saepicule peccas. as. 2 ith.
ST. Timor praepedit verba. Verum, obsecro, dic, b. t.
Me uxorem orare, ut exoret illam, as. 2 i. h.
Gladium ut ponat, et redire me intro ut liceat. PA. Nuntiabo. t. t.
ST. Et tu orato. PA. Et ego orabo. ST. At blande orato, ut soles. t. t. c.
Sed (audin'?) si hoc ecfexis: soleas tibi dabo i. s.
Et anulum in digito aureum et bona plurima.
PA. Operam dabo. ST. Face ut inpetres. PA. Eo nunc iam,
Nisi quidpiam remorare me. ST. Abi et cura. i. tr. c.
Redit eccum tandem obsonatu meus adjutor; pompam ducit. t. t.

OLYMPIO. COCUS. STALINO.

OL. Vide, fur, ut sentis sub signis ducas. CO. Qui vero sunt sentes? t. t. III, 6.
OL. Quia, quod tetigere, eloco rapiunt; si eas ereptum, eloco scindunt;

567. Ita Guil. Quaest. in Cas. c. 3. V.: *E. huc m. s. l.* 570. Sic Pall. Helmst. Mon. V.: *et nunc.* 579. *quoi* Pistoris. V.: *quia.* Vett. et sic, et *quam*, *quem*, *quae*, etc. 591. *meus.* V. *ejus.* Plerique vett.: *obsonntum.* Hinc error.

Co. Heia! Attat cesso magnifice patriceque amiceque as. 2 an.
Ita hero meo ire advorsum? an.
St. Bone vir, salve! Ol. Fateor. St. Quid fit? Ol. Tu
amas; ego esurio et sitio. t. t.
St. Lepide excuratus incessisti hodie. as. 2 i. h.
Ol. Vaha! St. Mane vero, quanquam fastidis!
Ol. Heu heu, foetet tuos mihi sermo! St. Quae res?
Ol. Haec res. St. Etiamne adstas? t. t.
Ol. Enimvero πράγματά μοι παρέχεις! a. d.
St. Dabo μέγα καλόν, ut ego opinor, nisi resistis! as. 2 ith.
Ol. Ὦ Ζεῦ, potin' a me abeas, nisi me vis vomere hodie?
St. Mane! Ol. Quid est? quis hic homo est? St. Herus
sum. Ol. Qui herus?
St. Quojus tu servos es. Ol. Ego servos? St. Atque meus.
Ol. Non sum ego liber? t. t.
Memento, memento! St. Mane atque adsta!
Ol. Omitte: b. t.
Sum servos tuos. St. Optume est. Obsecro te,
Olympisce mi, mi pater, mi patrone....
Ol. Hem, sapis sane. St. Tuos sum equidem. Ol. Quid
mihi servo opus est tam nequam? t. t.
St. Quid nunc? quam mox recreas me? Ol. Coena modo
si sit cocta. as. t. d. i. d. c.
St. Ergo abeant propere. Cito introite et cito deproperate!
Jam intus ero. Facite coenam mihi, ut ebria sit! Lepide
nitideque i. t. h.
Volo; nil moror barbarico ritu. Ol. Nae, etiam i, sis!
St. Sed ego hic habito.
Ol. Numquid est ceterum, quod morae sit? as. cr. d. t.
St. Casinam habere intus ajunt, qui me atque
Ted invitet. Ol. Scio. Sic sine habere.
Nugas agunt: novi malas ego illas mercis. i. tr. h.

594. *patriceque amiceque*, ut patricius et amicus, non ut servus, qualis erat. 597. Ita Guelf. V. *hodie* sequ. versu legitur post *Aha*, quod nos veterum librorum auctoritate mutavimus in *Vaha*, quae interjectio est fastidientis, ut *Vah*. 606. Sic itidem Guelf. V. *te* desideratur. 610 — 614. Deceptus Camerarius specie lacunarum, quas, nihil saepe significantes, reperit in libro suo veteri, haec ita interpolavit, ut nunc leguntur: Intro *ergo abeant*, —, Ego *jam intus* —, Coenare *lepide* —, *ritu* Sane esse jam — *habito* nunc quidem. Gladium Ancilla *Casinam* etc. 612. v. legitur: Sane esse jam *i. sis: ego hic habito*; sed in veteribus, etiam nostris: *ne* (Monac. *ae*) *etiam isis* (*issis*, *ipsis*, Monac.; *ississed*) *ego h. h.* 613. Verba vulgo desiderata *cet.*, *quod morae sit*, in scriptis tantum non omnibus habentur. 614. Ita Guelf. et edd. mediae. V.: *ait*.

Quin tu i modo mecum domum. St. At pol malum metuo.
I tu modo! perspicito prius, quid intus agatur.
Ol. Tam mihi quidem mea vita quam tua tibi cara est;
Verum modo, si tu jubes, inibitur tecum.

PARDALISCA.

Nec pol ego Nemeae credo, neque ego Olympiae, i. s. IV, 1
Neque usquam ludos tam festivos fieri,
Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles
Seni nostro et nostro Olympioni villico.
Omnes festinant intus totis aedibus;
Senex in culina clamat, hortatur cocos:
„Quin agitis hodie? quin datis? si quid datis?
„Properate! coenam jam esse coctam oportuit!"
Villicus hic autem cum corona, candide
Vestitus, exornatus laute, obambulat.
Illae autem in cubiculo armigerum ornant mulieres,
Quem dent pro Casina nuptum nostro villico;
Sed nimium lepide dissimulant merces malae,
Fore, hujus quod futurum est. Digne autem coci
Nimis lepide ei re dant operam, ne coenet senex:
Aulas pervortunt, ignem restinguont aqua.
Illarum oratu faciunt: illae autem senem
Incoenem extrudere cupiunt ex aedibus:
Ut ipsae solae ventres distendant suos.
Novi illas: ambo estrices: corbitam cibi
Comesse possunt. Sed aperitur ostium.

STALINO. PARDALISCA.

St. Si sapitis, uxor: vos tamen coenabitis, i. s. IV, 2
Coena ubi erit cocta; ruri ego coenavero:
Nam novom maritum et novam nuptam volo
Rus prosequi: novi hominum mores maleficos:
Ne quis eam abripiat. Facite vostro animo volup.

619. Ita Guelf. V. *quidem* abest. 620. Male Stalinoni assignantur verba *Verum modo*. 630. Vet. cod. Camer., sicut vulgo: *Vestitus laute exornatusque ambulat*. Palatini, si quae Pareo fides: *Vest. l. exorn. obambulat*. Alii, in his Helmstad.: *lauteque*. Scires, copulam esse supposititiam. 631. sequ. Verba *mulieres* et *villico* probabiliter addita sunt a Camerario. 638. Sic Langg. MS. Meurs. Junt. Ald. V.: *Cup. extr. inc. ex aed.* 640. V.: *N. ego illas ambas estr.*

Sed properate istum, atque istam actutum emittere:
Tandem ut veniamus luci. Ego cras hic ero;
Cras habuero, uxor, ego tamen convivium.
PA. Fit, quod futurum dixi: incoenatum senem
Foras extrudunt mulieres. ST. Quid tu hic agis?
PA. Ego? Eo, quo me ipsa misit. ST. Veron'? PA. Serio.
ST. Quid hic speculare? PA. Nil quidem speculor. ST. Abi.
Tu hic cunctas; intus alii festinant. PA. Eo.
ST. Abi hinc, sis, ergo, pessumarum pessuma!
Jamne abiit illaec? Dicere hic quidvis licet:
Qui amat, tamen hercle, si esurit, nilum esurit.
Sed eccum progreditur cum corona et lampada
Meus socerus, conpar, conmaritus, villicus!

OLYMPIO. STALINO.

OL. Age, tibicen! dum illam educunt huc novam nuptam foras: t. t. c. IV, 3
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenaeo! as. 2 ith.
Jo, Hymen, Hymenaee! ith.
ST. Jo. Hymen! Quid agis, mea salus? OL. Esurio hercle atque adeo haud sitio. t. t.
ST. At ego amo. OL. At hercule ego nil facio tibi, Amor, pericli:
Mihi inanitate jamdudum intestina murmurant. t. t. c.
ST. Nam quid illaec nunc tam diu intus remorantur remeligines, as. t. d. i. d.
Quasi ob industriam? Quanto ego plus propero, tanto illaec minus!
OL. Quid sid etiam obfundam hymenaeum? t. d.
ST. Censeo; et ego te adjutabo in nuptiis communibus. t. t. c.
OL. Jo, Hymen, Hymenaee! ith.
ST. Jo, Hymen! t. c.
Perii hercle ego miser: dirumpi cantando hymenaeum licet; t. t. c.

648. Sic Lamb. V.: *volupe*. 655. V.: *equidem*. Sequor librum Helmstad. 657. *nilum*, verbum Lucretianum, dedit Meurs. V.: *nullum esurit*, inusitate quidem. 664. Vocabula *ego amo*, *tibi* et sequ. versu *Mihi* non eliduntur. 666. Ita hunc locum laudat Fest. Fragment. p. 43. ed. Dacer. V.: *N. q. i. n. tamdiu i. remoratur, quasi ob ind.?* omisso verbo *remeligines*. *Illaec*, illaece, ut etiam sequente versu. 667. V.: *illa*. 668. Helmstad.: *Q., si e. ofundam*, quod voluit Salmas. ad Pallium Tertulliani, recte probante Gronovio. Ceteri antiqui: *offendam*, quod ipsum inter versus perscriptum minutis litteris in Helmstadiensi libro.

Illo morbo, quo dirumpi cupio, non est copia!
Ol. Edepol nae tu, si equos esses, esses indomabilis.
St. Quo argumento? Ol. Nimis tenax es. St. Num me expertus uspiam?
Ol. Di melius faciant! Sed crepuit ostium; exitur foras.
St. Di hercle me cupiunt servatum: jam oboluit Casinus procul!

ANCILLAE DUAE. OLYMPIO. STALINO.

An. Sensim super attolle limen pedes, nova nupta! sospes as. t. d. i. d. c. IV, 4
Iter hoc incipe: ut viro tuo semper sis superstes,
Ac potior pollentia sis, victrixque sies, superetque
Tuom imperium, vir te vestiat, tu virum despolies;
Noctuque et diu subdola ut sis viro, obsecro, memento!
Ol. Malo suo maxumo eloco hercle, ubi tantulum peccassit! i. t. c.
St. Tace! Ol. Non taceo. St. Quae res? Ol. Mala malae male monstrant; as. 2 ith.
Facient hanc mihi rem ex parata inparatam. b. t.
Id quaerunt, volunt: haec ut infecta faciant.
An. Age, Olympio, quando vis, uxorem accipe hanc a nobis! i. t. c.
Ol. Date ergo, daturae si unquam estis hodie! b. t.
St Abite intro! An. Amabo, integrae atque inperitae
Huic inpercito! b. d. c.
St. Futurum est. Valete! Ite jam! An. Valete. as. b. d. i. h.
St. Jamne abscessit uxor? Ol. Domi est: ne time. St. Euax, b. t.
Nunc pol demum ego sum liber! Meum corculum, cr. t.
Melculum, verculum! cr. d.
Ol. Heus tu, malo, si sapis, cavebis: as. 2 i. h.
Mea est haec. St. Scio, sed meus fructus prior est.

672. Sic libri, cum a paucis discesseris. 674. Ita scripti. V.: *si esses equus.* 677. Sic vet. cod. Cam., teste Pareo; quae lectio perlepida et Plauto digna. V.: *Casina.* 680. Sic Helmstad. Monac. V.: *atque ut pot. poll. sis.* Legitur quoque: *vincasque* (Guelf. *vincas*) *virum, victrixque s.*, quae mera est interpretatio. 681. *Tuom* non liquescit. 683. *Malo* recte insertum a Camerario, secundum vett. edd., quae: *pecassit, malo.* 685. V. secundum Cam. Perii, istae facient *hanc rem* etc. 689. V.: *hodie uxorem.* 691, 692. Ita Helmst. et vett. edd. V.: Ol. *Fut. e, valete.* St. *ite.* An. *jam val.* St. *Jamne absc.?* Ol. *Uxor domi est* etc. 694. Ita Priscian. p. 610. Putsch. V.: *melliculum.*

Ol. Tene hanc lampadam? St. Imo ego illam tenebo! as. 2 i th.
Venus multipotens, a.
Vitam mihi bonam dedisti, hujus quom copiam mihi dedisti! as. t. d. i. d. h.
Corpusculum mellitulum! Ol. Heia, uxorcula! i. s.
St. Quid est? Ol. Institit plantam. St. Quasi jocabo. b. t.
Nebula haud est mollis, atque hujus est c o r p u s! as. 2. i. h.
Edepol papillam bellulam! — Hei misero mihi! i. s.
Ol. Quid est? St. Pectus haec angit mihi nunc cubito. as. b. d. i h.
Ol. Quid tu ergo hanc, quaeso tractas tam? At mihi, qui belle hanc tracto, non ..., as. t. d. i. d.
Vaha! St. Quid negoti est? Ol. Obsecro, ut valentula est! i. s.
Pene exposivit cubito. St. Cubitum ergo ire volt.
Quin imus ergo, belle bellatura? i. tr. c.

PARDALISCA. MURRHINA.

Pa. Acceptae bene et commode eximus intus b. t. V, 1
Ludos visere hic in via nuptialis.
Lubet Chalinum, quid agitat, scire, as. 2 i. h.
Nuptam novam cum novo marito.
Mu. Nunquam ecastor ullo die risi adaeque, b. t.
Neque hoc, quod reliqüom est, plus risuram opinor;
Nec fallaciam astutiorem ullus fecit
Poëta atque ut haec est fabre facta a nobis.
Obtunso ore nunc pervelim progrediri
Senem, quo senex nequior nullus vivit!
Ne illum quidem nequiorem arbitro esse,
Locum qui illi praebet. b. d.
Nunc praesidium hic esto, Pardalisca, as. 2 i. h.

697. Sic idem p. 758. V.: *lampadem*. Verba *Tene*, *Imo* et *ego* non eliduntur. 699. *dedisti* utroque loco Palatt. aliique libri. V. secundum Langg. *cop. m. fecisti*. 700. Ita Camer. V.: *melliculum* 702. *corpus* additum a recentiore manu legebatur in Palat. 1. 704. *haec* aliquot Palatt. et Guelf. Helmstad.: *hic*. V.: neutrum horum legitur. Guelf.: *angit*. V.: *agit*. 705. *tu* non liquescit. 708. V.: Ol. *Quin i. e.?* St. *bella bellatula*. Vett. edd.: *bellatura*. Douza Centur.: *Q. i. ergo belle, bella tu mea?* 711 et 712. vulgo leguntur post 714. Agitare pro Agere etiam alibi hic noster. *Novam nuptam* Monac. et Pal. 1. V.: *novom nuptum*. 717. Ita plerique omnes libri, versu quidem melius procedente. Ernest.: *progredire*. 719. *Ne* haud liquescit. Libri, pejore numero: *arbitror*. 720. V.: *Praebet illi* * Nulla hic species lacunae in vet. cod. Cam. et Pal. 1. 721. V.: *nunc praesidem* * * *hic, Pard., esto*. Lacuna hic nulla in Helmstad. Monac. et editionibus vett.

Qui hinc exeat, eum ut ludibrio habeas.
PA. Lubens et solens fecero. MU. Spectato as. b. d. i. h.
Hinc omnia, intus quid agant, et mone me, amabo, et illam. as. 2 an.
Audacius licet quaevis libere proloquier.
PA. Tace: foris vostra crepuit. an.

OLYMPIO. MURRHINA. CLEOSTRATA.

OL. Neque quo fugiam, neque, ubi lateam, neque dedecus quomodo celem hoc, as. t. d. a. Arist. c.
Scio: tantum herus atque ego flagitio superavimus nuptiis nostris.
Ita nunc pudeo atque ita nunc paveo atque ita ridiculo sumus ambo!
Sed ego insipiens nova nunc facio: pudet, quem prius non puditum umquam est
Operam date, dum mea facta itero: est opere auribus percipere: t. t.
Ita ridicula auditu, iteratu, ea sunt, quae ego intus tuli. t. t. c.
Ubi intro hanc [novam nuptam] deduxi via recta: clavem b. t.
Abduxi. Sed tamen tenebrae ibi erant tanquam in puteo nox.
Conloco, fulcio, mollio Senex ad te decumbere
Ut prior quam senex nupt
Tardus esse eloco coepi, quoniam
Respecto identidem, ne senex prius capiat ....
Inlecebram stupri principio eam savium posco.
Repulit mihi manum, nec quietum dare cr. t.
Savium sibi sinit me. c. d. h.

724. Inepte libri vulgati refragantibusque vett.: *spect. hinc omnia intus, quid intus ag.* Legitur quoque: * * *pone me, amabo.* MU. *Et illi audacius* etc. Langg.: *mone me. Illam,* Cleostratam, quae in foribus domus suae constitit. 729. Sic Helmstad. et Palat. 2. Pal. 3. et vett. edd.: *irridiculo.* V.: *inridiculum.* 730. V.: *pudet, quod prius* etc.: Langg.: *pudetque cujus non p. u. e.* 732. Sic librorum pars major. V.: *turbavi.* 734. Verba *in puteo* accessere ex cod. palimpsesto bibliothecae Ambros., quem nuper versavit vir doctissimus diligentissimusque, Angelus Majus. Legitur ibi: *tanquam in puteo. Cum senex . . . incumbe inquam.* 735. Sic Monac. V.: *abs te decumbem,* vel *decumbam.* Hoc autem modo haec ordinantur in plerisque codd. vett.: nam in vulgatis verba *Senex a. t. dec.* versum auspicantur. 738. *prius* (vel *primus*) *cap.* Palatt., teste Pareo. Vulgati libri his carent.

Enim jam magis adpropero, magis jam lubet in Casinam inruere; cupio t. t.
Illam operam seni subripere. Obdo forem, ne [senex] me opprimat. t. t. c.
Mu. Agedum, tu adi hunc. Cl. Obsecro, ubi tua nova nupta est? as. 2 ith.
Ol. Perii hercle ego: manufesta res est. t. d.
Cl. Omnem ordine rem fateri ergo aequom est. Quid intus agitur? as. 2 an.
Quid agit Casina? satin' morigera est? Ol. Pudet dicere me. Cl. Memora ordine, as. t. d. i. d.
Ut occeperas. Ol. Pudet hercle. Cl. Age audacter.
Postquam decubuisti, hinc volo memorare te, ut est factum. i. t. c.
Ol. Nam flagitium est. Cl. Cavebunt, qui audierint, faciant. as. t. d. i. h.
Ol. Oh, magnum est. Cl. Perdis. Quin tu pergis? Ol. Ubi
us subtus porro
quid. Ol. Babae! Cl. Quid? Ol. Papae!
quid est. Ol. Oh, erat maxumum.
Gladium haberetne, an columnam, metui: occoepi id quaerere. t. t. c.
Dum, gladiumne habeat, quaero: arripio capulum. i. tr. c.
Sed quom cogito, non habuit gladium: nam esset frigidus. t. t. c.
Cl. Eloquere. Ol. At pudet. Cl. Num radix fuit? Ol. Non fuit. Cl. Num cucumis? as. t. d. i. d. c.
Ol. Profecto hercle non fuit quidquam olerum;
Nisi, quidquid erat, calamitas profecto attigerat nunquam quidquam: t. c.
Ita, quidquid erat, grande erat. Mu. Quid fit denique? Edisserta. as. t. d. i. d. c.

Ibi adpello: „Casina,“ inquam, „Amabo, mea uxorcula, t. t. c.
Cur virum tuom sic me spernis? Nimis hercle inmerito meo t. t. c.

742. V.: *E. i. magis jam adp.* Stewech. de particulis p. 402.; *E. quam magis jam. adp.* 749. Ita Guelf. V.: *quid est factum.* 750. *Nam* Monac. V.: *At. faciant* Helmstad. aliique libri. V.: *faciam. Flagit.* non liquescit. 751. Libri fere: *Oh* (*ohe, hoc*) *magnum est.* V.: *Hoc majus est.* 755. *Gladium* Langg. et Guelf. Hic: *haberet non calumniam.* V.: *haberet, metui: id qu. occ.* 760. *quidquam* accessit ex Langianis. 762. V.: *Ubi.* Vocabula. *Ibi, Casina, mea,* et in sequentibus *expetivi* et *Rogo,* non eliduntur.

Tu quidem mi haec facis, quia mihi te expetivi." Illa haud verbum t. t.
Facit, et sepit veste id, qui estis. Ubi illum saltum video obseptum: t. t.
Rogo, ut altero sinat ire; tollo ut obvortam cubitissim. t. t.
Ullum muttire
Surgo, ut ineam in
Atque illam in
Mu. Perlepide narrat.
Ol. Savium dum quaero
ita quasi setis labra mihi compungit barba.
Continuo in genua adstituto pectus mihi pedibus percutit. as. t. d. i. d.
Decido de lecto praeceps: subsilit, obtundit os mihi. as. t. d. i. d.
Inde foras tacitus proficiscens cum hoc ornatu, quo vides, as. t. d. i. d.
Exeo, ut senex eodem hoc poclo, quo ego bibi, bibat. t. t. c.
Cl. Optume est. Sed ubi est palliolum tuom? Ol. Hic intus reliqui. Cl. Quid? satin' as. t. d. i. d.
Lepide adita est vobis manus? Ol. Merito. Sed concrepuerunt fores. t. t. c.
Num illa me nam sequitur? ith.

STALINO. OLYMPIO.

St. Maxumo ego ardeo flagitio, nec, quid agam meis rebus, scio, as. t. d. i. d. V, 3.
Nec, meam ut uxorem adspiciam contra oculis: ita disperii. as. t. d. i. d. c.
Omnia palam sunt probra! omnimodis occidi miser: ita manufesto t. t.
Faucibus teneor, nec quibus modis purgem scio meae med uxori,
Qui exspoliatus sum miser! t. d. c.

766. *tollo* Lips. ex Ms. Rover. V.: *volo*. Vett. edd.: *nolo*. 767. Sic Helmstad. V.: *muttite*. 771. Verba dum *quaero* praebuit Guelf. 775. Sic libri, vel *preficiens*, *proficiens*. V.: *praefiscini*, cum repertum a nobis in Helmstad. et Monac. Non liquescit. 776. V.: *peculo, quo ego bibi, biberet*. 777. Sic Helmstad. V.: *Quid nunc?* 778. Ita Guelf. Helmst. et vett. edd., probante Acidalio. V.: *St! concr. f.* 782. V.: *omnibus modis*. 784. Vett. edd.: *expoliatus*. V.: *expalliatus*.

palam sunt clandestinae nuptiae
censeo, mihi optumum est.
ea dixit uxorem meam
viam.
Sed ecquis hic est, qui velit homo munus pro me fun-
gier? i. t.
Nescio, quid nunc agam, nisi ut famulos imiter improbos,
as. t. d. i. d.
Ac domo fugiam: nam salus nulla est scapulis, si redeo
domum. as. t. d. i. d.
Nugas dicere licet istuc; vapulo ego hercle invitus ta-
men, as. t. d. i. d.
Etsi malum merui. Hac dabo protinam me in fugam.
OL. Heus, sta eloco, amator! t. t.
ST. Occidi! revocor. Quasi non audiam, abibo. t.

CHALINUS. STALINO. CLEOSTRATA. MURRHINA.
OLYMPIO. ANCILLAE.

CH. Ubi tu es nunc, qui colere mores Massilienses postu-
las? t. t. c. V, 4.
Nunc tu si vis subigitare me, proba est occasio. t. t. c.
periclum. Peristi hercle! Age, accede huc modo
Nunc ego te putam! quom arbitrium extra
considerem captavero.
sic e via
Jubeo ego murmur
(ST.) Nunc ego sacrum inter saxumque sum, nec, quo fu-
giam, scio. t. t. c.
canes lupinas fuit
(CH.) Hercle opinor illuc nunc ut nova vetus
ST. Hac ibo: caninam scaevam spero meliorem fore. t. t. c.
CLE. Quid agis tu, marite mi vir? unde ornatu hoc ad-
venis?

785. *palam* Langg. V. abest. *Sunt* insertum a Pareo. 787. Ita Guelf. V.: *ea dux ux. m.* 788. V.: *riam* Helmstad. sequ. versu: *velit viam fugere pro me*, quo verbum *viam*, hic quidem omissum in eo codice, aberrasse puto. 793. V.: *prot., et fugiam.* OL. *heus, Stalino, amator.* Dedit Douza: *prot. me in fugam.* Langg. autem: *sta loco*, quod facile emendavit Guil. Verisimm. 2, 22. 795. *nunc* arcessitum e Monacensi. 796. Ita Sciopp. Susp. Lect. 3, 19. V.: *subicitare.* 797. Verbum *periculum*, *modo.* *Nunc ego* et sequentia usque ad 803. eruta nuper sunt a Majo. Vid. not. ad 734. De versu 800. cf. Capt. 543.

Quid fecisti scipione aut, quod habuisti pallium?
An. In adulterio dum moechissat Casinam, credo, perdidit.
St. Occidi! Ch. Etiamne imus cubitum? Casina sum!
St. I in malam crucem!
Ch. Non amas me? Cle. Quin responde, tuo quid factum est pallio!
St. Bacchae ergo hercule, uxor, Bacchae, Bacchae...
An. Nugatur sciens:
Nam ecastor nunc Bacchae nullae ludunt. St. Oblitus fui.
Sed tamen Bacchae... Cl. Quid Bacchae? Enim id fieri non potest.
An. Ecastor times. St. Egone? Cle. Haud mentire hercle: nam palam est.
Hic in plerisque Mss. lacuna est versuum novem.
St. Non taces? Ol. Non hercle vero taceo: nam tu maxumo t. t. c.
Me obsecravisti opere, Casinam ut poscerem uxorem mihi.
St. Tui amoris causa ego istuc feci. Cle. Imo hercle illius. Te quidem i. t.
Oppressisset. St. Feci ego istaec dicta, quae vos dicitis? t. t. c.
Cle. Rogitas etiam? Phy! St. Si quidem hercle feci: feci nequiter.
Cle. Redi modo huc intro: monebo, si quid meministi minus.
St. Hercle, opinor, potius vobis credam, quod vos dicitis.
Sed viro da hanc, uxor, veniam! Murrhina, ora Cleostratam!
Si unquam posthac aut amasso Casinam, aut occepso modo,
Ne ut amasso; si ego unquam adeo posthac tale admisero:
Nulla causa est, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.
Mu. Censeo ecastor, hanc dandam veniam. Cle. Faciam, ut jubes.
Propter eam rem hanc tibi nunc veniam minus gravate prospero,
Hanc ex longa longiorem ne faciamus fabulam.

807. V.: *in mal. crucem.* Raptum I a syllaba proxima. 809. Libri putida repetitione: *B. ergo hercle, uxor. Bacchae, Bacchae hercle, uxor. Nugatur* etc. 811. V.: *Q. B.? in id f. n. p.* 812. Ita Langg. V.: *nam pa.* 817. *Phy* non legitur in vulgatis libris; sed vet. cod. Camerar.: *R. etiam fesi quidem* etc., in quo id latere mihi visum est. cf. Terent. Adelph. 3, 3, 58., ubi Donat.: *Phy interjectio mirantis est.* (φεῦ) 818. V.: *siquidem.* 822. V.: *Ne ut eam amasso.* Glossema. *Ne* sub ictu positum haud liquescit. Sic et *Faciam* 824.

St. Non irata es? Cle. Non sum irata. St. Tuae fide credo? Cle. Meae.
St. Lepidiorem uxorem nemo quisquam, quam ego, habet. Ch. Hanc habe.
Cle. Age tu, redde huic scipionem et pallium. Ch. Tene, si lubet.
Mihi quidem edepol insignite facta est magna injuria:
Duobus nupsi; neuter fecit, quod novae nuptae solet. i. t.

G R E X.

Spectatores, quod futurum est intus, hic memorabimus. t. t. c.
Haec Casina hujus reperietur filia esse e proxumo,
Eaque nubet Euthynico nostro herili filio.
Nunc vos aequom est manibus meritis meritam mercedem dare.
Qui faxit: clam uxorem ducat scortum semper, quod volet;
Verum qui non manibus clare, quantum poterit, plauserit,
Ei pro scorto supponetur hircus unctus nautea.

828. *habet* Langg. V.: *habeo*. 829. V.: Ch. *tene*. St. *libet*. Habitum fuerit *si* pro nota personae *se* (senex) vel st. (Stalino). Hinc. error.

CISTELLARIA.

[illegible]

ARGUMENTUM.

Comprimit adolescens Lemnius Sicyoniam.
Is redit in patriam et gnatam generat nuptiis.
Sicyonia quam parit puellam, hanc servulus
Tollit et exponit, et ex insidiis aucupat;
Eam sublatam meretrix alii detulit.
Lemno post rediens ducit, quam compresserat,
Lemnique gnatam spondet adolescentulo,
Amore capto illius projectitiae.
Requirens servus reperit, quam projecerat;
Itaque hanc lege et rite civem cognitam
Alcesimarchus, ut erat nactus, possidet.

Argumenti versu 3. legitur, metro vix, et ne vix quidem, extricabili: *Sic. aeque parit.* Langg.: *Sycio neque.* Monac.: *Sicyonae que.* 4. V.: *T. atque exp.* 7. V.: *despondit.* Monac.: *despondet.* 10. *hanc* praebuere Junt. Ald.

DRAMATIS PERSONAE.

SILENIUM.
GYMNASIUM.
LENA.
AUXILIUM.
MELAENIS.
ALCESIMARCHUS.
LAMPADIO.
PHANOSTRATA.
HALISCA.
DEMIPHO.
GREX.

SILENIUM. GYMNASIUM. LENA.

Silenium.

Cum te antehac amavi et mihi amicam esse crevi, b. t. I, 1
Mea Gymnasium, et matrem tuam; tum id mihi hodie
Aperuistis, tu atque haec: soror si mea esses,
Qui mage potueratis mihi habitum ire honorem,
Nescio; nisi, ut meus animust, fieri non posse arbitror: t. t. c.
Ita relictis omnibus rebus mihi frequentem operam dedistis. t. t.
Eo ego vos amo, et eo a me magnam inistis gratiam. t. t. c.
Gy. Pol istoc quidem nos pretio facile est as. b. d. t.
Frequentare tibi, utilisque haberi: as. b. d. i. h.
Ita in prandio nos lepide atque nitide as. b. d. ith.
Accepisti apud te, ut semper meminerimus.
Si. Lubenti edepol animo factum et fiet a me,
Quae vos arbitrabor velle, ea ut expetessam.
Le. Quod ille dixit, qui secundo vento vectust, i. t. r. h.
Mari tranquillo. ventum ecastor gaudeo ad te:
Ita hodie suavibus modis hic sumus acceptae;
Neque, nisi disciplina, fuit apud te quidquam
Ibi, quin mihi placeret. Si. Quid ita, amabo? Le. Raro
Nimium dabat, quod biberem, adque id merum infuscabat.
Gy. Amabo, hiccine istuc decet? Le. Iusque fasque est: b. t.
Nemo alienus hic est. b. d.
Si. Merito vostro amo vos, quia me colitis et magnificitis. as. t. d. i. d. c.
Le. Decet pol, mea Silenium, hunc esse ordinem i. s.
Benevolentis inter se se, beneque amicitia utier, t. t. c.
Ubi istas videas summo genere natas, summatis matronas i. t. h.

Versu 4 in vulgatis libris legitur *potueris*, sed in Langianis *potueratis*, in Helmstadiensi autem libro et edd. vett. *potueritis*. Horum alterutro metrum bacchiacum restituitur. Elegantior lectio Langianorum. 7. *eo* non magis liquescit, quam *tibi* 9. et *lepide*. 10. Nihil frequentius cessante ecthlipsi apud Plautum. 11. *mem.* penultimam syllabam producit. 12. Ita edd. mediae. V.: *Lubentique*. 13. Libri *expetam*, *expetem*, *expetes*, *expectes*. Verum vidit Gronov. 19. *adque id* et praeterea V.: *atque id*.

Amicitiam ut colunt atque ut eam junctam bene habent inter se se.
Nos si idem faciamus istuc, si idem imitemur, as. 2 ith.
Ita tamen vix vivimus cum invidia summa.
Suarum nos opum volunt esse indigentis, i. tr. h.
Nostra nos nihilum copia volunt potesse,
Suique omnium rerum nos indigere: b. t.
Ut sibi simus supplices. Eas si adeas: as. 2 ith.
Abitum quam aditum malis: ith.
Ita nostro ordini palam blandiuntur; clam, si occasio usquam est, as. t. d. i. d. h.
Aquam frigidam subdole subfundunt. as. b. d. i. h.
Viris cum suis praedicant nos solere; b. t.
Suas pellices ajunt esse: eunt depressum:
Quia nos libertinae sumus et ego et tua mater ambae i. t. c.
Meretrices fuimus; illa ted, ego hanc mihi educavi
Ex patribus conmentis. Neque hanc superbiai causa
Ego repuli ad meretricium quaestum, nisi, ut ne esuriam.
Si. At satius fuerat, eam viro dare nuptum potius. Le. Heia,
Haec quidem ecastor cotidie viro nubit, nupsitque hodie,
Nubet mox noctu. Nunquam ego hanc viduam cubare sivi:
Nam si haec non nubat, lugubre fame familia pereat.
Gy. Necesse est, quo tu me modo voles, ita esse, mater.
Le. Ecastor haud me poenitet, si, ut dicis, ita futura es:
Nam si quidem ita eris, ut volo: non Hecala fies unquam,
Semperque istanc, quam nunc habes, aetatulam obtinebis,
Multisque damno et mihi lucro sine sumtu meo eris saepe.
Gy. Di faxint! Le. Sine opera tua nil di horunc facere possunt.
Gy. Equidem hercle addam operam sedulo. Sed quid tu haec inter verba,
Meus oculus, mea Silenium? Nunquam ego te tristiorem
Vidi esse! Quid, cedo, te obsecro, tam abhorret hilaritudo?
Neque munda adaeque es, ut soles. Hoc, sis, vide, ut petivit
Suspirium alte! Et pallida es. Eloquere utrumque nobis,

36. V.: *nihilo*. Junt. Ald.: *nihil*. 40. V.: *Ex p. conventiciis. neque ego hanc superbiae c.* Vett.: *Ex p. conuentus, conticuis, contiguis. Commentis* merito placuit Gronovio. 41. V., adhaerescentibus numeris: *esurirem*. 43. Μονοσυλλάβως legenda verba *quidem* et *viro*, i littera extrita. 48. Libri, versu μειούρῳ: — *volo, nunquam Hecata fies.* Edd. vett.: *Hecale*. 52. V.: *inter istaec verba*. 53. V. sic interpungunt: — *Silenium (nunqu. e. t. t. V. e.) quid, cedo*, etc. *Quid tu?* quid tu agis? quid tibi est?

Et, quid tibi est, et, quid velis nostram operam: ut nos sciamus.
Noli, obsecro, lacrumis tuis mi exercitum imperare!
Si. Male excrucior, mea Gymnasium, male mihi est, male maceror; t. t. c.
Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab aegritudine.
Quid dicam, nisi, stultitia me mea indu moerorem rapi? i. t.
Gy. Ibidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem. t. t. c.
Si. Qui faciam? Gy. In latebras abscondas pectore penitissumo.
Tuam stultitiam sola facito ut scias sine aliis arbitris.
Si. At mihi cor est. Gy. Qui id? unde est tibi cor, commemora, obsecro,
Quod neque ego habeo neque quisquam alia mulier, ut perhibent viri?
Si. Si quidem est, quod doleat: dolet; sin autem est: tamen hoc huic dolet.
Gy. Amat haec mulier. Si. Eho, an occipere amare amarum est, obsecro?
Gy. Namque ecastor amor et melle et felle est fecundissumus.
Gustui dat dulce; amarum ad satietatem usque oggerit. i. t.
Ad istam faciem est morbus: qui me, mea Gymnasium macerat.
Gy. Perfidiosus amor est. Si. Ergo in me peculatum facit. t. t. c.
Gy. Bono animo es: erit isti morbo melius. Si. Confidam fore,
Medicus si veniat, qui huic morbo facere medicinam potest.
Gy. Veniet. Si. Spissum istuc amanti est verbum „Veniet," nisi venit.
Sed ego mea culpa et stultitia pejus misera maceror:
Quia ego illum unum mi exoptavi, quicum aetatem degerem.
Le. Matronae istuc conducibile magis est, mea Silenium,
Unum amare et cum eo aetatem exigere, quoi nupta est semel;
Verum enim meretrix fortunati est oppidi similluma:
Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.

59. Ita Guelf., MS. Meurs., Junt Ald. V.: — *imperare, Mea.* Si. *excruc.*, quam distinctionem personarnm ignorant libri vett. 61. V.: *in moer. r.* 62. Sic Acidal. V.: *Indidem.* Guelf.: *In diem, unde* etc. 65. V.: *A. m. cordolium est.* Gy. *quid id? u. e. tibi cordolium, comm. obs.?* nihili quidem et sententia et metro. 67. Ita Guelf. V.: *Si quid est —, si autem* etc. *Huic* (nam sic legendum videtur, non *hic*, ut vulgo), mihi, quod frustra Lamb. obtrudebat. 70. V.: *Gustu dat dulce. Gustui*, ad gustum.

Si. Hoc volo agatis: qua arcessitae causa ad me estis, eloquar.
Nam mea mater, quia ego nolo me meretricem dicier,
Obsecuta est; de ea re gessit morem morigerae mihi:
Ut me, quem ego amarem graviter, sineret cum eo vivere.
Le. Stulte ecastor fecit. Sed tu en unquam cum quiquam viro
Consuevisti? Si. Nisi quidem cum Alcesimarcho, nemine,
Neque pudicitiam meam mi alius quisquam inminuit.
Le. Obsecro,
Quo is homo insinuavit pacto se ad te? Si. Per Dionysia
Mater me pompam spectatum duxit. Dum redeo domum: go
Conspicillo consecutust clanculum me usque ad foris;
Inde in amicitiam insinuavit cum matre et mecum simul
Blanditiis, muneribus, donis. Le. Mihi istum hominem vellem dari! as. t. d. i. d.
Ut ego illunc vorsarem! Si. Quid opust verbis? Consuetudine t. t. c.
Coepi amare contra ego illum, ut ille med. Le. O mea, ...
Si. Quid est?
Le. Adsimulare amare oportet; nam si ames: extempulo
Melius illi multo, quem ames, consulas, quam re tuae.
Si. At ille conceptis juravit verbis apud matrem meam, i. t.
Me uxorem ducturum esse. Ei nunc alia ducenda est domum,
Sua cognata Lemniensis, quae habitat hic in proxumo: t. t. c.
Nam eum pater ejus subegit. Nunc mea mater irata est mihi,
Quia non redierim domum ad se, postquam eam rem resciverim,
Eum uxorem esse ducturum aliam. Le. Nihil amori injurium est. i. t.
Si. Nunc ego ted amabo, ut hanc hoc triduom solum sinas. t. t. c.
Esse hic et servare apud me: nam ad matrem arcessita sum.
Le. Quanquam mi istud erit molestum triduom et damnum dabis:
Faciam. Si. Facis benigne et amice. Sed tu, Gymnasium mea,
Si me absente Alcesimarchus veniet, nolito acriter

95. Libri et inepta sententia et versu ὑπερμέτρῳ: — *ego illum, et ille me.* Le. *o mea Silenium.* Si. *quid est?* 104. V.: *Nunc te am.* Edd. mediae: *N. ego te am.*

Eum inclamare (utut erga me est meritus, mihi cordi est
tamen); i. t.
Sed, amabo, tranquille; ne quid, quod illi doleat, dixe-
ris. as. t. d. i. d.
Accipias clavis, si quid tibi opus erit promtu, promito.
Ego volo ire. Gy. Ut mi excivisti lacrumas! Si. Gym-
nasium mea, t. t. c.
Bene vale. Gy. Cura te, amabo. Siccine inmunda, ob-
secro,
Ibis? Si. Inmundas fortunas aequom est squalorem sequi.
Gy. Amiculum hoc sustolle saltem. Si. Sine trahi, quom
egomet trahor.
Gy. Quando ita tibi lubet: vale atque salve. Si. Si possim,
velim,
Gy. Numquid me vis, mater, intro quin eam? Ecastor mihi
Visa amare. Le. Istoc ergo auris graviter obtundo tuas,
Ne quem ames. Abi intro. Gy. Numquid me vis?
Le. Ut valeas. Gy. Vale.
Le. Mihi idem, quod magnae parti est vitium mulie-
rum, i. s.
Quae hunc quaestum facimus, quae, ubi saburratae sumus,
Largiloquae extemplo sumus; plus loquimur, quam sat est.
Quin ego nunc, quia sum onusta mea ex sententia,
Quiaque adeo me conplevi flore Liberi:
Mage libera uti lingua conlubitum est mihi;
Tacere nequeo misera, quod tacito usus est.
Nam illanc ego olim, quae hinc flens abiit, parvolam
Puellam projectam angiportu sustuli.
Adulescens quidam hic est adprime nobilis
(Sicyone summo genere ei vivit pater);
Is amore misere hanc deperit mulierculam,
Quae hinc modo flens abiit; contra amore haec perdita est.
Eam meae ego amicae dono huic meretrici dedi:
Quia saepe mecum mentionem fecerat,
Puerum aut puellam alicunde ut reperirem sibi,
Recens natum eapse quod sibi supponeret.
Ubi mihi potestas primum evenit: eloco
Feci ejus ei, quod me oravit, copiam.
Postquam puellam eam a me accepit: eloco
Eandem puellam peperit, quam a me acceperat,
Sine obstetricis opera et sine doloribus,
Item ut aliae pariunt, quae malum quaerunt sibi:

125 — 126. Vulgo leguntur post 129. Correxit Acidal. 128. V., numeris durissimis: *ex angip.* 134. Ita Camerar. V.: *fecerit.*

Nam amatorem aibat esse peregrinum sibi:
Suppositionem ejus rei facere gratia.
Id duae nos solae scimus, ego, quae illi dedi,
Et illa, quae a me accepit, praeter vos quidem.
Haec sic res gesta est: si quis usus venerit,
Meminisse ego hanc rem vos volo. Ego abeo domum.

AUXILIUM.

Utrumque haec, et multiloqua et multibiba, est anus. A. I, 2.
Satin' vix reliquit deo, quod loqueretur, loci?
Ita properavit de puellae proloqui
Suppositione. Quodsi tacuisset: tamen
Ego eram dicturus, deus, qui poteram planius:
Nam mi est Auxilio nomen. Nunc operam date:
Ut ego argumentum hoc vobis plane perputem.
Sicyoni fuere jamdiu Dionysia;
Mercator venit huc ad ludos Lemnius,
Isque hic conpressit virginem adulescentulus
Vi, vinolentus, multa nocte, in via.
Is ubi malam rem scit se meruisse: eloco
Pedibus perfugium peperit; in Lemnum aufugit,
Ubi tum habitabat. Illa, quam conpresserat,
Decumo post mense exacto hic peperit filiam.
Quoniam reum ejus facti nescit, qui siet:
Paternum servom sui participat consili;
Dat eam puellam ei servo exponendam ad necem.
Is eam projecit; haec puellam sustulit;
Ille illam clanculum observavit servolus,
Quo aut quas in aedis haec puellam deferat.
Ut eampse vos audistis confiterier,
Meretrici eam puellam dat Melaenidi;
Eaque educavit eam sibi pro filia
Bene ac pudice. Tum illic autem Lemnius
Propinquam uxorem duxit, cognatam suam.
Ea diem suom obiit; facta morigera est viro.
Postquam ille uxori justa fecit: eloco
Huc conmigravit; duxit uxorem sibi
Eandem, quam olim virginem hic conpresserat,

143. V.: *ajebat*. 159. Sic Pareus. V. *Vi* non legitur, raptum illud quidem a sequente verbo. Non liquescit *nocte*. Possis etiam scribere *nocted*. 168. V.: *Ille clam obs. servos*. Camer. haec addidit ad supplendum versum. 177. Sic Langg. V.: *ux. hic sibi*. Helmstad. *sibi hic*, ut errare solent glossemata.

Et eam cognoscit esse, quam compresserat.
Illa illi dicit: ejus se ex injuria
Peperisse gnatam atque eam se servo eloco
Dedisse exponendam. Ille extemplo servolum
Jubet illum eundem persequi, si qua queat
Reperire, quae sustulerit. Ei re nunc suam
Operam usque adsiduo servos dat, si possiet
Meretricem illam invenire, quam olim tollere,
Quom ipse exponebat, ex insidiis viderat.
Nunc, reliquom quod restat, volo persolvere;
Ut expungatur nomen, ne quid debeam.
Adulescens hic est (Sicyoni ei vivit pater);
Is amore projecticiam illanc deperit,
Quae dudum flens hinc abiit ad matrem suam;
Et illa hunc contra, qui est amor suavissumus.
Ut sunt humana, nihil est perpetuom datum:
Pater adulescenti dare volt uxorem. Hoc ubi
Mater rescivit, jussit arcessi eam domum.
Haec sic res gesta est. Bene valete et vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac;
Servate vostros socios, veteres et novos;
Augete auxilia vostris justis legibus;
Perdite perduelles; parite laudem et lauream;
Ut vobis victi Poeni poenas subferant.

ALCESIMARCHUS. MELAENIS.

AL. Credo ego amorem primum apud homines conmentum carnuficinam. as. t. d. i. d. c. II, 1.
Hanc ego de me conjecturam domi facio, foras ne quaeram,
Qui omnis homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi: t. t.
Jactor, crucior, agitor, stimulor, vorsor in amoris rota miser, as. t. d. i. d.
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem as. c.: a t. h. cr. d.
Animi habeo; ubi sum, ibi non sum; ubi non sum, ibi est animus meus; as t. d. i. d.

204. Sic plurimi codd., in his ipse vetus Camerarii. V.: *foris*. 207. Palatt. Guelf. Helmstad. Mediol. 1500.: *nullam*. Syllaba *or* in *diripior* producenda est: vid. not. ad Amph. 70. Adscriptum huic versui ab antiqua manu in codice Monacensi: *Verba Caesaris fuerunt*, *cum occideretur a Bruto et Cassio*. 208. *meus* habet Guelf.

Ita mihi omnia ingenia insunt; t. d.
Quod lubet, non lubet jam id continuo: as. cr. d. t.
Ita me amor lassum animi ludificat,
Fugat, agit, adpetit, raptat, retinet,
Lactat, largitur; quod dat, non dat; deludit; as. 2 ith.
Modo quod suasit, dissüadet; quod dissuasit, id ostentat. as. t. d. i. d. c.
Maritumis moribus mecum experitur: as. cr. d. i. h.
Ita meum frangit amentem animum; as. 2 i. h.
Neque nisi quia miser non eo pessum,
Mihi ulla abest perdito permicies:
Ita pater apud villam detinuit med hos dies sex ruri continuos, as. t. d. i. d. h.
Neque licitum interea est meam visere amicam. Estne hoc miserum memoratu?
Me. Eo facetus, quia tibi alia est sponsa locuples Lemnia? i. t.
Habeas! Neque nos factione tanta, quanta tu, sumus; t. t. c.
Neque opes nostrae tam sunt validae, quam tuae; verum tamen
Haud metuo, ne jusjurandum nostrum quisquam culpitet;
Tu, jam si quid tibi dolebit, scies, qua doleat gratia. as. t. d. i. d.
Al. Di me perdant . . . Me. Quodcunque optas, tibi cupio contingere.
Al. Si illam uxorem duxero unquam, mihi quam despondit pater! t. t. c.
Me. Et me, si uxorem tibi unquam filiam dedero meam,
Al. Perjurare me patiere? Me. Atque aliquanto facilius,
Quam, me meamque rem perire et ludificari filiam.
Abi quaerere ubi jurijurando tuo satis sit subsidi: i. t.
Hic apud nos jam, Alcesimarche, confregisti tesseram. t. t. c.
Al. Face semel periclum! Me. Saepe feci, quod factum quaeror.
Al. Redde mihi illam! Me. Inter novam rem verbum usurpabo vetus:

209. Idem liber: *insunt*. V.: *sunt*. 212. *agit* posteriorem syllabam producit propter interpunctionem. 216. Ita Guelf. et Camerarii liber autiquior a manu prima. Putide vulgati: *amantem*. *Ita* posteriore syllaba longa legendum est. 226. *optas* Guelf. Langg.: *tibi cupio cont*. V.: — *optes, velim tibi cont*. 227. Ita Guil. Quaest. in Cist. c. 1., ubi monet, non raro trajectis vocibus corruptum esse Plautum. V.: *S. i. u. dux. mihi unqu., q. d p.* 231. Sic libri plurimi. Vulgati perverso metro: *ubi jurando tuo s. s. s.*

Quod dedi, datum non vellem; quod reliquum est, non dabo.
AL. Non remissura es mihi illam? ME. Pro me responsa tibi.
AL. Non revortet? ME. Scis jamdudum omnem meam sententiam.
AL. Satin' istuc tibi certum est in corde? ME. Quin ego commentor quidem; i. t.
Non edepol tua istaec dicta nunc in auris recipio. t. t. c.
AL. Non? hem! Quid agam? ME. Igitur animum advorta jam, ut quid agas, scias.
AL. At ita me di deaeque, superi atque inferi et medioxumi,
Itaque me Juno regina et Jovis supremi filia,
Itaque me Saturnus, patruos ejus .... ME. Ecastor pater.
AL. Itaque me Ops, opulenta illius avia ... ME. Imo mater quidem.
AL. Juno filia et Saturnus summus, patruos Jupiteris .... t. t.
Tu me delenis; propter te haec pecco. ME. Perge dicere t. t. c.
AL. An ne etiam, quid consultura sis sciam? ME. Perge eloqui!
Non remittam! definitum est. AL. Enimvero ita me Jupiter,
Itaque me Juno et Saturnus et Rhea .... Quid dicam, nescio! as. t. d. i. d.
Jam scio! Imo, mulier, audi, meam ut scias sententiam: t. t. c.
Divi med omnes, magnique minutique et patellarii,
Faxint, ne ego dem vivos vivae savium Silenio,
Nisi ego teque tuamque filiam meque hodie obtruncavero, as. t. d. i. d.
Post autem cum primo luci cras nisi ambo occidero, t. t. c.
Et quidem hercle nisi pedatu tertio omnis ecflixero,
Nisi tu illanc remittis ad me! Dixi, quae volui. Vale.
ME. Abiit intro iratus. Quid ego nunc agam? Si redierit
Illa ad hunc: ibidem loci res erit; ubi odium occoeperit:
Illam extrudet, hanc uxorem Lemniam ducet domum.
Sed tamen ibo et persequar; amens ne quid faciat, cauto opust.
Postremo, aequa lege quando pauperi cum divite.....

237. Monac.: *revortes.* V.: *remittes.* 240. Sic Langg. V.: *N.? hem, quid agis?* Quod in vulgatis non comparet, *jam* legitur in plerisque omnibus vett. 245. V.: *I. f. et S. patruus et summus Jupiter.* Monac. posteriorem copulam non habet. Langg.: *patruus Jupiteris.* Vidd. Priscian. et grammatici. 247. V.: *Anus ut etiam* etc. 249. Ita Guelf. Monac.: *et Sat. rex quid d. n.* V.: *et Sat.; ita, quid d. n.* 254. V.: *Postea.* 255. Sic Douza. V.: *Et equidem.* *Et quidem* ad amplificationem pertinet. 259. V.: *cum bene* etc.

Non licet: perdam operam potius, quam carebo filia.
Sed quis hic est, qui recta platea cursum huc contendit suom?
Et illud paveo et hoc formido: ita tota sum misera in metu. i. t.

LAMPADISCUS.

Aurum sectatus sum clamore per vias; i. s. II, 2.
Miserrumam habui! Ut illaec hodie quot modis
Sibi moderatrix fuit atque immemorabilis!
Quot illi blanditias, quid illi promisi boni!
Quot admoenivi fabricas, quot fallacias,
In quaestione! Vix exsculpsi ut diceret,
Quia ei promisi dolium vini dare.

PHANOSRATA. LAMPADISCUS. MELAENIS.

PH. Audire vocem visa sum ante aedis modo i. s. II, 3
Mei Lampadisci servi. LA. Non surda es, hera:
Recte audivisti. PH. Quid agis hic? LA. Quod gaudeas.
PH. Quid id est? LA. Hinc ex hisce aedibus paulo prius
Vidi exeuntem mulierem . . . PH. Illam, quae meam
Gnatam sustulerat? LA. Rem tenes. PH. Quid postea?
LA. Dico ei, quo pactod eam ab hippodromo viderim
Herilem nostram filiam sustollere.
Extimuit. ME. Male etiam horret corpus, cor salit:
Nam mihi ab hippodromo memini adferri parvolam
Puellam, eamque me mihi supponere.
PH. Age, perge, quaeso te: animus audire expetit,
Ut gesta res sit. ME. Utinam audire non queas!
LA. Pergo illam subagitare blandis, benedicis

263. Sic fere vett. V.: *hic.* 269. V.: *fallacias! In quaestione vix exsc.* etc. *Junt. Ald.*: *In quaest.?* 280. V.: PH. *Extimuit tum illa?* ME. *horret* etc. Libri plurimi: *jam horret.* Guelf.: *jam male horr.* 283. Ita Guelf. Alibi *te* non legitur. 285. seqq. V. secundum vetustiores libros:

LA. *P. illa * * dictis: illaec te anus*
*Fortu * * * seras vocat.*
Nam illaec etc.

Sed Junt. Ald.:

LA. *Pergo illo, subagito blandis et benedicis*
Dictis. illaec forti fortuna fortius
Aures obserat. ego Lemniam foras voco.
Nam etc.

Cf. Palmer. Spicil. p. 664., Acidal. Divinatt. p. 157. *Forti* pro *Forte*, ut alibi *parti* pro parte etc.

Dictis Illaec Forti Fortuna fortius
Auris obturat. Ergo alumnam voce foras:
„Nam illaec tibi nutrix est, ne matrem censeas!
„Ego te reduco et ad divitias revoco,
„Ubi tu locere in luculentam familiam,
„Unde tibi talenta magna viginti pater
„Det dotis! Non enim hic, ubi es, Tusco modo
„Tute tibi indigne dotem quaeras corpore!"
Ph. An amabo, meretrix illa est, quae illam sustulit.
La. Imo fuit. Sed, ut sit ea de re, eloquar.
Jam perducebam illam ad me suadela mea.
Anus ei amplexa est genua, plorans, obsecrans.
Ne deserat se: eam suam esse filiam;
Seque eam peperisse, sancte adjurabat mihi.
„Istanc, quam quaeris," inquit, „ego amicae dedi
Meae, quae educaret eam pro filiola sua;
Et vivit," inquit. „Ubi ea est?" inquam extempulo.
Ph. Servate me, di, obsecro! Me. At me perditis!
Ph. Quo illanc dedisset, exquisisse oportuit.
La. Quaesivi et dixit, meretrici Melaenidi.
Me. Meum elocutust nomen! interii oppido!
La. Ubi elocuta est: ego continuo interrogo:
„Ubi habitat?" inquam. „Duc ac demonstra mihi!" —
„Avecta est," inquit, „peregre hinc habitatum." Me. Obsipat
Aquolam. La. „Quo avecta est, eo sequemur! Sicne agis
„Nugas? Peristi! Ne hercle hoc longed!" Institi
Instare usque adeo, donec se adjurat anus
Jam mihi monstrare. Ph. At non missam oportuit.
La. Servatur; sed illaec se quandam aibat mulierem
Suam benevolentem convenire etiam prius,
Conmune quacum id esset sibi negotium;
Et scio, venturam. Me. Me indicabit et suas
Ad meas miserias alias. Ph. Facien' consciam,
Quid nunc vis facere me? La. Intro abi atque animo bono es.

289. V.: *Ego te red. et voco ad div.* MS. Schobing. et edd. mediae: *revoco*. 292. V.: *hic, ubi ex Tusco modo.* Saepe permixtae s et x litterae in codicibus. 295. Libri in ordinem recepto glossemate: *Imo meretrix fuit.* — 306. *oppido* accessit ex edd. mediis. 307. V.: *anum interr.*, quo versus corrumpitur. 310. V.:

— — — — Siccine
Agis nugas? periisti, ne hercle hoc longe. destiti
Instare etc.

Scripti fere, syllaba *-ed* perperam geminata, et rursus *-ti* semel posito: *longe dedisti* (*longedistiti, longededisti*). 317. H. e.: et alias suas ipsius miserias ad meas. 318. V.: *fac me consc.* Scripti: *faciem* vel *faciam consc.*

Vir tuos si veniet: jube domi opperirier:
Ne quaestioni mihi sit, si quid eum velim.
Ad anum recurro ego rursum. Ph. Lampadio, obsecro,
Cura! La. Perfectum ego hoc dabo negotium.
Ph. Deos teque spero. Me. Eosdem ego, ut abeas domum. —
Adulescens, adsta atque audi! La. Men', mulier, vocas?
Me. Te. Quid negoti est? nam occupatus sum ampliter.
Me. Quis istic habitat? La. Demipho, dominus meus.
Me. Nempe istic est, qui Alcesimarcho filiam
Suam despondit in divitias maxumas?
La. Is ipsust. Me. Ehodum quam vos igitur filiam
Nunc quaeritatis alteram? La. Ego dicam tibi:
Non ex uxore gnatam uxoris filiam.
Me. Quid istuc verbi est? La. Ex priore muliere
Nata, inquam, meo hero filia est. Me. Certe modo
Hujus, quae locuta est, quaerere aibas filiam.
La. Hujus ergo quaero. Me. Quo modo igitur, obsecro,
Haec est prior, quae nupta nunc est? La. Conteris
Tu tua me oratione, mulier quisquis es.
Medioxumam quam duxit uxorem, ex ea
Nata haec est virgo, Alcesimarcho quae datur.
Ea uxor diem obiit. Scis? Me. Teneo istuc satis;
Sed ego illud quaeso confragosum, quo modo
Prior posterior sit, posterior sit prior?
La. Prius compressit, quam uxorem duxit domum;
Prius gravida facta est priusque peperit filiam;
Eam postquam peperit: jussit parvam projici;
Ego eam projeci; alia mulier sustulit;
Ego inspectavi; herus modo hanc duxit postibi.
Eam nunc puellam filiam ejus quaerimus.
Quid nunc supina sursum in coelum conspicis?
Me. I nunc jam istuc, quo properabas: nil moror:
Nunc intellexi. La. Dis hercle habeo gratiam:
Nam ni intellexes, nunquam, credo, amitteres.
Me. Nunc mihi bonae necessum est esse ingratiis,
Quamquam esse nolo: rem palam esse intellego.
Nunc egomet potius hanc inibo gratiam
Ab illis, quam illaec indicet me. Ibo domum
Atque ad parentes reducam Silenium.

330. Sic Langg., probante Meursio, et recte. V.: *Eho tu.* 341. Sic Pall., nostri et vett. edd. V.: *jam scis?* 343. Sic vett. edd. V.: *P. p. sit, et p. s. p.* 358. Sic major pars librorum. V.: *reduco.*

MELAENIS. ALCESIMARCHUS. SILENIUM.

Me. Rem elocuta sum tibi omnem: sequere, mea Silenium, t. t. c. III.
Ut eorum, quojam esse oportet te, sis potius, quam mea,
Quanquam invita te carebo: animum ego inducam tamen
Meum, ut illud, quod in tuam rem bene conducat, consulam.
Nam hic crepundia insunt, quiscum te illa olim ad me detulit,
Quae mihi te dedit; parentes ut cognoscant facilius.
Accipe hanc cistellam, Halisca; agedum pulta illas foris;
Dic, me orare, ut aliquis intus prodeat. Propera ocius!
Al. Recipe me ad te, Mors, amicum et benevolum!
Si. Mater mea,
Perimus miserae! Al. Utrumne hac me feriam, an ab laeva, latus?
Me. Quid tibi est? Si. Alcesimarchum non vides ferrum tenentem? t. t.
Al. Ecquid agis? Remorare! Lumen linque! Si. Amabo, adcurrite, t. t. c.
Ne se interimat! Al. O salute mea salus salubrior,
Tu nunc, si ego volo seu nolo, sola me, ut vivam, facis!
Me. Hau, voluisti istuc severum facere? Al. Nil mecum tibi:
Mortuos tibi sum; hanc, ut habeo, certum est non amittere:
Nam hercle jam ad me adglutinandam totam decretum est dare.
Ubi estis, servi! Occludite aedis pessulis, repagulis, i. t.
Ubi ego hanc tetulero intra limen! Me. Abiit; mulierem abstulit. t. t. c.
Ibo, persequar jam illunc intro: ut haec ex me sciat
Eadem, si possum tranquillum facere ex irato mihi.

LAMPADISCUS. PHANOSTRATA.

La. Nullam ego me vidisse credo magis anum excruciabilem, t. t. c. IV, 1.

359. Perperam libri: *sequ. me, mea Sil. Me* non legebatur in Langianis. Sensit vitium Acid. 362. *Meum* habent edd. mediae et Helmstad. Et hic quidem praegresso versu post *animum*, illae autem ante hanc vocem. 363. V. durioribus numeris: *quibuscum.* 364. Ita Guelf. V. *te* non legitur. 365. Sic manu exarati. V.: *atque agedum.* 378. *jam* non liquescit.

Quam illaec est: quae dudum fassa est mihi, quaene inficias eat?
Sed heram eccam video! Sed, quid hoc est, haec quod cistella hic jacet i. t.
Cum crepundiis, nec quemquam conspicor alium in via? t. t. ç.
Faciundum est puerile officium: conquiniscam ad cistulam.
Ph. Quid agis, Lampadio? La. Haec cistella numnam hinc ab nobis domo est?
Nam hinc ab ostio jacentem sustuli. Ph. Quid nuntias
Super anu? La. Scelestiorem in terra nullam esse alteram:
Omnia infitiare ea, quae dudum confessa est mihi.
Nam hercle ego illam anum inridere me ut sinam? Satiust mihi
Quovis exitio interire? Ph. Di, obsecro vostram fidem....
La. Quid deos obsecras? Ph. Servate nos! La. Quid est? Ph. Crepundia
Haec sunt, quiscum tu extulisti nostram filiolam ad necem!
La. Sanane es? Ph. Haec sunt profecto! La. Pergin'? Ph. Haec sunt! La. Si mihi
Alia mulier istoc pacto dicat: dicam, esse ebriam.
Ph. Non ecastor cassa memoro! Nam, obsecro, unde haec gentium,
Aut quis deus objecit hanc ante ostium nostrum? Quasi
Dedita opera, in tempore ipso Spes mihi sancta subvenit!

HALISCA. LAMPADISCUS. PHANOSTRATA.

Ha. Nisi quid mi opis di dant: disperii, neque, mi unde auxilium expetam, habeo: t. t. IV, 2
Ita petulantia me animi miseram habet, quae in tergum meum ne eveniat,
Male formido, si hera me sciat tam socordem esse, quam sum.
Quamne in manibus tenui atque accepi hic ante aedis cistellam, ubi ea est,
Nescio; nisi, ut opinor, loca haec circiter excidit mihi. t. t. c.
Mi homines, mi spectatores, facite indicium, si quis vidit, t. t.

383. Ita MSS. V.: *inficias ire ea.* 398. V.: *neque unde aux.* MS. Meurs. Junt. Ald.: *aux. mihi aut praesidium exp. hab.* 399. V.: *Itaque petul. mea me an. mis. h.: Quae in t. m. ne veniat.* 400. V.: *hera mea sc.* 401. Ita Monac. V.: *ubi ea sit.* Indicativus, graeco more usurpatus, metro unice convenit. 402. Vocabulum *loca* non est elidendum.

Quis eam abstulerit, quis sustulerit, et utrum hac an illac iter institerit! as. t. d. i. d. h.
Non sum scitior, quae hos rogem aut quae fatigem, b. t.
Qui semper malo muliebri sunt lubentes.
Nunc vestigia hic si qua sunt, noscitabo:
Nam si nemo hac praeteriit, postquam intro abii: i. tr. h.
Cistella jaceret hic. Quid „hic?“ Periit, opinor.
Actum est! ilicet me infelicem et scelestam! as 2 ith.
Nulla est, neque ego sum usquam! perdita perdidit me!
Sed pergam, ut coepi, tamen; quaeritabo: as. 2 i. h.
Nam et intus paveo, et foris formido:
Ita nunc utrobique metus me agitat. a. d.
Illoc homines misere miseri:
Ille nunc laetus est, quisquis est, qui illam habet, cr. t.
Quae neque alii ulli quidquam usui est, mihi potest
Esse. Sed me moror, quom hoc ago secius.
Halisca, hoc age: ad terram adspice, dispice, as. b. d. t. h.
Oculis investigans astute augura!
La. Hera! Ph. Hem, quid est? La. Haec est. Ph. Quis? La. Haec quoi excidit cistella. i. t. c.
Hem! certe eum signat locum, ubi ea excidit. Ph. Adparet.
Ha. Sed is hac iit: hac socci in pulvere video vestigium i. t.
Persequar hac. In hoc jam loco cum altero cr. t.
Constitit. Hic meis turbod oculis modo
Sese objecit, nec prorsum iniit hac; hic stetit. —
Hinc illuc exiit. Hic concilium fuit.
Ad duos attinet; sed quos? cr. tr. c.
Attate, singulum video vestigium! cr. t.
Sed is hac abiit. Contemplabor. Hinc huc iit; hinc nusquam abiit. as. t. d. i. d. c.
Actam rem ago! Quod periit, periit: meum corium cum cistella!
Redeo intro. Ph. Sunt, qui te volunt conventam. Ha. Quis me revocat? i. t. c.

404. V.: *si quis eam abst., quisve sust.* 408. Verba *postquam* et *intro* non eliduntur. 415. V.: *Illo sunt homines m. m.* Helmstad.: *illos.* Vett. edd.: *illos hominis misetae misereri.* 417. V.: *Q. n. illa illi quidquam.* 418. V.: *Sed memet moror.* 419. V.: *et dispice.* 422. V.: *Certe eccum locum signat. Hem* praebuit Guelf. 428. *sed quos?* Libri plurimi: *si quis;* quidam: *si qui, liquis, liquet.* V.: *hi qui sunt?* 429. V.: *Attat.* 432. V.: Ph. *mulier, mane: sunt, qui* etc. Verba *mul., mane,* quae ipsum metrum arguit, non leguntur in libris nostris et edd. veteribus.

La. Bona foemina et malus masculus volunt te. Ha. Postremo ille
Plus, qui vocat, scit, quid velit, quae ego, quae vocor. Revortor.
Ecquem vidistis quaerere hic, amabo, in hac regione
Cistellam cum crepundiis, quam ego hic amisi misera?
Nam dudum ut adcucurrimus ad Alcesimarchum, vitam
Ne suam interimeret, tum puto timore mi excidisse
Cistellam. La. Haec mulier
amus, hera, parumper.
Ha. Disperii, misera! quid ego herae dicam, quae me opere tanto
Servare jussit, qui suos Silenium parentes
Facilius posset noscere, quae herae supposita parva est,
Quam quaedam meretrix ei dedit? La. Nostram haec rem fabulatur.
Hanc scire oportet, filia tua ubi sit, signa ut dicit.
Ha. Nunc eam volt suae matri et patri, quibus nata est, reddere ultro. —
Mi homo, obsecro, alias res geris? Ego tibi meas res mando.
La. Istuc ago atque istuc mihi cibus est, quod fabulare;
Sed inter rem agendam istam herae huic respondi, quod rogabat;
Nunc ad te redeo. Si quid est opus: dic, impera, et tu.
Quid quaeritabas? Ha. Mi homo et mea mulier, vos saluto.
Ph. Et nos te. Sed quid quaeritas? Ha. Vestigium hic requiro.
Qua aufugit quaedam, nescio, quam dicam. Ph. Quid id est? La. Quidnam est?
Ha. Nescio, alienumne hoc ego anne memorem familiare.

433. Male ante verbum *Postremo* haec inseruerunt ex Nonio, quibus locum dedi in fragmentis: *Malum aufer, bonum mihi opus est.* Haec quoque abhorrent a metro. 435. V.: *vidistis.* Aut turbatum hic est conglutinatis duabus fabulae recensionibus, aut spectatores compellantur versibus 435—439, ut Aululariae 670. sequentibus: nam hic aperte rem ancilla dicit, utpote coram iis, qui viderant omnia, quae gesta erant; post eandem rem obscure significat, ne ignoti sibi, et qui modo advenerant, Phanostrata et servus secreto suo frustra narrato abutantur; quos versu demum 450. salutat. 438. Supplementum Camerarii. 439. V. secundum Cam.: *h. mul. nostra est: quin operam damus, hera, p.* 440. V.: *meae herae.* Sic erratum etiam 442. 442. Ita Guelf. V.: *herae meae,* 446. V.: *geris, ego tibi* etc. 450. *homo* non est elidendum. 452. Prisci fere: *nescio quo.* Ph. *quid* etc. Cam. ita haec supplebat: Q. a. q. nescio quo mihi. Ph. q. id? quid id nam est? Ha. Alienum quod damnum afferat et moerorem familiarem.

La. Mala mercis, hera, haec et callida est. Ph. Ecastor ita videtur.
La. Imitatur nequam bestiam et damnificam. Ph. Quamnam, amabo?
La. Involvolum, quae in pampini folio intorto implicat se:
Itidem haec exorditur sibi intortam orationem.
Quid quaeritas? Ha. Cistella mi hic, mi adulescens, evolavit.
La. In caveam latam oportuit. Ha. Non edepol praeda magna!
La. Mirum, quin grex venalium in cistella infuerit una.
Ph. Sine dicat. La. Si dicat quidem. Ph. Age tu, loquere, quid ibi infuerit.
Ha. Crepundia una. La. Est quidam homo, qui illam ait se scire, ubi sit.
Ha. At pol ille ad quandam mulierem, si eam monstret, gratiam ineat.
La. At sibi ille quidam volt dari mercedem. Ha. At pol illa quaedam.
Quae illanc cistellam perdidit, quoidam negat esse quod det.
La. At enim ille quidem argentum expetit. Ha. At enim expetit nequidquam.
La. At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratuita est.
Ph. Commodo loquelam jam tibi. Ha. Num proderis? Ph. Confitemur,
Cistellam habere. Ha. At vos Salus servassit! Ubi ea nunc est?
Ph. Salvam eccam! Sed ego rem meam magnam confabulari
Tecum volo: sociam mihi te adopto ad meam salutem.
Ha. Quid istuc negoti est, aut quis es? Ph. Ego sum illius mater,
Quae haec gestitavit. Ha. Hiccine tu ergo habitas? Ph. Hariolare.
Sed, quaeso, ambages, mulier, mitte atque hoc age: i. s.
Eloquere, unde haec sunt tibi, cito, crepundia.
Ha. Mea haec herilis gestitavit filia.
La. Mentiris: nam mea gestitavit, non tua.
Ph. Ne obloquére. La. Taceo. Ph. Mulier, perge dicere.
Ubi ea est, quae gestitavit? Ha. Hic in proxumo.
Ph. Istic quidem edepol mei viri habitat gener.
La. Nae... Ph. Obloquere rursum? — Perge porro dicere.
Quot annos nata dicitur? Ha. Septemdecim.

454. Ita Guelf. V.: *merx.* 456. Ita Helmstad. V.: *intorta.* 461. V.: *age, loqu. tu, q. i. i.* 463. Sic nostri et vett. edd. V.: *a quadam muliere.* 468. Sic fere vett. Inepte libri vulgati: *Commoda l. tuam: tibi nunc proderit confitemur Cist. h.* 480. *viri* non liquescit.

PH. Mea est! LA. Ea est, annorum n u m e r u m ut attulit.
PH. Quod quaeritabam, filiam inveni meam!
HA. Quid? quoniam tuam invenisti, jam quaero meam?
LA. At pol sunt, quaero tertiam.
HA. N a m nostra alumna haec tua profecto est filia,
Et redditura h e r a est tibi, et ea gratia
Domo profecta est. Ceterum ex ipsa, obsecro,
Exquiritote: ego serva sum. PH. Aequom postulas.
HA. Illius ego istanc esse malo gratiam.
Sed istanc cistellam te obsecro ut reddas mihi!
PH. Quid fit, Lampadio? LA. Quod tuom est, teneas tuom.
PH. At me hujus miseret. LA. Sic faciundum censeo:
Da isti cistellam et intro abi cum istac simul.
PH. Tibi auscultabo. Tene tu cistellam tibi
(Aequom est) p r o d i l l o, per fidem quod creditum est:
Ne bene merenti sit malo benignitas.
Abeamus intro. Sed quod est nomen tuae
Dominae? HA. Melaenis. PH. I prae; jam ego te sequar.

DEMIPHO. LAMPADISCUS.

DE. Quid hoc negoti est, quod omnes homines fabulantur per vias, i. t. V.
Mihi esse inventam filiam? et Lampadionem me in foro
Quaesivisse ajunt. LA. Here, unde is? DE. Ex senatu. LA. Gaudeo, t. t. c.
Tibi mea opera liberorum esse amplius. DE. Etenim non placet:
Nil moror, aliena mi opera fieri pluris liberos.
Sed quid istuc est? LA. Propera ire intro huc ad adfinem tuom:
Filiam tuam jam cognosces. Intus ibidem uxor tua est.
Abi cito! DE. Praevorti hoc certum est aliis rebus omnibus.

G R E X.

Ne expectetis, Spectatores, dum illi huc ad vos exeant: t. t. c.
Nemo exibit: omnes intus conficient negotium;
Ubi id erit factum, ornamenta ponent; postidea loci
Qui deliquit, vapulabit; qui non deliquit, bibet.
Nunc, quod ad vos, Spectatores, reliquom relinquitur,
More majorum date plausum postrema in comoedia.

483. Prisci: *Ea est us annorum att.* V.: *E. e., ut numerus ann. att.* 484. seqq. vulgo sic ordinantur: 485, 486, 484, 497, 498, 487 etc. 485. Vett.: *Quod*, vel *Quid, qua jam q. m.* V.: *Quod quaerebas repperisti: i q. m.* 486. V.: *At p. hae suas nactae sunt: q. t.* 488. V.: *tibi tuom;* sed *tuam* non habet Helmstad. 497. V.: *A. e. tenere, per* etc. Etiam hoc *tenere* est a Camerario. 500. Sic Pall. Guelf. Helmst. et vett. edd. V.: *i, i prae.*

CURCULIO.

ARGUMENTUM.

Curculio missu Phaedromi ivit Cariam, 1. 2.
Ut petat argentum; ibique eludit anulo
Rivalem, scribit atque obsignat litteras.
Cognoscit signum Lyco, ubi vidit, militis:
Ut amicam mittat, pretium lenoni dedit.
Lyconem miles ac lenonem in jus rapit;
Ipsus sororem, quam peribat, reperit,
Oratu cujus Phaedromo nuptum locat.

Versu 1. *missus P. it* legitur in libris; *missu* dedit Guil. Quaest. in Curc. c. 1. 2. vulgo: *ibi ille el. a.* Sed vett. pronomen non agnoscunt. 3. Sic vett. V.: *obsignavit.*

DRAMATIS PERSONAE.

PALINURUS.
PHAEDROMUS.
LENA.
PLANESIUM.
CAPPADOX.
COCUS.
CURCULIO.
LYCO.
CHORAGUS.
THERAPONTIGONUS.

PALINURUS. PHAEDROMUS. PUER.

PALINURUS.

Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras i, s. I, 1.
Cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phaedrome?
Ph. Quo Venus Cupidoque imperat suadetque Amor.
Si media nox est, sive est prima vespera;
Si status condictus cum hoste intercedit dies:
Tamen est eundum, quo imperant, ingratiis.
Pa. At tandem... tandem... Ph. Tandem es odiosus mihi.
Pa. Istuc quidem nec bellum est nec memorabile:
Tute tibi puer es: lautus luces cereum.
Ph. Ego apicularum congestum opera non feram,
Ex dulci oriundum, melculo dulci meo?
Pa. Nam quo te dicam ego ire? Ph. Si tu me roges:
Dicam, ut scias. Pa. Si rogitem, quid respondeas?
Ph. Hoc Aesculapi fanum est. Pa. Plus jam anno scio.
Ph. Huic proxumum illud ostium occlusissumum.
Salve! Valuistin' usque, ostium oculissumum?
Pa. Caruitne febris te heri vel nudius tertius,
Et heri coenavistine? Ph. Deridesne me?
Pa. Quid tu ergo, insane, rogitas, valeatne ostium?
Ph. Bellissumum hercle vidi et taciturnissumum:
Nunquam ullum verbum mittit; quom aperitur, tacet;
Quomque illa noctu clanculum ad me exit, tacet.
Pa. Numquid tu, quod te aut genere indignum sit tuo
Facis aut inceptas facere facinus, Phaedrome?
Num tu pudicae quoipiam insidias locas,
Aut quam pudicam oportet esse? Ph. Nemini,

Versu 2. legendum videatur *Phaedime*, et sic per totam fabulam: nam ut solum accentum Plautus sequatur in graecis nominibus, sicut Ausonius, Sidonius, Prudentius aliique serioris aevi scriptores, non persuadet Jos. Scaliger Lectt. Auson. 2, 25. Dicitur autem Graecis φαίδρωμος. 10. *Ego* habet Guelf., non *Egon'*, sicut vulgo. 11. V. *melliculo*, voce nihili. Cf. Cas. 694. 16. Sic Fest. Langg. et edd. mediae utroque loco, i. e. carissimum. Probant Turneb., H. Steph., I. Douza, et inprimis Muret. V. L. 16, 13. Cf. Gesner. Thesaur. linguae lat. v. Ostium. V. hic quoque *occlusissimum*, quod vel metro arguitur. 21. Sic Palatt. Helmstad. Monac. et edd. vett. V.: *muttit*, sicut 94.

Nec me ille sirit Jupiter! PA. Ego item volo.
Ita tuom conferto amare semper, si sapis,
Ne id, quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato, ne sis intestabilis.
PH. Quid istuc est verbi? PA. Caute ut incedas via:
Quod amas, amato testibus praesentibus.
PH. Quin leno hic habitat. PA. Nemo hinc prohibet nec vetat
Quin, quod palam est venale, si argentum est, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via.
Dum ne per fundum septum facias semitam;
Dum ted abstineas nupta, vidua, virgine,
Juventute et pueris liberis: ama quid lubet.
PH. Lenonis haec sunt aedes. PA. Male istis evenat!
PH. Qui? PA. Quia scelestam servitutem serviunt.
PH. Obloquere! PA. Fiat maxume. PH. Etiam taces?
PA. Nempe obloqui me jusseras. PH. At nunc veto.
Sed (ita, ut jam occoepi dicere) eji ancillula est...
PA. Nempe huic lenoni, qui hic habitat? PH. Recte tenes.
PA. Minus formidabo, ne excidat. PH. Odiosus es.
Eam volt meretricem facere. Ea me deperit;
Ego autem cum illa facere nolo mutuom.
PA. Quid ita? PH. Quia proprium facio: amo pariter simul.
PA. Malus clandestinus est amor; damnum est merum.
PH. Est hercle ita, ut tu dicis. PA. Jamne ea fert jugum?
PH. Tam a me pudica est, quasi soror mea sit, nisi
Si est osculando quidpiam inpudicior.
PA. Semper (tu scito) flamma fumo est proxuma.
Fumo conburi nil potest, flamma potest.
Qui nuculeum e nuce esse volt, frangit nucem;
Qui volt cubare, pandit saltum saviis.
PH. At illa est pudica, neque dum cubitat cum viris.
PA. Credam, pudor si quoiquam lenoni siet.

27. Perperam vulgati libri: *sinit.* Langg.: *N. me irriserit*, unde Guil. Quaest. in Curc. c. 1. et Muret. l. l.: *sirit.* Recte. Cf. Turneb. Adv. 16, 10. 31. Hic versus post sequentem insertus vulgo legitur, quo loco ineptus est, postquam servus dixit, quem hominem vocet *intestabilem.* *Quid* cum sequente syllaba coalescit, sicut passim ejusmodi monosyllaba apud hunc nostrum. 37. Mss.: *te.* V.: *tete.* 39. V.: *L. hae. s. a.* PA. *M. i. eveniat.* Helmstad.: *hec.* 43. Helmst.: *Si indutias occ. dic.* Muret l. l.: *Sed ita ut occ. d.* V.: *Id uti jam occ. d.* 44. Malim eodem sensu, meliore autem numero: *qui hic habet.* Vid. Parei lexic. Plaut. v. Habere. 45. Sic Langg. et Helmstad. a. m. 1. Alii libri: *excadat*, *exeedat*: V.: *exedat.* 46. Cave elidas *facere.* Potest etiam scribi *facered.* 58. Sic Langg. Guelf. Helmstad. ed. Argent. V.: *cuipiam.*

Ph. Imo ut illam censes? Ut quaeque illi occasio est
Subripere se ad me: ubi savium oppegit, fugit.
Id eo fit, quia leno hic aegrotus incubat
In Aesculapi fano. Is me excruciat. Pa. Quid est?
Ph. Alias me poscit pro illa triginta minas,
Alias talentum magnum, neque quidquam queo
Aequi bonique ab eo inpetrare. Pa. Injurius,
Qui, quod lenoni nulli est, id ab eo petas.
Ph. Nunc hinc parasitum in Cariam misi meum
Petitum argentum a meo sodali mutuom;
Quod si non adfert, quo me vortam, nescio.
Pa. Si deos salutas, dextrovorsum censeo.
Ph. Nunc ara Veneris haec est ante horunc foris:
Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.
Pa. Quid antepones Veneri jam jentaculo?
Ph. Me te atque hosce omnis. Pa. Tum tu Venerem vomere vis.
Ph. Cedo, puere, sinum. Pa. Quid facturus? Ph. Jam scies.
Anus hic solet cubitare custos, janitrix.
Est nomen lenae Multibiba atque Merobiba.
Pa. Quasi tu lagenam dicas, ubi vinum solet
Chium esse. Ph. Quid opust verbis? Vinosissuma est;
Eaque, ubi extemplo vino has conspersi foris,
De odore adesse me scit: aperit eloco.
Pa. Eine hic cum vino sinus fertur? Ph. Nisi nevis.
Pa. Nolo hercle: nam isti hunc qui fert, adflictum velim.
Nobis adferri ego censui. Ph. Quin tu taces?
Si quid super illi fuerit, id nobis sat est.
Pa. Quisnam istic fluviust, quem non recipiat mare?
Ph. Sequere hac, Palinure, me ad foris! fi mi obsequens!
Pa. Ita faciam. Ph. Agite, bibite, festivae fores!
Potate! fite mihi volentes propitiae!
Pa. Voltisne olivas aut pulmentum aut capparim?
Ph. Exsuscitate vostram huc custodem mihi!
Pa. Profundis vinum. Quae te res agitant? Ph. Sine
Vide, ut aperiuntur aedes festivissumae!
Num muttit cardo? Est lepidus! Pa. Quin das savium?
Ph. Tace! occultemus lumen et vocem! Pa. Licet.

73. Vett.: *Veneri*, vel *Venerei*, *a jent.* V. secundum cod. Angl. Is. Pontani: *Quid? an-te pones V. i.?* 77. V., refragantibus vett.: *Nomen ei est lenae.* 90. Ita Guelf., ut legi jussit Scal., probante Bentl. ad Terent. Eun. 5, 1, 56. Muretus delebat *aut* utrumque. V.: *pulpamentum.* 91. Helmst.: *E. v. hano c. m.* 93. Libri κακομέτρως: *Viden'.*

LENA. PHAEDROMUS. PALINURUS.

Le. Flos veteris vini meis naribus est objectus: as. ch. d. jamb. ithyph. I, 2.
Ejus amos cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubiubi est, prope me est! — Euax, habeo! a. d.
Salve, anime mi, Liberi lepos! as. 2 t. h.
Ut veteris vetusta cupida sum! t. d. h.
Nam omnium unguentum odos prae tuo nautea est! c. t.
Tu mihi stacte, tu cinnamum, tu rosa,
Tu crocum et casia, tu bdellium es! c. tr.
Nam ubi tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam! as. t. d. i. d. c.
  Sed quom adhuc naso, odos, obsecutus meo: c. t.
Da vicissim meo gutturi gaudium!
Nihil ago tecum: ubi est ipsus? ipsum expeto
Tangere, invergere in me liquores tuos
Sino ductim! Sed hac abiit: hac persequar.
Ph. Sitit haec anus. Pa. Quantillum sitit? Ph. Modica est: capit quadrantal. i. t. c.
Pa. Pol, ut tu praedicas, vindemia huic non satis est soli.
Canem esse hanc quidem mage par fuit: sagax nasum habet. Le. Amabo,
Quoia vox sonat procul? t. d. c.
Ph. Censeo hanc adpellandam anum. Adibo. Redi et c. t.
Respice ad med huc, lena! Le. Imperator quis es?
Ph. Vini pollens, lepidus Liber, tibi qui screanti, siccae, as. t. d. i. d. c.
Semisomnae, potionem adfert et te sedatum it!
Le. Quam longe a me abest? Ph. Lumen hoc vide! as. b. d. i.
Le. Grandiorem gradum ergo fac ad me, obsecro! c. t.
Ph. Salve. Le. Egon' salva sim, quae siti sicca sum?
Ph. At jam bibes. Le. Diu fit. an.
Ph. Hem tibi, anus lepida! Le. Salve,
Oculissume homo! Pa. Age, cito hoc ecfunde in barathrum! propere prolue i. t.

97. Monac. et ed. Argent. a. 1514.: *amor.* Sed cf. not. ad 101. Non elidendum *me*, sed corripiendum sequente vocali littera, more Graecorum. 99. *Salve* non est elidendum. 100. Putide libri: *vetusti.* 101. Sic Helmstad., ut *amos, lepos.* Cf. 105. Sermo anus blaesulae, ut bene monet Acid. 102. Male *cinnamomum* legitur secundum Langg. et 4 Palatt. 103. *crocum* Pall. et Helmstad. Guelf.: *crocus.* V.: *crocinum.* Dein libri vulgati: *casia es, tu bd.* Sed Helmstad., ut nos. 105. Sic idem liber. V.: *obs. es.* 111. V., intruso glossemate: *vind. haec huic anui non s. e. s.* 114. Vox *anum* non liquescit. 115. Libri nonnulli: *es?* 117. *pot.* non est elidendum.

Cloacam! Ph. Tace: nolo huic maledici. Pa. Faciam igitur male potius. i. t. c.
Le. Venus, de paulo paululum hoc tibi dabo haud lubenter:
Nam tibi amantes, propitiantes, vinum danunt potantes as. t. d. i. d. c.
Omnes: mi haut eveniunt saepe tales hereditates.
Pa. Hoc vide, inpura ut ingurgitat avariter cr. t.
Indu sese merum faucibus plenis! cr. t. c.
Ph. Perii hercle! huic quid primum dicam, nescio. Pa. Hem istuc, quod mihi dixti. t. t.
Ph. Quid id est? Pa. Periisse ut te dicas. Ph. Male di faciant tibi! Pa. Dic isti.
Le. Ah! Pa. Quid est? ecquid lubet? Le. Lubet. t. d. h.
Pa. Etiam mihi quoque stimulo fodere lubet te. Ph. Tace modo! noli .... as. t. d. i. d. c.
Pa. Taceo. Ecce autem bibit arcus! Pluet, credo, hercule hodie. as 2 an.
Ph. Jamne ego huic dico .... Pa. Quid dices? Ph. Me periisse? Pa. Age dice. Ph. Anus, audi!
Hoc volo scire te, perditus sum miser! cr. t.
Le. At pol ego oppido servata! t. d.
Sed quid est, quod lubet perditum dicere c. t.
Esse te? Ph. Quia id, quod amo, careo. c. tr. c.
Le. Phaedrome mi, ne plora, amabo! tu me curato, ne sitiam: t. t.
Ego tibi, quod amas, jam huc adducam. t. d.
Ph. Tibi nae ego, si fidem servas mecum, as. cr. d. t.
Vineam pro aurea statua statuam,
Quae tuo gutturi sit monumentum.
Qui med in terra aeque fortunatus erit, si illa ad me bitet, t. t.
Palinure? Pa. Edepol, qui amat, si eget, misera adficitur aerumna. as. t. d. i. d. c.
Ph. Non ita res est: nam confido parasitum hodie adventurum
Cum argento ad me. Pa. Magnum inceptas, si illud expectas, quod nusquam est. t. t.
Ph. Quid, si adeam ad forem atque occentem? Pa. Si vis; neque veto neque jubeo,

125. Libri ταυτολέγως et ἀμέτρως: *propinantes, Vin. potantes dant.* 128. V.: *Hoc v., ut Ing. imp. in se m. av.* Helmstad.: *h. v., imp. ut avqr. mer. ing. in se.* 134. Sic Helmstad. Vulgati non habent *modo.* 133. V.: *hercle.* 137. Sic Pall. Monac. et vett. edd. V.: *quid lub.* 141. *ego* posteriorem syllabam producit: vid. index h. v. 147. Sic Helmstad. V.: *si id exp.* 148. Guelf. *si vis.* Helmstad. et vett. edd.: *si vives.* V.: *si lubet.* Cf. 585.

Quando ego te video immutatis moribus esse, here, atque ingenio.
Ph. Pessuli, heus, pessuli, vos saluto lubens, c. t.
Vos amo, vos volo, vos peto atque obsecro:
Gerite amanti mihi morem, amoenissumi!
Fite causa mea ludii barbari:
Subsilite, obsecro, et mittite istanc foras,
Quae mihi misero amanti ecbibit sanguinem! —
Hoc vide, ut dormiunt pessuli pessumi,
Nec mea gratia commovent se ocius!
Respicio, nihili meam vos gratiam facere. as. t. d. cr. d. c.
Sed tace! Pa. Sed quid est? Taceo hercle. Ph. Sentio sonitum.
Tandem edepol mihi morigeri pessuli fiunt.

ANUS. PLANESIUM. PHAEDROMUS. PALINURUS.

An. Placide egredere et sonitum prohibe forium et crepitum cardinum: t. t. c. I, 3.
Ne, hic quod agimus, herus percipiat fieri, mea Planesium.
Mane: subfundam aquolam. Pa. Viden', ut anus tremula medicinam facit?
Eapse merum condidicit bibere; foribus dat aquam, quam bibant. i. t.
Pl. Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
[Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti?]
Ecce me! sisto ego tibi me et mihi ades contra suadeo.
Ph. Adsum: nam si absim, haud recusem, quin mihi male sit, mel meum.
Pl. Anime mi, me procul amantem abesse, haud consentaneum est.

153. Ita Turneb. Adv. 19, 10. Libri: *lydi* vel *lidi*. V.: *Lydi*. 159. Egregie Guelf.: *Sed quid est?* ut suo quasi verbo (*Sed*) dominum servus irrideat, tacere se jubentem, cum mutus adstet. Sed ille aliorsum dixerat, ut dici solet, cum magis attendimus. V.: *Sed tace, taceo.* (Liber vet. Cam. et 5 Palatt.: *S. taceo.*) Pa. *taceo hercle. quid est?* Ph. *s. s.* 161. Guelf. *strepitum*, sicut *strepitu* 207. 166. Ἄμετρα haec, quae nihil conferunt ad sententiam, in plerisque omnibus melioris notae libris non leguntur. 167. Guelf. et vett. edd.: *Sisto ades contra Sisto ego t. me; et mihi contra itidem te* (hoc abest a codd. nostris et edd. veteribus) *ut sistas suadeo.* Verbo *ades* adscriptum explicandi causa: *mihi itidem te ut sistas*. Pulcre sibi respondent *ades* et *Adsum*. Potest legi *adsis*, sed non est necesse. 169. Ita Guelf. et Monac. Vulgo *me* non legitur, claudicante quidem versu.

PH. Palinure, Palinure! PA. Eloquere, quid est, quod Palinurum voces? as. t. d. i. d.
PH. Est lepida? PA. Nimis lepida. PH. Sum deus? PA. Imo homo haud magni preti.
PH. Quid vidisti aut quid videbis mage dis aequiparabile?
PA. Male valere te, quod mi aegre est. PH. Male mihi morigerus! tace!
PA. Ipsus se excruciat, qui homo, quod amat, videt, nec potitur, dum licet. as. t. d. i. d.
PH. Recte objurgat. Sane haud quidquam est, mage quod cupiam tam diu. t. t. c.
PL. Tene me, amplectere, ergo! PH. Hoc etiam est quamobrem cupiam vivere.
Quia te herus prohibet, clam hero potior. PL. Prohibet nec prohibere quit i. t.
Nec prohibebit, nisi mors animum meum abs te abalienaverit. t. t. c.
PA. Enimvero nequeo durare, quin ego herum adcusem meum:
Nam bonum est pauxillum amare sane; insane non bonum est;
Verum totum insanum amare, hoc est, quod meus herus facit.
PH. Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites,
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi proelia!
Dum mi abstineant invidere, sibi quisque habeant, quod suom est!
PA. Quid tu? Venerin' pervigilare te vovisti, Phaedrome?
Nam hoc quidem edepol haud multo post luce lucebit. PH. Tace!
PA. Quid taceam? quin tu is dormitum? PH. Dormio: ne obclamites!
PA. Tu quidem vigilas. PH. At meo more dormio: hic somnust mihi.
PA. Heus tu, mulier, male mereri de inmerenti inscitia est.
PL. Irascére, si te edentem hic a cibo abigat? PA. Ilicet!
Pariter hos perire amando, video; uterque insaniunt.
Viden', ut misere moliuntur? Nequeunt conplecti satis.
Etiam dispartimini? PL. Nulli est homini perpetuom bonum:
Jam huic voluptati hoc adjunctum est odium. PA. Quid ais, propudium?

171. Ita Junt. Ald. V.: *Est lepida.* 177. Sic eaedem edd. V.: *Q. te proh. herus.* 181. *am.* non magis liquescit quam *sibi* primum 183. 193. Ita Monac. V.: *dispertimini.*

Tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas,
Ebriolae persolla, nugae? Ph. Tun' meam Venerem vituperas?
Quod quidem mihi polluctus virgis servos sermonem serat?
At nae tu hercle id cum cruciatu magna dixisti tuo!
Hem tibi maledictis pro istis: dictis moderari ut queas.
Pa. Tuam fidem, Venus noctuvigila! Ph. Pergin' etiam, verbero?
Pl. Noli, amabo, verberare lapidem: ne perdas manum.
Pa. Flagitium probrumque magnum, Phaedrome, expergefacis:
Bene monstrantem pugnis caedis; hanc amas, nugas meras.
Hoccine fieri, ut inmodestis te hic moderere moribus?
Ph. Auro contra cedo modestum amatorem! a me aurum accipe!
Pa. Cedo mihi contra aurichalco, quoi ego sano serviam!
Pl. Bene vale, ocule mi: nam sonitu et crepitu claustrorum audio
Aedituom aperire fanum. Ph. Quousque....? Pl. Quaeso, ad hunc modum
Inter nos amore utemur semper subrepticio?
Ph. Minume: nam parasitum misi nudius quartus Cariam
Petere argentum; is hodie hic aderit. Pl. Nimium consultas diu.
Ph. Ita me Venus amet, ut ego hoc te triduom nunquam sinam
In domo esse istac, quin ego te liberalem liberem!
Pl. Facito, ut memineris! Tene etiam, priusquam hinc abeo, savium!
Ph. Si quidem hercle mihi regnum detur: nunquam id potius persequar!
Quando ego te videbo? Pl. Hem, istoc verbo vindictam para!
Si amas, eme! ne rogites! facito ut pretio pervincas tuo!
Bene vale! Ph. Jamne ego relinquor? — Pulcre, Palinure, occidi!

196. *Ebriolae persolla*, quae velut ebriae personam induit, quae se pro ebria gerit, sive insanit. Cf. 191. V.: *Ebriola, persolla: nugae*. Sed *persona* per se non est convicium. 197. V.: *serat*. 207. V.: *nam sonitum et crepitum cl. audio, Aedituum ap. f.*, quae non cohaerent; nec placent edd. mediae, in quibus legitur *Aedituumque*. 208. Non elidenda vox *Aed*. 208. sequ. V.: *Quousque, qu., ad h. m.* etc., cui quaestioni puellae non convenit, quod respondet adolescens, *Minime*. Hoc vel quidam simile dicturus erat *Quousque sine te ero*, nisi interpellatus esset a Planesio subirata. Cf. 216. Malo quoque Libri: *utimur*.

PA. Ego quidem, qui et vapulando et somno pereo. PH. Sequere me.

CAPPADOX. PALINURUS.

CA. Migrare certum est jam nunc e fano foras, i. s. II, 1
Quando Aesculapi ita sentio sententiam,
Ut qui me nihili faciat nec salvom velit.
Valetudo decrescit, adcrescit labor:
Nam jam, quasi zona, liene cinctus ambulo;
Geminos in ventre habere videor filios.
Nil metuo, nisi, ne medius disrumpar miser.
PA. Si recte facias, Phaedrome, auscultes mihi
Atque istam exturbes ex animo aegritudinem.
Paves, parasitus quia non rediit Caria?
Adferre argentum credo: nam si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin recipiat se huc esum ad praesepim suam.
CA. Quis hic est, qui loquitur? PA. Quojam vocem ego audio?
CA. Estne hic Palinurus Phaedromi? PA. Qui hic est homo
Cum conlativo ventre atque oculis herbeis?
De forma novi; de colore non queo
Novisse. Jamiam novi: leno est Cappadox.
Congrediar. CA. Salve, Palinure. PA. O scelerum caput,
Salveto. Quid agis? CA. Vivo. PA. Nempe, ut dignus es.
Sed quid tibi est? CA. Lien necat, renes dolent,
Radices cordis pereunt, hirae omnes dolent,
Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur.
PA. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.
CA. Lien dierectust. PA. Ambula: id lieni optumum est.
CA. Facile est miserum inridere. PA. Quin tu aliquot dies
Perdura, dum intestina exputescunt tibi
Nunc, dum salsura sat bona est. Si id feceris:
Venire poteris intestinis vilius.
CA. Aufer, quaeso, ista atque hoc responde, quod rogo.
Potin' conjecturam facere, si narrem tibi,
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?
PA. Vah, solus hic homo est, qui sciat divinitus.
Quin conjectores a me consilium petunt:
Quod eis respondi, ea omnes stant sententia.

241 — 249. Vulgo hoc ordine leguntur: 242, 241, 243, 245, 246 — 248, 244. 249. Libri numeris durissimis: *Aufer istaec, quaeso.*

COCUS. CAPPADOX. PALINURUS. PHAEDROMUS.

Co. Palinure, quid stas? quin depromuntur mihi, i. s. II, 2
Quae opus sunt, parasito ut sit paratum prandium,
Quom veniat? Pa. Mane sis, dum huic conjicio somnium.
Co. Tute ipse, si quid somniasti, ad me refers.
Pa. Fateor. Co. Abi, depromе! Pa. Age, tu interea huic somnium
Narra: meliorem, quam ego sum, suppono tibi:
Nam quod scio, omne ex hoc scio. Ca. Operam ut det. Pa. Dabit.
Ca. Facit hic, quod pauci, ut sit magistrod obsequens,
Da mi igitur operam. Co. Tametsi non novi, dabo.
Ca. Hac nocte in somnis visus sum viderier
Procul sedere longe a me Aesculapium,
Neque eum ad me adire neque me magni pendere
Visum est. Co. Item alios deos facturos scilicet:
Sane illi inter se congruont concorditer.
Nihil est mirandum, melius si nil sit tibi;
Namque incubare satius te fuerat Jovi,
Tibi qui auxilio in jurejurando fuit.
Ca. Si quidem incubare velint, qui perjuraverint:
Locus non praeberi potis est in Capitolio.
Co. Hoc animum advorte. Pacem ab Aesculapio
Petas: ne forte tibi evenat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum est. Ca. Bene facis.
Ibo atque orabo. Ca. Quae res male vortat tibi!
Pa. Proh di inmortales, quem conspicio? qui illic est?
Estne hic parasitus, missus qui est in Cariam?
Heus, Phaedrome, exi, exi, exi, inquam ocius!
Ph. Qui istic clamorem tollis? Pa. Parasitum tuom
Video currentem, ellum, usque in platea ultima.
Hinc auscultemus, quid agat. Ph. Sane censeo.

CURCULIO. PHAEDROMUS. PALINURUS.

Cu. Date viam, noti, atque ignoti dum ego hic officium meum t. t. c. II, 3
Facio! fugite omnes abite, de via secedite:
Ne quem in cursu capite aut cubito aut pectore obfendam aut genu:

271. Sic libri plurimi, merito probante Grutero Suspice. 7, 3. V.: *auxilium.* 275. V.: *eveniat.* 282. Sic plane Guelf. Ceteri quoque vett. fere: *Vide occurentem*, non *Video occurentem*, sicut vulgo non eliditur *currentem.* 285. Sic Langg. V.: *et de v. s.*

Ita nunc subito et propere et celere objectum est mihi negotium;
Nec sit tam opulentus quisquam, qui mi obsistat in via,
Nec strategus nec tyrannus quisquam neque agoranomus
Nec demarchus nec comarchus nec cum tanta gloria,
Quin cadat, quin capite sistat in via de semita!
Tum isti Graeci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui subfarcinati incedunt cum libris, cum sportulis,
Constant, conferunt sermones inter sese drapetae,
Obstant, obsistunt, obcedunt cum suis sententiis;
Quos videas semper lubentes esse in thermopolium,
Ubi quid subripuere (operto capitulo calidum bibunt;
Tristes atque ebrioli abscedunt): eos ego si obfendero,
Ex unoquoque eorum ejiciam crepitum polentarium!
Tum istos, qui ludunt datatim servi scurrarum in via,
Et datores et factores omnes subdam sub solum!
Proinde se domi contineant, vitent infortunio!
Ph. Recte hic monstrat se imperare posse: nam ita nunc mos viget,
Ita nunc servitium est. Profecto modus haberi non potest.
Cu. Ecquis est, qui mihi conmonstret Phaedromum genium meum?
Ita res subita est: celeriter mi hoc homine convento est opus.
Pa. Te ille quaerit. Ph. Quid, si adeamus? Heus, Curculio, te volo!
Cu. Quis vocat? quis nominat me? Ph. Qui te conventum cupit.
Cu. Haud mage cupis, quam ego te cupio. Ph. O mea opportunitas,
Curculio exoptate, salve! Cu. Salve! Ph. Salvom gaudeo
Te advenire! Cedo tuam mihi dexteram! Ubi sunt spes meae?
Eloquere, obsecro, hercle! Cu. Eloquere, te obsecro, hercle, ubi sunt meae?
Ph. Quid tibi est? Cu. Tenebrae oboriuntur, genua inedia succidunt.

287. Sic item Langg. Alibi *et* prius non legitur. 294. Guelf. *inter se trapacite.* An legendum *rapacidae?* 295. Putide libri et hic et 298.: *incedunt.* Lepida est agnominatio in verbis *ob*stant, *ob*sistunt, *ob*cedunt. 296. Ita Lipsii liber, Helmstad. et vett. edd. apud. Acid. Divinatt. p. 112. V.: *Q. v. s. bibentes e in thermopolio.* 299. Sic magna pars librorum. V.: *exciam.* 300. Sic Langg. probante Guilielmio in Quaestionibus. 305. *Possit* vulgatum emendavit Douza Centur. 312. Ita Guelf. V. posterius *hercle* non legitur.

Ph. Lassitudine hercle, credo. Cu. Retine, retine me, obsecro!
Ph. Vide, ut expalluit! datin' isti sellam, ubi adsidat, cito
Et aqualem cum aqua? properatin' ocius? Cu. Animo male est.
Ph. Vin' aquam? Cu. Si frustulenta est: da obsecro, hercle: obsorbeam.
Ph. Vae capiti tuo! Cu. Obsecro hercle, facite, ventum ut gaudeam.
Ph. Maxume. Cu. Quid facitis, quaeso? Pa. Ventum. Cu. Nolo equidem mihi
Fieri ventulum. Ph. Quid igitur? Cu. Esse, ut ventum gaudeam.
Ph. Jupiter te dique perdant! Cu. Perii, prospicio parum;
Osmarum habeo dentis plenos; lippiunt fauces fame;
Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus.
Ph. Jam edes aliquid. Cu. Nolo hercle aliquid; certum quam aliquid mavolo.
Ph. Imo si scias, reliquiae tibi quae sint .... Cu. Scire nimis lubet.
Ubi sient: nam illis conventis sane opus est meis dentibus.
Ph. Pernam, abdomen, sumen sueris, glandium. Cu. Ain' tu omnia hic?
In carnario fortasse dicis. Ph. Imo in lancibus;
Quae tibi sunt parata, postquam scimus venturum. Cu. Vide,
Ne me ludas. Ph. Ita me amabit, quam ego amo, ut haud ego mentior.
Sed quod te misi, nihilo sum certior. Cu. Nihil attuli.
Ph. Perdidisti me! Cu. Invenire possum, si mi operam dabis.
Postquam tuo jussu profectus sum: perveni in Cariam;
Video tuom sodalem; argenti rogo uti faciat copiam.
Scires, velle gratiam tuam: noluit frustrarier,
Ut decet velle hominem amicum amico atque opitularier:
Mihi respondit paucis verbis atque adeo fideliter,
Quod tibi esset, item sibi esse, magnam argenti inopiam.
Ph. Perdis me tuis dictis! Cu. Imo servo et servatum volo.

322. Libri nec perspicua sententia et nullis numeris: *Os amarum* habeo. *Osmarum*, ὀσμῶν, nidorum cibi varii, quorum nidorum plenos dentes suos dicit per ridiculum. Scatet hic noster graecis. 325. Helmstad.: *quae sint tibi*. V. *tibi*. desideratur. 327. *sueris*. Hoc versus poscit Cf. Carbonariae fragm. 2. etc. V.: *suis*, quae est interpretatio. 330. Ita Helmstad. V.: *ego haud*. 331. *quod*, ob quod. Male libri: *quo*. 332. Sic libri non pauci. V.: *possim*. Legitur quoque *datis*, sed *dabis* recte in Junt. Ald. etc. Uno Phaedromo hic opus esse, monet Gruter. Suspicc. 7, 3. 338. *magnam* non liquescit.

Postquam mihi responsum est: abeo ab illo moestus ad forum,
Frustra med illo advenisse. Forte adspicio militem,
Adgredior hominem, saluto, adveniens. Salve, inquit, mihi,
Prendit dexteram, seducit, rogat, quid veniam Cariam. as t. d. i. d.
Dico, me illo advenisse animi causa. Ibi me interrogat. t. t. c.
Ecquem in Epidauro trapezitam Lyconem noverim?
Dico, me novisse. — Quid lenonem Cappadocem? — Adnuo,
Visitasse. Sed quid eum vis? — Quia de illo emi virginem
Mnis triginta, vestem, aurum. Et pro his decem coaccedunt minae. — as. t. d. i. d.
Dedisti tu argentum? inquam. — Imo apud trapezitam situm est i. t.
Illum, quem dixi, Lyconem; atque ei mandavi, qui anulo t. t. c.
Meo tabellas obsignatas attulisset, ut daret
Operam, ut mulierem a lenone cum auro et veste abduceret.
Postquam hoc mihi narravit: abeo ab illo; revocat me eloco,
Vocat ad coenam; religio fuit: denegare nolui.
Quid, si abeamus, decumbamus? inquit. Consilium placet.
Neque diem decet morari, neque nocti nocerier.
Omnis res parata est et nos, quibus paratum est, adsumus.
Postquam coenati atque adpoti: talos poscit sibi in manum;
Provocat me, in aleam ut ego ludam. Pono pallium;
Ille suom anulum opposivit, invocat Planesium.
Ph. Meosne amores? Cu. Tace parumper. Jacit volturios quatuor. as. t. d. i. d.
Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem, t. t. c.
Iacto basilicum, propino magnum poclum; ille ebibit,
Caput deponit, condormiscit; ego ei subduco anulum, i. t.
Deduco pedes de lecto clam ne miles sentiat; t. t. c.
Rogitant me servi, quo eam; ego me dico ire, quo saturi solent; i. t.

343. V.: *Prehendit dextram.* 348. Ita Guelf., liber Meurs. et edd. mediae. Monac. et olim cusi: *his.* V.: *Trig. minis, v., a., et pro iis d. c. m.* 351. Sic bene multi scripti, in his Guelf. et Monac., et vett. edd. V.: *tabulas*, quod non quadrat in versum. 355. Itidem ἀμέτρως libri: *ac* (vel *et*, ut Guelf.) *decumb.* 360. Sic Douza Centur. V.: *opposuit.* 366. Guelf.: *Rogitant*; Monac.: *ego me.* V.: *Rogant m. s., q. eam? me d. i., q. s. s.*

Ostium ubi conspexi: exinde me eloco protinam dedi. t. t. c.
Ph. Laudo. Cu. Laudato, quando illud, quod cupis, ecfecero.
Eamus nunc intro: ut tabellas consignemus. Ph. Non moror. i. t.
Cu. Atque aliquid prius obtrudamus, pernam, sumen, glandium.
Haec sunt ventri stabilimenta, pane et assa bubula,
Poculum grande, aula magna: ut satis consilia suppetant.
Tu consignato tabellas; hic ministrabit; ego edam:
Dicam, quemadmodum conscribas. Sequere me hac intro.
Ph. Sequor.

LYCO. CURCULIO. PUER. LENO.

Ly. Beatus videor: subduxi ratiunculam, i. s. III,
Quantum aeris mihi sit quantumque alieni siet:
Dives sum, si non reddo eis, quibus debeo.
[Si reddo eis, quibus debeo, plus alieni est.]
Verum hercle vero viros convellere cogito,
Si mage me instabunt: ad praetorem sufferam.
Habent hunc morem plerique argentarii,
Ut alius alium poscant, reddant nemini,
Pugnis rem solvant, si quis poscat durius.
Mature qui quaesivit homo pecuniam,
Nisi eam mature parsit, mature esurit.
Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius
Nunc mihi quaeratur: usus est pecunia.
Cu. Nil tu me saturum monueris: memini et scio.
Ego hoc ecfectum lepide tibi tradam! Tace.
Edepol nae ego hic med intus explevi probe
Et quidem reliqui in ventre cellae uni locum,
Ubi reliquiarum reliquias reconderem.

368. *cupis* a cupire, quod extat apud Lucretium, monente etiam Nonio. 371. *pane* (pro *panis*, prisce) MS. Meursii, Mediol. a. 1500. Junt. Argent. a. 1514., item Charis. Institutt. gramm. 1. p. 69. Putsch., Non. 3. n. 161. Cf. Meurs. Exercitatt. crit. in Curc. c. 2. V.: *panem.* 373. Sic libri plurimi antiqui. V.: *Tute tab. cons. Minist.* extrito i. primo legendum est, *ego* non elidendum. 377. Uncis inclusa et ἄμετρα sunt, quamvis, scriptis obtemperans, *siet* legas pro *est*, et ab ineptissimo homine adscripta: nam si quis reddat creditoribus, quod debet, quid ei tum aeris alieni? 378. Vett. fere: *V. h. v. convellere cog.* Helmstad.: *V. h. enim non conv. c.* V. secundum Guil.: *V. h. v. cum belle recogito.* 382. Sic libri vett. praeter cod. Camer. et Langg., qui: *clarius*, sicut vulgo.

Quis hic est, operto capite qui Aesculapium
Salutat? Attat, quem quaerebam! Sequere me.
Simulabo, quasi non noverim. Heus tu! te volo.
Ly. Unocule, salve. Cu. Quaeso, deridesne me?
Ly. De Coclitum prosapia te esse arbitror:
Nam ii sunt unoculi. Cu. Catapulta hoc ictum est mihi
Apud Sicyonem. Ly. Nam quid id refert mea,
An aula quassa cum cinere ecfossus siet?
Cu. Superstitiosus hic quidem est: vera praedicat:
Nam illaec catapultae ad me crebro conmeant.
Adulescens, ob rempublicam hoc ictum est mihi
Quod insigne habeo; quaeso ne me incomities.
Ly. Licet inforare, si incomitiare haud licet?
Cu. Non inforabis me quidem nec mihi placens
Tuom profecto nec forum nec comitium.
Sed hunc, quem quaero, conmonstrare si potes,
Inibis a me solidam et grandem gratiam.
Trapezitam ego Lyconem quaero. Ly. Dic mihi,
Quid eum nunc quaeris, aut quojatis. Cu. Eloquar.
Ab Therapontigono Platagidoro milite.
Ly. Novi edepol nomen: nam mihi istoc nomine,
Dum scribo, explevi totas ceras quatuor.
Sed quid Lyconem quaeris? Cu. Mandatum est mihi,
Ut has tabellas ad eum ferrem. Ly. Quis tu homo es?
Cu. Libertus illius, quem omnes Summanum vocant.
Ly. Summane, salve. Qui Summanus, fac sciam.
Cu. Quia vestimenta, ubi obdormivit ebrius,
Summano; ob eam rem me omnes Summanum vocant.
Ly. Alibi te meliust quaerere hospitium tibi:
Apud me profecto nihil est Summano loci.
Sed istum, quem quaeris, ego sum. Cu. Quaeso, tune is es.
Lyco trapezita? Ly. Ego sum. Cu. Multam me tibi
Salutem jussit Therapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me jussit. Ly. Mihin'! Cu. Ita.
Cape; signum nosce. Nostin'? Ly. Quidni noverim,
Clypeatus elephantum ubi machaera dissicit?
Cu. Quod istic scriptum est, id te orare jusserat
Profecto ut faceres, suam si velles gratiam.
Ly. Concede: inspiciam, quid sit scriptum. Cu. Maxume,
Tuo arbitratu, — dum auferam abs te id, quod peto.

402. V.: *hoc intus mihi.* 404. Libri ἀμέτρως: *Licetne inf., si incom. non l.?* 418. Ita Scal. V.: *obdormivi.*

Ly. „Miles Lyconi in Epidauro hospiti
Suo Therapontigonus Platagidorus plurimam
Salutem dicit. Cu. Meus hic est: hamum vorat!
Ly. „Tecum oro et quaeso, qui has tabellas adferet
Tibi, ut ei detur, quam istic emi virginem
(Quod te praesente isti egi teque interprete)
Et aurum et vestem. Scis, uti convenerit.
Argentum des lenoni, huic des virginem.“
Ubi ipsus? cur non venit? Cu. Ego dicam tibi.
Quia nudius quartus venimus indu Cariam
Ex India: ibi nunc statuam volt dare auream
Solidam faciundam ex auro Philippeo, quae siet
Septempedalis, factis monumetum suis.
Ly. Quamobrem istuc? Cu. Dicam. Quia enim Persas, Paphlagonas,
Synopeas, Arabas, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam et Perbibesiam,
Centauromachiam et Classiam Unomammiam,
Libyamque et oram omnem Conterebromiam,
Dimidiam partem nationum usque omnium,
Subegit solus intra viginti dies.
Ly. Vah! Cu. Quid mirare? Ly. Quia enim in cavea si forent
Conclusi, itidem ut pulli gallinacei,
Ita non potuere uno anno circumirier.
Credo hercle, te esse ab illo: nam ita nugas blatis.
Cu. Imo etiam porro, si vis, dicam. Ly. Nil moror.
Sequere hac: te absolvam, qua advenisti gratia.
Atque eccum video. Leno, salve. Le. Di te ament.
Ly. Quid hoc, quod ad te venio? Le. Dicas, quid velis.
Ly. Argentum accipias, cum illo mittas virginem.
Le. Quid, quod juratus sum? Ly. Quid id refert tua.
Dum argentum accipias? Le. Qui monet, quasi adjuvat.
Sequimini. Cu. Leno, cave mihi sit in te mora!

432. Nomina *Lyc.* et *Epid.* non liquescunt. 437. V. *istic*, corrupto versu. Guelf. *atque* pro *teque*. 438. Ita scripti nostri, nisi quod habent *ut* vulgatum. Alibi legitur: *jam scis, ut c.* 441. V.: *in Car.* Poscit versus antiquam formam. 449. *oram omnem Cont.*, omnes terras, in quibus Bromius, h. e. vinum, conteritur, terras vini feraces. 453. *Conclusi* non est elidendum. 455. *nam* non est ex usu Plauti in hoc genere, et abesse potest τῷ *illo* non eliso, vel scripto *illoc*.

CHORAGUS.

Edepol nugatorem lepidum lepide hunc nactust Phaedromus. t. t. c. IV, 1.
Kalophantam hunc an sycophantam mage dicam esse, nescio.
Ornamenta, quae locavi, metuo ut possim recipere.
Quanquam cum istoc mihi negoti nihil est: ipsi Phaedromo
Credidi; tamen adservabo. Sed dum hic egreditur foras,
Conmonstrabo, quo in quemque hominem facile inveniatis loco:
Ne nimio opere sumat operam, si quem conventum velit,
Vel vitiosum vel sine vitio, vel probum vel inprobum.
Perjurum hominem convenire qui volt, mitto in comitium;
Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinae sacrum.
Ditis damnosos maritos sub Basilica quaerito.
Ibidem erunt scorta exoleta, quique stipulari solent.
Symbolarum conlatores apud forum piscarium.
In foro infimo boni homines atque dites ambulant.
In medio propter Canalem, ibi ostentatores meri.
Confidentes garrulique et malevoli supra Lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipsi sat habent quod ipsis vere possit dicier.
Sub Veteribus, ibi sunt, qui dant quique accipiunt foenori.
Castoris pone aedem, ibi sunt, subito quibus credas male.
Tusco in vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.
In Velabro vel pistorem, vel lanium, vel haruspicem,
Vel qui ipsi vortant, vel, quae aliis subvorsentur, praebeant.
[Ditis damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam.]
Sed interim fores crepuere: linguae moderandum est mihi. i. t.

465. Sic fere MSS., h. e. χρηστολόγον, cujus honesta quidem dicta, sed a factis discrepantia, ut explicat Alciat. παρέργων 11, 4. V.: *Halophantam.* Guelf.: *alophantam.* Monac.: *Ralophantam.*
486. *quae aliis subv.*, quae ab aliis subv., quae alii tanquam sub ipsis vertant ac mutent, ut alibi *suppromus* dicit et *subballio* et *sublingio.* Cf. Gronov. ad h. l. V.: *qui alii subv.* Uncis inclusa non ab eodem profecta esse possunt, a quo versus 474.

CURCULIO. CAPPADOX. LYCO.

Cu. I tu prae, virgo: non queo, quod pone me est, servare. i. t. o. IV, 2.
Et aurum et vestem omnem suum esse aibat, quidquid haec haberet.
Ca. Nemo iit inficias. Cu. Attamen meliusculum est monere.
Ly. Memento promisisse te, si quisquam hanc liberali
Causa manu adsereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta. Ca. Meminero; de istoc quietus esto:
Et nunc idem dico. Cu. Et volam ego haec te conmeminisse.
Ca. Memini et mancupio tibi dabo. Cu. Egon' ab lenone quidquam
Mancupio accipiam, quibus sui nihil est, nisi una lingua,
Qui abjurant, si quid creditum est? Alienos mancupatis,
Alienos mittitis manu, alienisque imperatis;
Nec vobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli.
Item genus est lenonium inter homines meo quidem animo,
Ut muscae culices cimices pedesque pulicesque:
Odio et malo et molestiae, bono usui estis nulli;
Nec quisquam vobiscum in foro frugi consistere audet:
Qui constitit, culpant eum, conspuitur, vituperatur,
Eum rem fidemque perdere, tametsi nil fecit, ajunt.
Ly. Edepol lenones meo animo novisti, lusce, lepide.
Cu. Eodem hercle vos pono et paro: parissumi estis hibus.
Hi saltem in occultis locis prostant: vos in foro ipso;
Vos foenore, hi malo suadendo et lustris lacerant homines.
Rogitationes plurimas propter vos populus scivit,
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam.
Quasi aquam ferventem frigidam esse, ita vos putatis leges.
Ly. Tacuisse mavellem. Ca. Haud male meditate maledicax es.
Cu. Indignis si male dicitur, maledictum id esse dico;
Verum si dignis dicitur, benedictum est meo quidem animo.
Ego mancipem te nil moror nec lenonem alium quemquam.

490. V.: *it.* 494. Non liquescit *volam.* 501. Abest vulgo *cimices*, neglectum illud haud dubie propter simile, quod praecedit, *culices;* sed habetur in ed. Argent. a. 1514. et apud Fest. p. 331. ed. Dacer. 507. Sic libri plurimi Plautini, item Charis. et Priscian. pagg. 40. et 961. Putsch. V.: *iibus.* 509. V.: *male.* 513. Ita codd. bene multi, ut legendum viderat Scal. V.: Ca. *au! male* etc.

Lyco, numquid vis? Ly. Bene vale. Cu. Vale. Ca. Heus tu: tibi ego dico.
Cu. Eloquere, quid vis. Ca. Quaeso, ut hanc cures, bene ut sit isti.
Bene ego istam eduxi meae domi et pudice. Cu. Si hujus miseret:
Ecquid das, qui bene sit? Ca. Malum. Cu. Hoc tibi opust, qui te procures.
Ca. Quid, stulta, ploras? Ne time; bene ego hercle vendidi te.
Fac, sis, bonae frugi sies! Sequere istum, bella, belle!
Ly. Summane, numquid nunc iam me vis? Cu. Vale atque salve:
Nam et operam et pecuniam benigne praebuisti.
Ly. Salutem multam dicito patrono. Cu. Nuntiabo.
Ly. Numquid vis, leno? Ca. Istas minas decem, qui me procurem,
Dum melius sit mihi, des. Ly. Dabuntur; cras peti jubeto.
Ca. Quando bene gessi rem, volo hic in fano supplicare:
Nam illanc minis olim decem puellam parvolam emi;
Sed eum, qui mi illam vendidit, nunquam postilla vidi;
Periisse credo. Quid id mea refert? ego argentum habeo.
Quoi homini di sunt propitii, lucrum ei profecto objiciunt.
Nunc re divinae operam dabo. Certum est bene me curare.

THERAPONTIGONUS. LYCO.

Th. Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia, t. t. c. IV, 3.
Sed eapse illa, qua excidionem facere condidici oppidis.
Nunc nisi tu mihi propere properas dare jam triginta minas,
Quas ego apud te deposivi, vitam propera ponere!
Ly. Non edepol nunc ego mediocri te macto infortunio,
Sed eopse illo, quo mactare soleo, quoi nil debeo.
Th. Ne te mihi facias ferocem aut supplicare censeas!
Ly. Nec tu me quidem unquam subiges, redditum ut reddam tibi,
Nec daturus sum! Th. Idem ego istuc, quom credebam, credidi,

521. Ita Guelf. V.: *bene hercle v. ego te.* 524. *op.* non liquescit, neque opus legi secundum edd. medias *operam mi et.* 527. Sic edd. vett. V.: *D. m. fit mihi.* 551. Guelf.: *Quid mea ref.?* 536. Friget *jam*, neque legitur in edd. mediis. Legendum censeo: *N. n. tu m. p. properas danere tr. m.*

Te nihil esse redditurum. Ly. Cur nunc a me igitur petis?
Th. Scire volo, quoi reddidisti. Ly. Lusco liberto tuo;
Is Summanum se vocari dixit; eji reddidi,
Qui has tabellas obsignatas attulit. Th. Quas tu mihi tabulas, t. t.
Quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos somnias? t. t. c.
Nec mihi quidem libertus ullus est. Ly. Facis sapientius, i. t.
Quam pars latronum, libertos qui habent et eos deserunt. t. t. c.
Th. Quid fecisti? Ly. Quod mandasti, feci honoris gratia,
Tuom qui signum ad me attulisset, nuntium ne spernerem. i. t.
Th. Stultior stulto fuisti, qui his tabellis crederes.
Ly. Quis res publica et privata geritur, nonne iis crederem?
Ego abeo: tibi res soluta est recte. Bellator, vale.
Th. Qui valeam? Ly. At tu aegrota, si vis, per med aetatem quidem.
Th. Quid ego nunc faciam? quid refert me fecisse regibus,
Ut mi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit?

CAPPADOX. THERAPONTIGONUS.

Ca. Quoi hominum di sunt propitii, ei non esse iratos puto. t. t. c. IV, 4.
Postquam rem divinam feci: venit in mentem mihi,
Ne trapezita exulatum abierit, argentum ut petam:
Ut ego potius comedim, quam ille. Th. Jusseram salvere te.
Ca. Therapontigone Platagidore, salve! Salvos quom advenis
In Epidaurum: hic hodie apud me — nunquam delinges salem.
Th. Bene vocas; verum vocata res est, ut male sit tibi.
Sed quid agit meum mercimonium apud te? Ca. Nil apud me quidem
(Ne facias testis), neque equidem debeo quidquam. Th. Quid est?
Ca. Quod fui juratus, feci. Th. Reddin', an non, virginem,
Priusquam te huic meae machaerae obicio, mastigia?
Ca. Vapulare ego te vehementer jubeo. Ne me terrrites!
Illa abducta est; tu auferere hinc a me, si perges mihi

545. V.: *ei*. 552. Sic nostri MSS. V.: *iis*. 555. Insulse libri: *Quid val.? Sed vis* edd. mediae, quemadmodum *si* et *sed* commutari inter se solent. Monae.: *si vivis*. Helmstad. et vett. edd.: *si vives*. V.: *si lubet*. Cf. 148. 558. Ita Guelf. et Pal. 2. V.: *homini*. 562. Sic plerique libri. V.: *Therapontigonoplatagidore*, quasi hoc unum sit nomen. Cf. 411, 424, 433.

Male loqui, profecto, quoi ego nisi malum nil debeo!
Th. Mihin' malum minitare? Ca. Atque edepol non minitabor, sed dabo, i. t.
Mihi molestus si esse perges! Th. Leno minitatur mihi, t. t. c.
Meaeque pugnae proeliares plurimae obtritae jacent?
At ita me machaera et clypeus bene juvent pugnantem in acie, t. t.
Nisi mihi virgo redditur: t. d. c.
Jam ego te faciam ut hic formicae frustillatim differant! t. t. c.
Ca. At ita me volsellae, pecten, speculum, calamistrum meum
Bene amassint meaque axicia linteumque extersui,
Ut ego tua magnifica verba neque istas tuas magnas minas
Pluris non facio, quam ancillam meam, quae latrinam lavat.
Ego illam reddidi, qui argentum a te attulit. Th. Quis is est homo? i. t.
Ca. Tuom libertum sese ajebat esse Summanum. Th. Meum?
Attat, Curculio hercle verba mihi dedit, quom cogito: t. t. c.
Is mihi anulum subripuit. Ca. Perdidistin' tu anulum?
Miles, pulcre centuriatus es expuncto in manipulo!
Th. Ubi nunc Curculionem inveniam? Ca. In tritico facillume
Vel quingentos curculiones pro uno faxo reperies.
Ego abeo. Vale atque salve. Th. Male vale! male sit tibi! —
Quid ego faciam? maneam an abeam? Siccine mi os esse oblitum?
Cupio dare mercedem, qui illunc, ubi sit, conmonstret mihi!

CURCULIO.

Antiquom audivi poëtam scripsisse in tragoedia: t. t. c. V, 1.
Mulieres duas pejores esse, quam unam. Res ita est;
Verum mulierem pejorem, quam haec amica est Phaedromi,
Non vidi neque audii, neque pol dici nec fingi potest
Pejor, quam haec est: quae ubi me habere hunc conspicata est anulum,
Rogat, unde habeam. — Quid tu id quaeris? — Quia mihi quaesito est opus. —

573. Sic vett. edd. V.: *pergis.* 579. Frustra libri: *Bene me am. Bene* non eliditur. Palmer. Spicilegii sub initium: *extersui*, et recte. V.: *extersum.* 586. Sic. edd. mediae. V.: *est.* 588. Sic Helmstad. et Monac. V.: *reperias.* 595. *audii* contrahendum in δισύλλαβον V.: *audivi.*

Nego, me dicere. Ut eum eriperet, mordicus arripuit manum.
Vix foras me abripui atque ecfugi. Apage istanc caniculam!

PLANESIUM. PHAEDROMUS. CURCULIO. THERAPONTIGONUS.

Pl. Phaedrome, propera... Ph. Quid properem? Pl. Parasitum ne amiseris! t. t. c. V. 2
Magna res est! Ph. Nulla est mihi: nam, quam habui, adsumsi celeriter.
Teneo: quid negoti est? Pl. Rogita, unde istunc habeat anulum.
Pater istunc meus gestitavit. Cu. At pol mea matertera!
Pl. Mater ei utendum dederat. Cu. Pater ejus rursum mihi!
Pl. Nugas garris. Cu. Soleo: nam propter eas vivo facilius.
Quid nunc? Pl. Obsecro, parentes ne meos mihi prohibeas!
Cu. Quid ego? sub gemman' abstrusos habeo tuam matrem et patrem?
Pl. Libera ego sum nata. Cu. Et alii multi, qui nunc serviunt.
Pl. Enimvero irascor. Cu. Dixi equidem tibi, unde ad me hic pervenerit. i. t.
Quotiens dicundum est? Elusi militem, inquam, in alea. t. t. c.
Th. Salvos sum: eccum, quem quaerebam! Quid agis, bone vir? Cu. Audio.
Si vis tribus bolis, vel in chlamydem. Th. Quin tu is in malam crucem
Cum bolis, cum bullis? Reddin' etiam argentum aut virginem?
Cu. Quod tu argentum, quas mihi tricas narras? quam tu virginem
Me reposcis? Th. Quam ab lenone abduxisti hodie, scelus viri.
Cu. Nullam abduxi. Th. Certe eccistam video. Ph. Virgo haec libera est.

602. *Teneo.* vett., non *Tene*, sicut vulgo. 603. Ita Junt. et Argent. a. 1514. V. *pol* non legitur, hiante quidem versu. 604. V.: *M. ei ut. d.* Cu. *P. tuus r. tibi.* Langg.: *Pater ejus. Mihi* legendum esse, subsensit Taubm. Non semel mixta haec pronomina. 606. Soloece et ἀμέτρως legitur: *parentesne m. m. p.?* 610. Ita nostri MSS., vett. edd., Par. V.: *Quoties.* 613. *bolis* fore vett. V.: *boletis.* *Reddin'* pro *Redde* vulgato dedit Douza.

Th. Mean' ancilla libera ut sit, quam ego nunquam emisi manu?
Ph. Quis tibi hanc dedit mancupio aut unde emisti? fac sciam.
Th. Ego quidem pro istac rem solvi ab trapezita meo.
Quam ego pecuniam quadruplicem abs te et lenone auferam!
Ph. Qui scis mercari furtivas atque ingenuas virgines,
Ambula in jus! Th. Non eo. Ph. Licet antestari? Th. Non licet.
Ph. Jupiter te male disperdat! intestatus vivito!
Cu. At ego, quem licet, te . . . . Ph. Accede huc. Th. Servom antestari? vide!
Cu. Hem, ut scias, me liberum esse! Th. Ergo ambula in jus! hem tibi!
Cu. O cives, cives! Th. Quid clamas? Ph. Quid tibi istum tactio est?
Th. Quia mihi lubitum est! Ph. Accede huc, tu! Ego illum tibi dedam; tace.
Cu. Phaedrome, obsecro, serva me! Ph. Tanquam me: genium meum.
Miles, quaeso, uti mihi dicas, unde illum habeas anulum,
Quem parasitus hic te elusit. Pl. Per tua genua te obsecro,
Ut nos facias certiores! Th. Quid istuc ad vos attinet? as. t. d. i. d.
Quaeratis chlamydem et machaeram hanc, unde ad me pervenerit! i. t.
Cu. Ut fastidit gloriosus! Th. Mitte istum: ego dicam omnia. t. t. q.
Cu. Nihil est, quod illic dicit. Pl. Fac me certiorem, te obsecro! i. t.
Th. Ego dicam. Surge! Hanc rem agite atque animum advortite! i. s.

619. *pro* non liquescit. Idem monendum de vocabulo *quadr.* sequente versu. 621. V.: *scias.* Sed multi vett. *scies*, h. e. scis. 622. Sic vett. V.: *Licet te ant.?* Curculioni haec Phaedromus, quem antestari posse negat miles propterea quod servus sit. Cf. Horat. Sat. 1, 9, 76. 623. Sic Argent. a. 1514. V.: *perdat.* 625. *hem tibi* Guelf. Helmstad. et vett. edd. V.: *heus tibi.* Sed *Hem* verberantis est, non *Heus.* 628. Male libri: *Tanqu. me et gen. m.* 631. *chlam.* non est elidendum. 634. Sic vett. V.: *N. e. quicquid ille dicit.* 634. Versus quidem hic erit etiam absque pronomine, quod inserui; sed numeri erunt paulo debiliores.

Pater meus habuit Periphanes, Planesium.
Is, priusquam moritur, mihi dedit, tamquam suo,
Ut aequom fuerat, filio . . . . Pl. Proh Jupiter!
Th. Et isti heredem me facit. Pl. Pietas mea,
Serva me, quando ego te servavi sedulo!
Frater mi, salve! Th. Qui istuc ego credam? Cedo,
Si vera memoras, quae fuit mater tua?
Pl. Cleobula. Th. Nutrix quae fuit? Pl. Archestrata.
Ea me spectatum tulerat per Dionysia.
Postquam illo ventum est jam, ut me conlocaverat:
Exoritur ventus turbo; spectacla ibi ruont;
Ego pertimesco: tum ibi me nescio qui arripit
Timidam atque pavidam, nec vivam nec mortuam;
Nec, quo me pacto abstulerit, possum dicere.
Th. Memini, istanc turbam fieri. Sed tum dic mihi,
Ubi is est homo? qui te subripuit? Pl. Nescio;
Verum hunc servavi semper mecum una anulum.
Cum hoc olim perii. Th. Cedo, ut inspiciam. Cu. Sanan' es,
Quae isti conmittas? Pl. Sine modo. Th. Proh Jupiter,
Hic est, quem ego tibi misi natali die.
Tam facile novi, quam me. Salve, mea soror!
Pl. Frater mi, salve! Ph. Deos volo bene vortere
Istanc rem vobis! Cu. At ego nobis omnibus:
Tu ut hodie adveniens caenam des sororiam;
Hic nuptialem cras dabit. Promittimus.
Ph. Tace tu! Cu. Non taceo, quando res vortit bene.
Tu istanc desponde huic, miles: ego dotem dabo.
Th. Quid dotis? Cu. Egone? Ut semper, dum vivat, me alat.
Th. Verum hercle dico: me lubente feceris.
Et leno hic debet nobis triginta minas.
Ph. Quamobrem istuc? Th. Quia ille ita repromisit mihi,
Si quisquam hanc liberali adseruisset manu,
Sine controversia omne argentum reddere.
Ph. Nunc eamus ad lenonem. Th. Laudo. Ph. Hoc prius volo,
Meam rem, agere. Th. Quid id est? Ut mihi hanc despondeas.
Cu. Quid cessas, miles, hanc huic uxorem dare?
Th. Si haec volt. Pl. Mi frater, cupio. Th. Fiat. Cu. Bene facis.

636. V., ex Acidalii sententia: *P. m. h. P.* Pl. *Periphanes?* 639. V.: *Et iste h. me. fecit.* Guelf.: *facit.* 646. Sic, teste Pareo, Camerarii liber vetus. V.: *spectacula.* 647. κακομέτρως libri: *nescio quis.* 650. V.: *Meministin' hanc t. f.?* Helmstad. et vett. edd.: *Meministi.* Emendavit Guil. Quaest. in Curc. c. 4. 658. Ita Guelf. V.: *Et ego.* 661. V.: Ph. *Prom.* Correxit Acid.

Ph. Spondesne, miles, mi hanc uxorem? Th. Spondeo.
Cu. Et ego hunc alumnum spondeo. Th. Lepide facis.
Sed eccum lenonem, incedit, thesaurum meum.

CAPPADOX. THERAPONTIGONUS. PHAEDROMUS. PLANESIUM.

Ca. Argentariis male credi qui ajunt, nugas praedicant: t. t. c. V, 3
Nec bene nec male credi dico: id adeo ego hodie expertus sum:
Non male creditur, qui nunquam reddunt, sed prorsum perit.
Velut decem minas dum hic solvit, omnis mensas transiit; i: t.
Postquam nil fit, clamore hominem posco; ille in jus me vocat; t. t. c.
Pessume metui, ne mi hodie apud praetorem solveret;
Verum amici conpulerunt: reddit argentum domo.
Nunc domum properare certum est. Th. Heus tu, leno, te volo.
Ph. Et ego te volo. Ca. At ego vos nolo ambos. Th. Sta, sis, eloco
Atque argentum propere propera vomere! Ca. Quid tecum est mihi aut
Tecum autem? Th. Hodie ex te quia faciam pilum catapultarium,
Ac quia te nervo torquebo itidem ut catapultae solent.
Ph. Deligatum te hodie faciam cum catello ut adcubes;
Ferreum ego dico. Ca. At ego vos ambo in robusto carcere
Ut pereatis! Th. Collum obstringe! abduce istum in malam crucem!

674. Libri corrupte: *Et e. hoc idem unum sp.* Acidalius haud nolebat legi: *Et ego huic cibum una sp.* 677. Inepte libri: *Nam et bene et male cr. d.* Suaserat Lamb.: *Nam nec b. nec male c. d.* Sed idem hic tenor sententiae: ergo nec mutandum metrum. 679. *hic* legitur in edd. mediis. 685. sequ. Libri fero: *Quid mecum est tibi? Aut tecum? aut?* Th. *quia* etc. Helmst.: *autem.* V. quoque: *quia ego ex te hod. fac. p. c.* Sed ego non legitur in multis libris. 687. Libri ταυτολογικῶς: *Atque ita te* etc. 688. V.: *Delicatum.* Dictum hoc prisca ratione pro eo, quod est. *Faciam ut hodie accubes cum catello deligatus.* 689. V.: *Ferrea.*

Ph. Quidquid est, ipse ibit potius. Ca. Proh deum atque hominum fidem,
Hoccine pactod indemnatum atque intestatum me abripi?
Obsecro, Planesium, et te, Phaedrome, auxilium ut feratis! t. t.
Pl. Frater, obsecro te, noli hunc indemnatum perdere! t. t. c.
Bene et pudice me domi habuit. Th. Haud voluntate id sua: i. t.
Aesculapio huic habeto, quom pudica es, gratiam: t. t. c.
Nam is si valuisset, jampridem, quoquo posset, mitteret.
Ph. Animum advortite, si potissum hoc inter vos conponere.
Mitte istunc! Accede huc, leno! Dicam meam sententiam,
Si quidem voltis, quod decrero, facere. Th. Tibi permittimus.
Ca. Dum quidem hercle ita judices, ne quisquam a me argentum auferat.
Th. Quodne promisti? Ca. Promisi? qui? Ph. Lingua. Ca. Eadem nunc nego. as. t. d. i. d.
Dicundi haec, non rem perdundi, gratia nata est mihi. t. t. c.
Th. Nihil agit: collum obstringe homini! Ca. Jamiam, faciam, ut jusseris.
Th. Quando vir bonus es, responde, quod rogo. Ca. Roga, quod lubet.
Th. Promistin', si liberali quisquam hanc adsereret manu,
Te omne argentum redditurum? Ca. Non conmemini dicere.
Th. Quid? negas? Ca. Nego hercle vero. Quo praesente? quo in loco?
Th. Me ipso praesente et trapezita Lycone. Ca. Non taces?
Th. Non taceo. Ca. Non ego te flocci facio, ne me territes.
Th. Me ipso praesente et Lycone factum est. Ph. Satis credo tibi.
Nunc adeo, ut tu scire possis, leno, meam sententiam:
Libera haec est; hic hujus frater est, haec autem illius soror; as. t. d. i. d.
Haec mihi nubet: tu huic argentum redde! Hoc judicium meum est.
Th. Tu autem in nervo jam jacebis, nisi mi argentum redditur.
Ca. Hercle istanc rem judicasti perfidiose, Phaedrome.

691. V.: *Quid? quid est?* 693. Ita Helmstad. et Monac. V.: *feras.* 694. Sic MSS. Frising. Meurs. et Guelf., item edd. mediae. V.: *condemnatum.* 702. Libri κατωμέτρως: *Qui promisi?*

Et tibi oberit, et te, miles, di deaeque perduint!
Tu me sequere! Th. Quo sequar ego te? Ca. Ad trapezitam meum,
Ad praetorem: nam inde rem solvo omnibus, quibus debeo.
Th. Ego te in nervom, haud ad praetorem, hinc rapiam, ni argentum refers!
Ca. Ego te vehementer perire cupio, ne me nescias!
Th. Itane vero? Ca. Ita hercle vero! Th. Novi ego hos pugnos meos.
Ca. Quid tum? Th. Quid tum? rogitas? Hisce ego, si tu me inritaveris,
Placidum te hodie reddam! Ca. Age, ergo recipe actutum. Th. Licet.
Ph. Tu apud me coenabis, miles: hodie fient nuptiae.
Th. Quae res bene vortat mi et vobis!
Cantor. Spectatores, plaudite.

724. *recipe* longam habet syllabam primam, more veterum.
726. Ante verba *Spect. plaud.* scriptum in Helmstadiensi *cor*, quod haud dubie compendium est verbi *cantor*. Cf. Horat. Art. poët. 154, interpp. ad Terent. Andriae versum ultimum. Vulgo haec verba militi tribuuntur.

EPIDICUS.

ARGUMENTUM.

Emit fidicinam, filiam credens, senex I. 2.
Persuasu servuli; atque is conducticiam
Iterum pro amica ei subjecit; filio
Dat herili argentum; eo sororem destinat
Imprudens juvenis. Mox compressae ac militis
Cognoscit opera sibi senex os sublitum
(Ut ille amicam, haec quaeritabat filiam);
Sed gnata inventa servulum emittit manu.

Vers. 2. veteres libri: *P. servi atque conductam.* Vulgo secundum Juntinam: *P. servi, aliam qui conductitiam.* 8. Ita cod. Meurs. et mediae aetatis edd. V.: *inventa gnata.*

DRAMATIS PERSONAE.

EPIDICUS.
THESPRIO.
STRATIPPOCLES.
CHAERIBULUS.
APOECIDES.
PERIPHANES.
MILES.
PHILIPPA.
VIRGO.
FIDICINA.
DANISTA.
GREX.

EPIDICUS. THESPRIO.

EPIDICUS.

Heus, adulescens! TH. Quis properantem me prehendit pallio? t. t. c. I, 1.
EP. Familiaris. TH. Fateor: nam odio es nimium familiariter.
EP. Respice vero, Thesprio! TH. Oh, Epidicumne ego conspicor?
EP. Certe oculis utere. TH. Salve. EP. Di dent, quae velis. i. s.
Venire salvom gaudeo. TH. Quid ceterum? EP. Quod coadsolet: i. t.
Coena tibi dabitur. TH. Spondeo. EP. Quid? TH. Me accepturum, si dabis.
EP. Quid tu? agis, ut velis. TH. Exemplum adest. EP. Intellego. Eugepae, t. t. c.
Corpulentior videre atque habitior! TH. Huic gratia.
EP. Quam quidem te jamdiu deperdidisse oportuit.
TH. Minus jam sum furtificus, quam antehac. EP. Quid ita? TH. Rapio propalam
EP. Di inmortales te infelicent, ut tu es gradibus grandibus!
Nam ut apud portum te conspexi, curriculo occoepi sequi:
Vix adipiscendi potestas modo fuit. TH. Scurra es. EP. Scio,

Vers. 3. in membranis Langg. legebatur: *Resp. vero obseqro.* TH. *oh, Epid.* etc. An scribendum:

EP. *Respice vero, Thesprio!* TH. *Obsecro, Epidicumne ego conspicor?*

Non opinor; satis est ὁμοιοτελεύτων in hoc versu. Postrema syllaba nominis Thesprio non liquescit propter interpunctionem. Vid. not. ad Amph. 285. 4. V.: *uteris.* 5. Sic Acidal. Divinatt. in Plaut. pagg. 167. sequ. Libri: *quod eo assolet* (ut vulgo legitur), *quod esse ass., esse quod ass.* 8. *habitior* Guelf. noster, sicut olim MS. Roverianus, secundum quem, a Lipsio usurpatum, vulgo sic legitur. Ceteri libri *agilior*, quod frustra sunt qui defendunt. 9. Legitur ἀμέτρως: Q. q. *jamdiu te perdidisse op.* Vett.; *te jam diu.* Recte Camer.: *deperdidisse.* Scriptum forte fuerit *te perdidisse;* hinc factum, ut alterum *te* omitteretur. 13. Fortasse Plautus dederat *apiscendi*, quae vox rarior non semel oblitterata est in libris.

Te esse quidem hominem militarem. Th. Audacter quamvis dicito.
Ep. Quid ais? perpetuon' valuisti? Th. Varie. Ep. Qui varie valent,
Caprigenum hominum non placet mihi neque pantherinum genus.
Th. Quid tibi vis dicam, nisi, quod est? Ep. Utilia responses probe. i. t.
Quid herilis noster filius? valet? Th. Pugilice atque athletice.
Ep. Voluptabilem mihi nuntium tuo adventu attulisti. i. t. c.
Sed ubi is est? Th. Adveni simul. Ep. Ubi is ergo est, nisi si in vidulo, t. t. c.
Aut si in melina attulisti? Th. Di te perdant! Ep. Te volo.
Percontari. Operam da: opera reddetur tibi. i. s.
Th. Jus dicis. Ep. Me decet. Th. Jam tu autem nobis praeturam geris? i. t.
Ep. Quem dices hominem digniorem esse hodie Athenis alterum?
Th. At unum a praetura tua, Epidice, abest. Ep. Quidnam? Th. Scies:
Lictores duo, duo viminei fasces virgarum. Ep. Vae tibi!
Sed quid ais tu? Th. Quid rogas? Ep. Ubi arma sunt Stratippocli? t. t. c.
Th. Pol illa ad hostis trafugerunt. Ep. Armane? Th. Atque quidem cito. i. t.
Ep. Serione dicis tute? Th. Serio, inquam, hostes habent. t. t. c.
Ep. Edepol facinus inprobum! Th. At jam ante alii fecerunt item.
Erit illi illa res honori. Ep. Qui? Th. Quia antea aliis fuit.
Mulciber, credo, arma fecit, quae habuit Stratippocles:
Travolaverunt ad hostis. Ep. Tum ille prognatus Theti
Sine, perdat: alia adportabunt eji Nerei filiae,
Id modo videndum est, ut materies suppetat scutariis, i. t.
Si in singulis stipendiis ad hostis exuvias dabit.

17. V.: *Ut illa respondeas probe.* 22. Sic vett., vel *redditur.* V., secundum Cam.: *reddibitur.* 25. *tua* pronuntiandum ἀνεκθλίπτως. 27. *tu* raptum videtur a sequente nota personae. Mera haec formula transitionis: quare nolim poni *ajis*, gravius illud quidem verbum et παθητικόν. 32—36. vulgo Epidico omnia tribuuntur. Sequor vett. edd. 34. V.: *ei*, quod non sufficit metro. 36. Sic edd. mediae. V.: *stip. is ad h.* etc. 38. Sic fere vett. V.: *Eloquere*, frustra quidem asperato versu.

Th. Supersede istis rebus jam. Ep. Tu ipse, ubi lubet, finem face.
Th. Desiste percontarier. Ep. Loquere, ipse ubi est Stratippocles.
Th. Est causa, qua causa simul mecum ire veritust. Ep. Quidnam id est?
Th. Senem videre non volt etiam nunc. Ep. Quapropter? Th. Tu scies;
Quia forma lepida et liberali captivam adulescentulam
De praeda mercatust. Ep. Quid ego ex ted audio? Th. Hoc, quod fabulor.
Ep. Cur eam emit? Th. Animi causa. Ep. Quot illic homo animos habet? as. t. d. i. d.
Nam certo, priusquam hinc ad legionem abiit domo, i. s.
Ipsus mandavit mi, ab lenone ut fidicina,
Quam amabat, emeretur sibi. Id ei inpetratum reddidi. i. t.
Th. Utcunque in alto ventust, Epidice, exin velum vortitur.
Ep. Vae misero mihi! male perdidit me! Th. Quid istuc? quidnam est? as. t. d. i. d. c.
Ep. Quid? istanc, quam emit, quanti eam emit? Th. Vili. Ep. Haud istuc te rogo. i. t.
Th. Redde igitur. Ep. Quot minis? Th. Tot. Ep. Quadraginta minis! i. s.
Th. Id adeo argentum ab danista apud Thebas sumsit foenore, t. t. c.
In dies minasque argenti singulas nummis. Ep. Papae!
Th. Et is danista advenit una cum eo, qui argentum petit. i. t.
Ep. Di immortales, ut ego interii basilice! Th. Quid jam, aut quid est, t. t. c.
Epidice? Ep. Perdidit me! Th. Qui? Ep. Illic, qui perdidit arma. as. 2 an.
Th. Nam quid ita? Ep. Quia cotidie ipse ad me ab legione epistolas i. t.
Mittebat.... Ted taceam optumum est. Plus scire satiust quam loqui

40. Prisci, cum a paucis discesseris: *Patrem videre senem non volt etiam nunc.* Ep. *quapropter.* Th. *scies.* Helmstad. et Monac.: *tu scies.* Senes passim audiunt patres in comoediis: hinc judicandum istud *Patres.* Significanter autem Thesprio: *Tu scies, tibi* dicam, homini fideli! non cuivis alii. 45. Libri ἀμέτρως: *Ipse.* 50. Vet. cod. Camer.: *Reddigitur.* Langg.: *Redigitur.* V.: *Quid igitur?* Ep. *quot minis. Redde igitur* legendum esse vidit Acid. 55. V.: *Quis?* Ep. *Ille, qui p. a.* Non morandae videntur edd. mediae, in quibus legitur *arma perdidit;* nec placet legi cum Bentlejo ad Horat. Epist. 1, 16, 67.: Th. Quis? Ep. *Quis?* Ille, qui arma perd.

Servom hominem; ea sapientia est. i. d.
Th. Nescio edepol, quid timidus trepidas, Epidice. Ita voltum tuom i. t.
Video, videre conmeruisse hinc me absente in te aliquid mali.
Ep. Potin', ut molestus ne sies? Th. Abeo. Ep. Adsta! Abire hinc non sinam.
Th. Quid nunc me retines? Ep. Amatne istanc, quam emit de praeda? as. 3 i. h.
Th. Rogitas? Deperit . . . Ep. Degetur corium de tergo meo! t. t. c.
Th. Plusque amat, quamde unquam amavit. Ep. Jupiter te perduit!
Th. Mitte nunc iam; nam illic me vetuit domum venire; as. t. d. i. d. c.
Ad Chaeribulum jussit huc in proxumum: i. s.
Ibi manere jussit: eo venturust ipsus. Ep. Quid ita? Th. Dicam. t. t.
Quia patrem prius convenire se nevolt neque conspicari,
Quam id argentum, quod debetur pro illa, denumeraverit. t. t. c.
Ep. Heu edepol res turbulentas! Th. Mitte me: ut eam nunc iam.
Ep. Haeccine ubi scibit senex, puppis pereunda est probe? as. 2 ith. h.
Th. Quid istuc ad me attinet, quo tu intereas modo? cr. t.
Ep. Quia perire solus nolo; te cupio perire mecum, t. t.
Benevolens cum benevolente. Th. Abi in malam rem maxumam a me
Cum istac conditione. Ep. I sane, si quid festinas magis. t. t. c.
Th. Nunquam hominem conveni quemquam, unde abierim lubentius.
Ep. Ille hinc abiit: solus es nunc. Quo in loco haec res sit, vides,
Epidice. Nisi quid tibi in tete auxili est: absumtus es.
Tantae in te inpendent ruinae, nisi subfulcis firmiter,
Non potes subsistere, itaque in te inruont montes mali.

59. V.: *timidus es*, vel *timidu' es*, qui modus scribendi longe ineptissimus est, neque ulli veterum usitatus. 61. Sic MSS. V.: *uti*. 62. V.: *istam*. Non liquescit *quam*. 63. V.: *Rogas*, quae verba saepissime miscentur. *Degetur* Non.: vid. Lips. Elect. 2, 21. Edd. Plauti vett. mediaeque: *Degitur*, *Degetur*. MSS.: *Detegetur*. 76. Ita Guelf. et Langg., qua lectione separantur ὁμοιοτέλευτα. V.: *N. hom. quenquam conv.* 77. Incassum libri: *Illic*.

Neque, ego nunc quomodo me expeditum ex impedito as. 2 an.
Faciam, placet consilium. an.
Ego miser perpuli meis dolis senem, as. cr. d. t. h.
Ut censeret suam se emere filiam:
Is suo filio cr. d.
Fidicinam emit, quam ipse amabat, quam abiens mandavit mihi. t. t. c.
Is sibi nunc alteram ab legione abduxit amicam as. 2 an.
Animi causa. Corium perdidi: nam senex ubi senserit, as. t. d. i. d.
Sibi data esse verba, virgis dorsum depoliet meum. — t. t. c.
At enim tu praecave! — Nihil istuc! plane hoc conruptum est caput! i. t.
Nequam homo es, Epidice. — Qui tibi est lubido male loqui? — t. t. c.
Quia tu tete deseris — Quidnam faciam? — Mene tu rogas? as t. d. i. d.
Tu quidem antehac aliis solebas dare consilia mutua. t. t. c.
Quid faciam, aliqua reperiundum est. — Sed ego cesso ire obviam
Adulescenti, ut, quid negoti sit, sciam? Atque ipse illic est.
Tristis est. Cum Chaeribulo incedit aequali suo.
Huc concedam, orationem unde horum placide persequar.

STRATIPPOCLES. CHAERIBULUS. EPIDICUS. I

ST. Rem tibi sum elocutus omnem, Chaeribule, atque admodum t. t. c. I, 2.
Meorum moerorum atque amorum summam edictavi tibi.
CH. Praeter aetatem et virtutem stultus es, Stratippocles.
Idne pudet te, quia captivam, genere prognatam bono,
In praeda es mercatus? Quis erit, vitio qui id vortat tibi?
ST. Qui vident, omnis inimicos mi istoc facto reperi:
At pudicitiae ejus nunquam nec vim nec vitium attuli.
CH. Jam istoc probior meo quidem animo, quom in amore temperes.

84. V.: *sese.* 86. V.: *amat*, quod falsum: cf. 87. *amicam* accessit ex libro Helmstad. 92. *Q. tu tete.* Ita Guelf. et Langg. V.: *Q. tute te.* Dein vulgati libri: *quid faciam?* Sed Guelf.: *quoniam fac. Mene* requirebat metrum. V.: *men'.* 94. Ita Langg. V.: *Quid? aliquid rep. est.* 101. Sic vett. V.: *captivam.* 103. Sic Pal. 3., recte probante Acidalio. V.: *Qui invident.* 105. Libri numeris durissimis: *prob. es.*

St. Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis;
Is est amicus, qui in re dubia re juvat, ubi re est opus. i. t.
Ch. Quid tibi me vis facere? St. Argenti dare quadraginta minas; t. t. c.
Quod danistae detur, unde ego illud sumsi foenore.
Ch. Si hercle haberem: non negarem. St. Nam quid te igitur retulit
Beneficum esse oratione, si ad rem auxilium emortuom est?
Ch. Quin edepol egomet clamore defatigor, differor.
St. Malim istiusmodi mi amicos furno mersos quam foro!
Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim,
Quem quidem ego hominem inrigatum plagis pistori dabo,
Nisi hodie prius conparassit mihi quadraginta minas,
Quam argenti elocutus fuero ei postremam syllabam.
Ep. Salva res est: bene promittit; spero, servabit fidem.
Sine meo sumtu paratae jam sunt scapulis symbolae.
Adgrediar hominem. Advenientem peregre herum Strattippoclem i. t.
Suom salva inpartit salute servos Epidicus. St. Ubi is est?
Ep. Adest. Salvom te gaudeo huc advenisse. b. t.
St. Tam tibi istuc credo, quam mihi. i. d.
Ep. Benene usque valuisti? St. A morbo valui, ab animo aeger fui. t. t. c.
Ep. Quod ad me attinuit, ego curavi, quod mandavisti mihi: i. t.
Inpetratum est: emta ancilla est, quod tute ad me litteras t. t. c.
Missiculabas. St. Perdidisti omnem operam. Ep. Nam qui perdidi?
St. Quia meo neque cara est cordi neque placet. Ep. Quid retulit,
Mihi tantopere te mandare et mittere ad me epistolas?
St. Illam amabam olim; nunc jam alia cura inpendet pectori.
Ep. Hercle miserum est, ingratum esse homini id, quod tu facias bene.

117. 120. Vocabula *fuero* et *hominem* non eliduntur. 118. Ita Lamb. V.: serv. *item*. Vett. edd.: *idem*. 123. *tibi* μονοσυλλάβως pronuntiandum priore i littera liquescente. 125. Libri claudicante versu: *mandasti*. 127. *Nam* haud legitur in Helmstadiensi. 131. Ita Palmer. Spicil. pag. 254. et Sciopp. V.: *hominem. tu praebuere* Guelf. et Monac.

Ego quod benefeci, malefeci: quia amor mutavit locum.
St. Desipiebam mentis, quom illas scriptas mittebam tibi.
Ep. Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam, i
Ut meum tergum tuae stultitiae subdas succidaneum?
St. Quid istic facimus verba? Huic homini opus est quadraginta minis i. t.
Celeriter calidis, danistae quas resolvas, et cito.
Ep. Dic modo, unde auferre vis me. A quo trapezita peto?
Ch. Unde lubet. Nam ni ante solem occasum elicies: as. 2 ith.
Meam domum ne inbitas; tute i in pistrinum. i. tr. h.
Ep. Facile tu istuc sine periclo et cura, corde libero, t. t. c.
Fabulare; novi ego nostros: mihi dolet, quom ego vapulo.
St. Quid tu nunc? Patierin', ut ego me interimam? i
Ep. Ne feceris.
Ego istuc accedam periclum potius atque audaciam. i. t.
St. Nunc places; nunc ego te laudo. Ep. Patiar ego istuc quodlubet. t. t. c.
St. Quid de illa fiet fidicina igitur? Ep. Aliqua res reperibitur; i. t.
Aliqua ope exsolvam, extricabor aliqua. St. Plenus consilii es: t. t. c.
Novi ego te. Ep. Est Euboicus miles locuples, multo auro potens,
Qui, ubi tibi istam emtam esse scibit atque hanc adductam alteram,
Continuo te orabit ultro, ut illam tramittas sibi.
Sed ubi illa est, quam tu adduxisti tecum? St. Jam faxo hic erit.
Ch. Quid hic nunc agimus? St. Eamus intro huc ad te: ut hunc hodie diem i. t.
Luculente habeamus. Ep. Ite intro: ego de re argentaria t. t. c.
Jam senatum convocabo in corde consiliarium,
Quoi potissimum indicatur bellum, unde argentum auferam. —
Epidice, vide, quid agas: ita res subito haec objecta est tibi.
Non enim nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia est.

137. Sic vett. V.: *resolvat.* 139. Langg.: *elo ces.* V.: *elo* Pistori placebat *elicis.* 140. V.: *tute in p.* Rapuit i litteram praepositio. Si *Meam* legatur μονοσυλλάβως, erit hic versus similis praegresso; sed malim plene exaudiri vocem gravissimam. 146. V. *res* non legitur. Sed vet. cod. Camer. Palat. Guelf. Helmst.: *al. re reperib.*

Adeundum est! Senem oppugnare certum est consilium!
I, i! abi
Intro atque adulescenti dic jam nostro herili filio,
Ne hinc foras jambulet neve usquam obviam veniat seni

APOECIDES. PERIPHANES.

Ap. Plerique homines quom nihil refert, pudent; t. tr. c. II, 1
Ubi pudendum est, ibi eos deserit pudor,
Quom usus est, ut pudeant. Is adeo tu es.
Quid est, quod pudendum siet, b. tr. c.
Genere natam bono pauperem domum as. cr. d. t. h.
Ducere uxorem? c. d. q.
Praesertim eam, qua ex tibi conmemores as. 2. i. h.
Hanc, quae domi est, filiam prognatam?
Pe. Revereor filium. Ap. At pol ego te credidi cr. t.
Uxorem pudore exsequi, quam extulisti; b. t.
Quojus quotiens sepulcrum vides, sacruficas cr. t.
Eloco Orco hostiis, neque adeo injuria,
Quia vivendo tibi licitum eam est vincere. Pe. Oh,
Hercules ego fui, dum illa mecum fuit;
Neque sexta aerumna acerbior Herculi quam mi illa objecta est. i. t. c.
Ap. Pulcra edepol dos pecunia est. Pe. Quae quidem pol non marita est.

EPIDICUS. APOECIDES. PERIPHANES.

Ep. Attat, tacete! habete animum bonum: liquido exeo foras i. t. II, 2
Auspicio, avi sinistra. i. d. c.
Acutum cultrum habeo, senis qui exenterem marsupium! i. t.

158. Palatt., teste Pareo, diluoide: *Adeundum.* V.: *At* (Monac.: *Ad*) *eundem senem* etc. 160. Fort.: *N. h. f. ambitat. Hinc* edd. mediae. V.: *hic.* 161. V.: *P. h., quos, cum n. r., pudet. Quos* non legitur in edd. veteribus. Monac.: *pudent;* unde etiam 165. *pudeant* dedi pro vulgato *pudeat. tu* corripiendum est sequente vocali, non elidendum. 169. Ne hic versus habeatur pro jambico senario, facit affectus senis vehementior. *Revereor* quoque melius creticum versum auspicatur quam jambicum. 171. Ita Guelf. Helmstad. V.: *quoties.* 176. V.: *maritata*, quod neque in versum quadrat, et Fulgentio aut Tertulliano dignius est quam Plauto.

Sed eccos ipsos, qualis volo, vetulos duo! i. s.
Jam ego me convortam in hirudinem atque eorum exsugebo sanguinem,
Senati qui columen cluent! i. d.
Ap. Continuo ut maritus fiat. Pe. Laudo consilium tuom. t. t. c.
Ap. Nam illum audivi in amorem haerere apud nescio quam fidicinam.
Pe. Id ego excrucior. Ep. Di hercle me omnes adjuvant, augent, amant:
Ipsi hi quidem mihi dant viam, quo pacto ab se argentum auferam. i. s.
Age nunc iam orna te, Epidice, et palliolum in collum conjice
Itaque adsimulato, quasi per urbem totam hominem quaesiveris!
Age, si quid agis! — Di inmortales, utinam conveniam domi t. t. c.
Periphanem, quem omnem per urbem sum defessus quaerere,
Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio atque in foro,
Per myropolia et lanienas circumque argentarias!
Rogitando sum raucus factus; pene in cursu concidi.
Pe. Epidice! Ep. Epidicum quis est qui revocat? Pe. Ego sum, Periphanes.
Ap. Et ego Apoecides sum. Ep. Et ego quidem sum Epidicus. Sed, here, optuma
Vos video opportunitate ambo advenire. Pe. Quid rei
Est? Ep. Mane! sine respirem, quaeso! Pe. Imo adquiesce. Ep. Animo male est:
Recipiam anhelitum. Ap. Clementer requiesce. Ep. Animum advortite! i. t.
Ab legione omnes remissi missi sunt domum Thebis. Ap. Sic factum est? t. t.
Ep. Ego ita esse factum dico. Pe. Scin' tu istuc? Ep. Scio. i. s.

180. Ita Langg., nisi quod habent *senes* pro *vetulos*. V.: *Sed eccum ipsum ante aedis conspicor Apoecidae, Qualis* etc., cum persona secundarum partium adire primariam debeat, non contra. Cf. Acidal. Glossatoris, non poëtae, sunt verba *ante aed. consp. Apoec.* 188. Sic Palatt. Langg. et vett. liber. Camer. V.: *Ita.* 199. Ita plerique omnes scripti et vett. edd. V.: — *Thebis. Ap. quis hoc* (haec verba recenti manu adscripta inter versus veteris cod. Camerar.) *Scit* (ita solus liber Camer.) *factum? Ep. ego ita esse* etc.

Pe. Qui tu scis? Ep. Quia ego ire vidi milites plenis viis. t. t. c.
Arma referunt et jumenta ducunt. Pe. Nimis factum bene!
Ep. Tum captivorum quid ducunt secum! pueros, virgines
Binos, ternos; alius quinque; fit concursus per vias;
Filios suos quisque visunt. Pe. Hercle rem gestam bene!
Ep. Tum meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit,
Obviam ornatae occurrebant suis quisquis amatoribus;
Eos captabant adeo. Scin', qui? Pe. Maxume animum advorterim.
Ep. Pleraeque haec sub vestimentis secum habebant retia.
Quom venio ad portum, atque illam illi ego video praestolarier,
Et cum ea tibicinae ibant quatuor. Pe. Quicum, Epidice?
Ep. Cum illa, quam tuos gnatus annos multos deamat deperit,
Ubi fidemque remque seque teque properat perdere.
Ea praestolabatur illum apud portum. Pe. Vide veneficam!
Ep. Sed vestita, aurata, ornata, ut lepide, ut concinne, ut nove!
Pe. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam?
Ep. Inpluviatam, ut istaec faciunt vestimentis nomina.
Pe. Ut? in inpluvium induta erat? Ep. Quid istuc est mirabile?
Quasi non fundis exornatae multae incedant per vias.
At tributus quom inperatus est, negant pendi potesse; t. t.
Illis, quibus tributus major penditur, pendi potest. t. t. c.
Pe. Quid ita? Ep. Quia vesti quotannis nomina inveniunt nova:
Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum caesicium,
Indusiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam,
Subparum aut subminiam, ricam, basilicum aut exoticum

207. Obtinuit vulgo interpretamentum *quaeque.* Helmstad.: *quisque;* sed ne hoc quidem versum explet. 208. V.: *E. captabant. id adeo, qui max. a. a., Plaeraeque* etc. Pal. 6. cod. Meurs. Junt.: *E. c. id. ad. scio, qui* etc. Acid.: *id ad. scin' qui m. a. a.?* 209. Ita Helmstad. V.: *hae.* 210. Sic idem V.: *illic.* 214. Sic Acidal. propterea quod Athenis haec geruntur. V.: *portam.* — *Viden'.* 217. Sic MSS. V.; *istae.* Periphani autem haec tribuuntur in vulgatis, sed in Monac. et edd. priscis Epidico; et recte. 218. Vett.: *Uti* (vel *Ut*) *impluv. ind. erat* (vel *erit*). V. secundum Acid.: Ep. *Utin'* impl. *ind. eat?* 222. V., non immissa persona senis: *Quid istae, quae vesti* etc.

Cumatile aut plumatile, cerinum aut gerrinum. Gerrae maxumae!
Cani quoque etiam ademtum nomen. Pe. Qui? Ep. Vocant Laconicum. i. t.
Haec vocabula auctiones subigunt ut faciant viri. t. t. c.
Pe. Quin tu, ut occepisti, eloquere. Ep. Occepere aliae mulieres
Duae post me sic fabulari inter se; ego abscessi solens i. t.
Paulum ab illis; dissimulabam, me harum sermoni operam dare; as. t. d. i. d.
Nec satis exaudibam nec sermonis fallebar tamen, t. t. c.
Quae loquerentur. Pe. Id lubido est scire. Ep. Ibi illarum altera
Dixit illi, quicum ipsa ibat.... Pe. Quid? Ep. Tace ergo, ut audias.
Postquam illane sunt conspicatae, quam tuos gnatus deperit:
„Quam facile et quam fortunate, obsecro, illi evenit mulieri, i. t.
Quam liberare volt amator!“ — „Quisnam is?“ inquit altera
Illi. Ibi nominat Stratippoclem, Periphanae filium. t. t. c.
Pe. Perii hercle, quid ego ex te audio? i. d.
Ep. Hoc, quod actum. Egomet post, ubi illas audivi loqui, t. t. c.
Coepi rursum vorsum ad illas pauxillatim accedere,
Quasi retruderet hominum me vis invitum. Pe. Intellego.
Ep. Ibi illa interrogavit aliam: „Qui scis? qui id dixit tibi?“ — i. t.
„Quia hodie adlatae tabellae sunt ad eam a Stratippocle: t. t. c.
Argentum eum sumsisse apud Thebas ab danista foenore;
Id paratum et sese ob eam rem id ferre.“ Pe. Cedo, egon' occidi?
Ep. Haec sic ajebat; sic audivisse ab sese atque ab epistola. i. t.
Pe. Quid ego faciam nunc? Consilium a te expetesso, Apoecides. t. t. c.
Ap. Reperiamus aliquid calidi conducibilis consili:

226. *gerrinum* libri vett., vel *garinum*, *gerinum*, *geriné*. Camer. et vulgo editores, nescio unde: *melinum*. 232. Ita Langg. V.: *exaudiebam*. 237. V. impingente versu: *is est?* 243. *aliam*, alteram. V.: *illam*. *Qui* vett. edd. V.: *quis id d. t.?* 244. Minus recte libri: *Quin hod.* 247. V.: *se*.

Nam ille quidem aut jam hic aderit, credo hercle, aut jam adest. Ep. Si aequom siet,
Me plus sapere quam vos: dederim vobis consilium catum,
Quod laudetis, ut ego opino uterque.... Pe. Ergo ubi id est, Epidice?
Ep. Atque ad eam rem conducibile. Ap. Quid istuc dubitas dicere? as. t. d. i. d.
Ep. Vos priores esse oportet, nos posterius dicere, t. t. c.
Qui plus sapitis. Pe. Heia vero! Age, dice! Ep. At deridebitis.
Ap. Non edepol faciemus. Ep. Imo si placebit, utitor
Consilium; si non placebit, reperitote rectius.
Mihi istic nec seritur nec metitur; nisi ea, quae tu vis, volo. i. t.
Pe. Gratiam habeo. Fac participes nos tuae sapientiae. t. t. c.
Ep. Continuo arbitretur uxor tuo gnato; atque ut fidicinam
Illam, quam is volt liberare, quae illum conrumpit tibi,
Ulciscare; atque ita curetur, usque ad mortem ut serviat.
Ap. Fieri oportet. Pe. Facere cupio quidvis, dum id fiat modo.
Ep. Hem, nunc occasio est faciundi, priusquam in urbem advenerit, i. t.
Sicut cras hic aderit; hodie non venit. Pe. Qui scis? Ep. Scio, t. t. c.
Quia mihi alius dixit, qui illinc venit, mane huc adfore.
Pe. Quin tu eloquere: quid faciemus? Ep. Sic faciundum censeo,
Quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia,
Quasique ames vehementer tu illam. Pe. Quam ad rem istuc refert? Ep. Rogas?
Ut enim praestines argento, priusquam veniat filius,
Atque ut eam te in libertatem dicas emere.... Pe. Intellego.
Ep. Ubi erit emta, ut aliquo ex urbe amoveas; nisi si quid tua
Secus est sententia. Pe. Imo docte. Ep. Quid tu, autem, Apoecides? i. t.
Ap. Quid ego nam, nisi, te conmentum nimis astute, intellego, t. t. c.

252. Libri: *opinor*, minus quidem apte ad versûs modulum. Quod vulgo abest, *id* legitur in priscis. 254. Monac.: *posteriores*. 265. Sic Acid. V.: *venerit*. 266. Libri plurimi: *hunc* (i. e. huc) *affore*. V.: *hic aff.* 273. *tu* non liquescit. 274. Sic Acid. Divinatt. in Capt. c. 6, V.: Q. *e. jam*.

Epidice. Ep. Jam igitur amota ei erit omnis consultatio i. t.
Nuptiarum, ne gravetur, quod velis. Ap. Vive, ut sapis
Et placet! Ep. Tum tu igitur calide, quidquid acturus's, age,
Pe. Rem hercle loquere. Ep. Et reperi, haec qui abscedat te suspicio
Pe. Sine me scire. Ep. Scibis: audi. Ap. Sapit hic pleno pectore.
Ep. Opus est homine, qui illo argentum deferat pro fidicina:
Nam de lenone aeque opus facto est.... Pe. Quid jam? Ep. Ne te censeat
Fili causa facere.... Pe. Docte! Ep. Quo illum ab illa prohibeas:
Ne qua ob eam suspicionem difficultas evenat.
Pe. Quem hominem inveniemus ad eam rem utilem? Ep. Hic erit optumus:
Hic poterit cavere recte, jura qui et leges tenet.
Ap. Epidice, habeas gratiam. Sed ego istuc faciam sedulo.
Ep. Ego illunc conveniam atque adducam huc ad te, quoia est fidicina; i. t.
Atque argentum ego cum hoc feremus. Pe. Quanti emi potis? Ep. Illane? t. t. c.
Ad quadraginta fortasse eam posse emi minumo minis;
Verum si plus dederis: referam. Nihil in ea re captio est.
Atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.
Pe. Quidum? Ep. Quia enim mulierem alius illam adulescens deperit,
Auro opulentus magnus miles, Rhodius, raptor hostium
Gloriosus; hic emet illam de te et dabit aurum lubens.
Face modo: est lucrum hic tibi amplum. Pe. Deos quidem oro. Ep. Inpetras.

275. *Epidice.* Huic nomini offecerit sequens nota personae. 276. Sic probi libri, in his nostri. V.: *vive sapis! et placet.* 277. Sic Helmstad. et Parens. V.: *tute.* Legitur quoque *acturus*, sed molosso nobis opus est. 281. Ita Sciopp. Susp. Lectt. 5, 24. Langg.: *lenoni.* V.: *N. te illo non a. o. facto'st.* 283. Libri *ἀμέτρως*: *eveniat.* 284. Helmstad.: *hic certe* opt. 286. Vix, et ne vix quidem, recte verba *Sed ego ist. f. s.* Apoecidi tribuuntur in vulgatis. 288. V.: *cum hoc feram.* Pe. *Q. emi potest minimo?* Ep. *illane?* Sed metro arguitur istud *minimo*, petitum illud haud dubie ex sequente versu.

Ap. Quin tu is intro atque huic argentum promis? Ego visam ad forum.
Epidice, eo veni. Ep. Ne abbitas, priusquam ego ad te venero.
Ap. Usque opperiar. Pe. Sequere tu intro. Ep. I, numera: nil ego te moror.

EPIDICUS.

Nullum esse opinor ego agrum in agro Attico i. s. II, 3.
Aeque feracem quam hic est noster Periphanes;
Quin ex obcluso atque obsignato armario
Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.
Quod pol ego metuo, si senex resciverit,
Ne ulmos parasitos faciat, quae usque attondeant.
Sed me una turbat res ratioque: Apoecidi
Qua fidicinam ostendam aliquam conductitiam. —
Atque id quoque habeo: mane me jussit senex
Conducere aliquam fidicinam sibi huc domum:
Dum rem divinam faceret, cantaret sibi;
Ea conducetur atque ei praemonstrabitur,
Quo pacto fiat subdola advorsus senem.
Ibo intro: argentum accipiam ab damnoso sene.

STRATIPPOCLES. CHAERIBULUS.

St. Expectando exedor miser atque exenteror, c. t. III, 1.
Quomodo mi Epidici blanda dicta evenant!
Nimis diu macerор, sitne quid necne sit!
Scire cupio! Ch. Per illam tibi copiam
Copiam aliam licet cr. d.
Parare. Scivi equidem in principio eloco nullam tibi i. t.
Esse in illo copiam. St. Interii hercle ego! Ch. Absurde facis, t. t. c.
Qui te angas animi. Hercle ego illum si semel prehendero: i. t.
Numquam inridere nos inultum illunc sinam servom hominem! i. t. c.

296. Ita Helmstad. V.: huc. Camerarii liber et Palatt.: *hic.* 297. Vet. cod. Cam. et Langg.: *abitas*. V.: *abeas*. 299. Verba *agrum* et *agro* non liquescunt. 301. *obcluso* Helmstad. V.: *occluso*. Haud nolim legi: — *Periphanes: Quoine ex obcluso — lubet?* 314. Libri *eveniant*, quo evertitur versus creticus. 318. Verbum *principio* non eliditur.

St. Quid illunc ferre vis, qui, tibi quoi divitiae domi maxumae sunt, i. t. h.
Is numum nullum habes, neque est sodali tuo in te copia? i. t.
Ch. Si hercle habeam: pollicear lubens; verum aliquid aliqua aliquo modo
Alicunde ab aliqui aliqua est tibi spes, mecum fore fortunam. i. t. c.
St. Vae tibi, muricida homo! Ch. Qui tibi lubet mihi male loqui? t. t. c.
St. Quippe tu mihi aliquid aliquo modo alicunde ab aliquibus
Blatis, quod nusquam est; neque ego id inmitto meas in auris; as. 3 i. h.
Nec mihi plus adjumenti ades quam ille, qui nunquam etiam natust. as. t. d. i. d. h.

EPIDICUS. STRATIPPOCLES. CHAERIBULUS.

Ep. Fecisti jam officium tuom: me meum nunc facere oportet. i. t. c. III, 2.
Per hanc curam esse tibi licet quieto: hoc quidem jam periit,
Ne quid hinc tibi in spem referas. Hoc oppido politum est!
Crede modo tu mihi: sic ego ago, sic egere nostri!
Proh di inmortales, mi hunc diem ut dedistis luculentum!
Ut facilem atque inpetrabilem! — Sed ego hinc migrare cesso,
Ut inportem in coloniam hunc auspicio conmeatum?
Mihi cesso, quom sto. — Sed quid hoc? Ante aedis sodalis duos, herum i. t.
Et Chaeribulum conspicor. Quid hic agitis? Accipe hoc, sis! i. t. c.
St. Quantum hic inest? Ep. Quantum sat est et plus satis: superfit;
Decem minis plus attuli, quam tu danistae debes.

326. *muricida*, τοιχωρύχε. Libri *muricide*, pro murcide, ut quidam censent, cui illud praestare monet Rostius, scholae S. Thomae, quae Lipsiae floret, rector doctissimus, in Plautinorum cupediorum Ferculo, Lips. 1807. 330. V., refragantibus libris tantum non omnibus antiquis et metro: *tu tuum*. 332. *quid* liquescente i littera pronuntiandum est, sicut passim apud hunc nostrum. 332. Fort.: *Hoc oppido potitus* (sum). Cf. 374, Bacch. 908, 919, 922. Audacius est, quod Acidalio in mentem venit, *hoc hostium potitum est*. 338. *hic* non legitur in Helmstadiensi. 339. V.: *supersit*. Sed certa ea res est. Sequor Taubmannum et Pareum.

Dum tibi ego placeam atque obsequar, meum tergum flocci facio.
St. Nam quid ita? Ep. Quia ego tuom patrem faciam perenticidam.
St. Quid istuc verbi est? Ep. Nil moror vetula et volgata verba.
Peratim ductate; ast ego follitim ductitabo!
Nam leno omne argentum abstulit pro fidicina (ego resolvi; his
Manibus denumeravi), pater suam natam quam esse credit.
Nunc iterum ut fallatur pater, tibi auxilium adparetur,
Inveni jam: ita suasi ego seni atque hanc habui orationem,
Ut, quom redisses, ne tibi ejus copia esset, . . . St. Euge!
Ep. Etiam tuam emundam pellicem esse. St. Teneo. Ep. Nunc auctorem
Dedit mihi ad hanc rem Apoecidem (is apud forum manet me),
Quasi qui eam amet. Cavet! St. Haud male! Ep. Jam ipse cautor captust;
Ipse in meo collo tuos pater crumenam conlocavit.
Is adornat, adveniens domi extemplo ut maritus fias.
St. Uno persuadebit modo: si illam, quae adducta est mecum,
Mihi ademsit Orcus. Ep. Nunc ego astutiam hanc institui:
Deveniam ad lenonem domum egomet solus; eum docebo,
Si qui ad eum adveniant, ut sibi datum esse argentum dicat
Pro fidicina; argenti minae se habere quinquaginta:
Quippe ego quoi nudiustertius meis manibus denumeravi
Pro illa tua amica, quam pater suam filiam esse retur.
Ibi leno sceleratum caput suom inprudens adligabit,
Quasi pro illa argentum acceperit, quae tecum adducta nunc est.
Ch. Vorsutior es, quam rota singularis. Ep. Jam ego parabo
Aliquam dolosam fidicinam, numo conducta quae sit,

344. V.: *ductare; at* etc. *Ductate* dudum alii posuerunt. 347. Ita Helmstad. V.: *tibique*. 348. Sic Monac., vett. edd., Acidal. Alii prisci: *Inveniam*. V.: *Inveni viam*. 349. Sic fere vett. V.: *Euge, euge*. 350. V.: Ep. *ea jam domi est pro illa*. St. *teneo*. Sed Langg.: *etiam* pro *ea jam*, et loco verborum *pro illa* vett.: *pelia, pellia* (Helmstad.), *puella* (Langg. Monac.), *puella pellice* (Sarrac.), cum improbatae voci emendatam librarius adscripsisset. 352. Prisci fere: *Q. quae amaret, caveat*. V.: *Q. quoi emeret, caveat*. *Jam* non eliditur. 356. *ego* non liquescit, praesertim in incisione versûs. 357. Putide libri: *eum ego doc*. 360. V.: *Q. e. qui*. Legitur etiam *dinumeravi*, sicut errari solet in hoc verbo; id quod semel moneo.

Quae se emtam simulet, quae senes duo docte ludificetur;
Eam ducet simul Apoecides ad tuom patrem. St. Ut parate!
Ep. Eam praemeditatam, meis dolis astutiisque onustam
Mittam. Sed nimis longum loquor: diu me estis demorati,
Haec scitis jam ut futura sint: abeo. St. Bene ambulato.
Ch. Nimis doctus ille est ad malefaciundum. St. Me quidem certo
Servavit consiliis suis. Ch. Abeamus intro hinc ad me.
St. Atque aliquanto lubentius, quam abs te sum egressus intus.
Virtute atque auspicio Epidici cum praeda in castra redeo!

PERIPHANES. APOECIDES. SERVOS.

Pe. Non oris causa modo homines aequom fuit i. s. III, 3.
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suom;
Sed, qui prospicere possent cor sapientiâ:
Igitur perspicere ut possent cordis copiam;
Ubi id inspexissent, cogitarent postea,
Vitam ut vixissent olim in adulescentia.
Vel quasi egomet quidem: fili causa coeperam
Ego med excruciare animi, quasi quid filius
Meus deliquisset me erga, aut qausi non plurimum
Malefacta mea essent solida in adulescentia.
Profecto deliramus interdum senes.
Fuit conducibile hoc mea quidem sententia.
Sed meus sodalis it cum praeda Apoecides.
Venire salvom mercatorem gaudeo.
Quid fit? Ap. Di deaeque te adjuvant. . . . Pe. Omen placet.
Ap. Quoi hominid omnes suppetunt res prosperae.
Sed tu intro jubeas hanc abduci. Pe. Heus, foras
Exite huc aliquis! — Duce istam intro mulierem!
Atque . . . . audin'? Se. Quid vis? Pe. Cave, sis, hanc cum filia
Mea copulari neque conspicere! Jam tenes?
In aediculam istanc seorsum concludi volo:
Divortunt mores virgini longe ac lupae.

368. Sic Pall. Monac. Helmstad. aliique libri. V.: *permeditatam.* 377. V.: *S. q. perspicere p. c. sapientiae.* 378. Soloece libri: *possint.* 381. V.: V. *q. egomet, qui dum filii c. c.* 390. Ita Guil. Quaest. in Epid. c. 2. V.: *Quoi omini omnes s. r. pr.* Pall. nostri aliique vett.: *homini.* 393. Ita Helmstad. et edd. vett. V.: *cave, siris cum fil. Mea cop. hanc n. consp. I. t.?*

Ap. Docte ac sapienter dicis: non nimis filiae
Servare quisquam suae pudicitiam potest.
Edepol nae istanc tempori gnato tuo
Sumus praemercati. Pe. Quid jam? Ap. Quia dixit mihi
Jamdudum se alius tuom vidisse hic filium.
Pe. Hanc edepol rem adparabat. Ap. Plane hercle hoc quidem est.
Nae tu habes servom graphicum et quantivis preti!
Pe. Non carust auro contra! Ap. Ut ille fidicinam
Fecit nescire prorsus, se esse emtam tibi:
Ita ridibundam atque hilaram huc adduxit simul.
Pe. Mirum, hoc qui potuit fieri. Ap. Te pro filio
Facturum dixit rem esse divinam domi:
Quia Thebis salvos redierit. Pe. Recte instituit.
Ap. Imo ipsus illi dixit, conductam esse eam,
Quae hic administret ad rem divinam tibi.
Ego illic me autem sic adsimulabam, quasi
Stolidum; tum bardum me faciebam. Pe. Imo ita decet.
Ap. Res magna amici apud forum agitur; ei volo
Ire advocatus. Pe. At, quaeso, ubi erit otium,
Revortere ad me extemplo. Ap. Continuo hic ero.
Pe. Nihil homini amico est opportuno amicius:
Sine tuo laboro, quod velis, actum est tamen.
Ego si adlegavissem aliquem ad hoc negotium
Minus hominem doctum minusque ad hanc rem callidum:
Os sublitum esset, itaque me albis dentibus
Meus derideret filius meritissumo.
Sed hic quis est, quem huc advenientem conspicor,
Suam qui undantem chlamydem quassando facit?

MILES. PERIPHANES. FIDICINA.

Mi. Cave praeterbitas ullas aedis, quin roges, i. s. III; 4.

397. Sic Monac. V.: *D. et sap.* 399. *nae* non est elidendum. 404. Sic Monac. V. verba *Non car. a. c.* Apoecidi continuantur. 411. Libri asperato sine mercede versu: *administraret.* Post hunc versum talia leguntur:

Facturum hoc dixit, rem esse divinam tibi domi,

quae habuit quidem vet. liber Cam., sed alii vett., in his nostri et haec et praecedentes 2 versus, imo Helmstad. atque Monac. etiam 409., omittunt. Recte delet Acid., quippe quae in superioribus sublecta sint. 413. *tum.* Langg. V.: *cum.* 422. Post hunc versum libri vett. habent 444. cum 3 sequentibus, ineptissimo quidem loco. Sensit Acid.

Senex ubi habitat Periphanes Plothenius.
Incertus tuom cave ad me retuleris pedem.
Pe. Adulescens, si istunc hominem, quem tu quaeritas,
Tibi conmonstrasso, ecquam abs te inibo gratiam?
Mi. Virtute belli armatus promerui, ut mihi
Omnis mortalis deceat agere gratias.
Pe. Non reperisti, adulescens, tranquillum locum,
Ubi tuas virtutes explices, ut postulas:
Nam strenuiori si deterior praedicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt sordidae.
Sed istum, quem quaeris, Periphanem Plothenium,
Ego sum, si quid vis. Mi. Nempe in adulescentia
Quem apud reges memorant armis, arte duellica,
Divitias magnas indeptum? Pe. Imo, si audias
Meas pugnas, fugias manibus demissis domum.
Mi. Pol ego magis unum quaero, meas quoi praedicem,
Quam illunc, qui memoret suas mihi. Pe. Hic non est locus,
Quin tu alium quaeras, quoi centones sarcias.
— Atqui haec stultitia est, me illi vitio vortere,
Egomet quod factitavi in adulescentia,
Quom militabam: pugnis memorandis meis
Eradicabam hominum auris, quando occoeperam. —
Mi. Animum advorte: ut quod ego ad te venio, intellegas.
Meam amicam audivi te esse mercatum. Pe. Attate,
Nunc demum scio ego hunc, qui sit: quem dudum Epidicus
Mihi praedicavit militem — Adulescens, ita est,
Ut dicis: emi. Mi. Volo te verbis pauculis,
Si tibi molestum non est. Pe. Non edepol scio,
Molestum, an non, est, nisi si dicis, quid velis.
Mi. Mi illam ut tramittas, argentum accipias. Pe. Habe.
Mi. Nam quid ego apud te proloqui parcam? Volo
Ego illanc hodie facere libertam meam,
Mihi concubina quae sit. Pe. Te absolvam brevi.
Argenti quinquaginta mi illa emta est minis;
Si sexaginta mihi denumerantur minae:
Tuas pol sedebit mulier faxo ferias;

426. Plothenius, Πλωθειεύς ex tribu Aegeïde. Sic Petitus, et recte. V.: *Platenius*. 442. Minus recte libri: *locus*. *Quin* etc. 455 — 457. V.:

Mi. *Mihi illam ut tramittas: argentum accipias.*
Pe. *Habeas.* Mi. *Nam quid ego apud te parcam proloqui?*
Ego illam hodie volo facere libertam meam.

Sed *accipias* extremo jambico senario haud convenit. Scripserunt librarii *Habeas*, ut *tramittas*, *accipias*. Hinc illae turbae. 461. V.: *Tuas possidebit m. f. f.*, quod alii aliter tentarunt.

Atque ita profecto, ut eam ex hoc exoneres agro.
Mi. Estne emta haec mi istis legibus? Pe. Habeas licet.
Pulcre conciliasti. Heus foras educite,
Quam introduxistis, fidicinam! Atque etiam fides,
Ei quae accessere, tibi addam dono gratiis.
Age, accipe hanc sis. Mi. Quae te intemperiae tenent?
Quas tu mihi tenebras trudis? Quin tu fidicinam
Produci intus jubes? Pe. Haec ergo est fidicina.
Hic alia nulla est. Mi. Non mihi nugari potes.
Quin tu huc producis fidicinam Acropolistidem?
Pe. Haec, inquam est. Mi. Non haec, inquam, est! Non novisse me
Meam rere amicam posse? Pe. Hanc, inquam, filius
Meus deperibat fidicinam. Mi. Haec non est ea.
Pe. Quid? non est? Mi. Non est. Pe. Unde haec igitur gentium est?
Equidem hercle argentum pro hac dedi. Mi. Stulte datum
Reor et peccatum largiter. Pe. Imo haec ea est:
Nam servom misi, meum qui sectari solet
Gnatum: ipso hanc in articulo emit fidicinam.
Mi. Hem, istic te homo articulatim concidit, senex,
Tuos servos. Pe. Quid? concidit? Mi. Sic suspicio est:
Nam fidicina pro illa haec subposita est tibi.
Senex, tibi os est sublitum plane et probe.
Ego illanc requiram jam, ubiubi est. Bellator, vale.
Pe. Euge, euge, Epidice! frugi es! pugnavisti! homo es!
Qui me emunxisti mucidum, minumi preti! —
Mercatus te hodie est de lenone Apoecides?
Ehodum! Fi. Istuc nomen nunquam audivi ante hunc diem,
Neque emere quisquam ulla quidem pecunia
Me potuit: plus jam libera sum quinquennium.
Pe. Quid tibi negoti est meae domi igitur? Fi. Audies:
Conducta veni, ut fidibus cantarem seni,
Dum rem divinam faceret. Pe. Fateor, me omnium

463. Sic Langg. V. a verbis *istis legibus* Periphanae orationem incipiunt. 464. Libri perduris numeris: *Conciliavisti pulcre* etc. 478. *trudis* plerique omnes libri vett. V.: *cudis.* 479. V.: *Gnatum ipse hanc emit fidicinam.* Edd. mediae: *ipse h. meo* (Guil. Quaest. in Epid., c. 3.: *in eo*) *articulo emit fid.* Cf. Terent. Adelph. 203. Non elidendum *ipso*, vel legendum *ipsod.* Male hi versus digesti in editionibus. 481. V., refragantibus vett.: Mi. *nihil: sic susp. est.* 482. *illa* arcessitum ex edd. mediis. *Pro* non liquescit. 485. Ita Camer. V.: *Euge, frugi, Epid., frugi es,* nullis quidem numeris. V. quoque: *pugnasti.* 488. Perperam libri: Fi. *Ego istunc hominem nunquam a. a. h. d.*

Hominum esse Athenis Atticis minumi preti.
Sed tu novistin' fidicinam Acropolistidem?
Fi. Tam facile, quam me. Pe. Ubi habitat? Fi. Postquam libera est,
Incerto scio. Pe. Eho, ain'? Quis eam liberaverit,
Volo scire, si scis. Fi. Id quod audivi, audies:
Stratippoclem clam, Periphanaï filium,
Absentem curavisse ut fieret libera.
Pe. Perii hercle, si istaec vera sunt, planissume!
Meum exenteravit Epidicus marsupium!
Fi. Haec sic audivi. Numquid me vis ceterum?
Pe. Malo cruciatu ut pereas atque abeas cito!
Fi. Fides non reddis? Pe. Neque fides neque tibias.
Propera igitur fugere hinc, si te di amant! Fi. Abiero.
Flagitio cum majore post reddes tamen.
Pe. Quid nunc? qui in tantis pósitus sum sententiis,
Eumne ego sinam inpune? Imo, etiamsi alterum
Tantum perdundum est, perdam potius quam sinam,
Hodie inrisu habitum, depeculatu, meis
Me! — Sic data esse verba praesenti palam! —
Ac me minoris facio prae illo, qui omnium
Legum atque jurum fictor, conditor, cluet.
Is etiam sese sapere memorat! Malleum
Sapientiorem vidi excusso manubrio.

PHILIPPA, PERIPHANES.

Ph. Si quid homini est miseriarum, quod miserescat misere ex animo, t. t. IV, 1
Id ego experior, quoi multum in unum locum cr. t.
Confluont, quae meum pectus pulsant simul!
Multiplex aerumna habet exercitam; as. 2 t. h.
Paupertas, pavor, territat mentem animi; b. d. i. h.
Neque, ubi spes conlocem meas, habeo usquam munitum locum: i. t.

496. V., intruso glossemate: — *libera'st, ubi Habitet dum, incerto scio.* Pe. *Eho*, etc. 499. *Periphanaï*, ut *Anchisaï*, *Geryonaï*, *Aeneaï* etc. Vid. Priscian. l. 7. p. 728. Putsch. V.: *Strat. audivi Periphani fil.* Sed. *aud.* abest a libris vett. Cf. Trin. 329, 1148. 511. V.: — *sinam Me impune esse hab., depeculatum eis.* Recte Is. Pontan.: *depeculatu meis. Hodie* legitur in Guelferbytano. *Impune* petitum ex versu 509. 516. Sic A. Maji codex palimpsestus. Vulgo verba *vidi excusso* desiderantur. 517. V.: *quod miserescat, miser ex an est.* 518. *ego* non est elidendum. 520. Sic Monac. et vett. edd. V.: *me exerc. habet.*

Ita gnata mea hostium est potita, neque nunc ubi sit, nescio,
Pe. Quis illaec est mulier, timido pectore peregre adveniens, quae ipsa se
Miseratur? Ph. In his dictust mihi locis habere Periphanes.
Pe. Me nominat haec: credo ego, illi hospitio usus evenit.
Ph. Pervelim mercedem dare, qui monstret eum mi hominem, aut, ubi habitet. t. t.
Pe. Noscito ego hanc: nam videor, nescio ubi, vidisse me prius. t. t. c.
Estne ea, annon ea est, quam animus retur meus? c. t.
Ph. Di boni, hunc visitavi antidhac! c. tr.
Pe. Certo ea est, quam in Epidauro pauperculam memini comprimere.... t. t.
Ph. Plane hic ille est, qui in Epidauro primus pudicitiam mihi pepulit!
Pe. Quae meo conpressu peperit filiam, quam domi nunc habeo!
Ph. Quid, si adeam .... Pe. Haud scio, an congrediar... Ph. Si hic is est? Pe. Si haec est ea. t. t. c.
Ph. Sin est is homo, sicut anni multi me dubiam danunt...
Pe. Longa dies meum incertat animum. Sin est, quam incerto autumo:
Astu hanc congrediar. Ph. Muliebris mi adhibenda est nunc malitia.
Pe. Conpellabo. Ph. Orationis aciem contra conferam.
Pe. Salva sis. Ph. Salutem accipio mi et meis. Pe. Quid ceterum?
Ph. Salvos sis: quod credidisti, reddo. Pe. Haud adcuso fidem,
Novin' ego te? Ph. Si ego te novi: animum inducam, ut noveris.
Pe. Ubi te visitavi? Ph. Inique injurius. Pe. Quid jam? Ph. Quia
Tuae memoriae interpretari me aequom censes. Pe. Commode
Fabulata es. Ph. Mira memoras Periphane. Pe. Hem, istuc rectius!
Meministine... Ph. Meminerim? quid? Pe. In Epidauro.... Ph. Ah, guttula

523. Ita Guelf. et Monac. V: *ea nunc.* 526. *Nominat* vel dictum per crasin pro *nominavit*, vel pronuntiandum certe est longa syllaba postrema, sicut produci solent ejusmodi syllabae verbales. *Ego ἀνεκθλίπτως legendum est.* 535. Libri, immissa interpretatione *ἀμέτρῳ: dant.* 536. V.: *Sin ea est.* 541. V.: *uti,* quod item ἄμετρον. 545. V.: *Meministin'? Ph. memini id. Pe. in Epid.* etc.

Pectus ardens mi adspersisti. Pe. Virgini pauperculae
Tuaeque matri me levare paupertatem? Ph. Tun' is es,
Qui tuam per voluptatem in me aerumnam obsevisti gravem?
Pe. Ego sum, Salve! Ph. Salva sum: quia te esse salvom sentio.
Pe. Cedo manum! Ph. Accipe! Aerumnosam et miseriarum conpotem
Mulierem retines. Pe. Quid est, quod voltus conturbat tuos?
Ph. Filiam, quam ex te suscepi . . . . Pe. Quid eam? Ph. Eductam perdidi:
Hostium est potita. Pe. Habe animum lenem et tranquillum face:
Domi meae eccam salvam et sanam. Nam postquam audivi eloco i. t.
Ex meo servo, illam esse captam, continuo argentum dedi, t. t. c.
Ut emeretur; eam adeo rem sobrie et frugaliter
Adcuravit ille, ut alias res est inpense inprobus.
Ph. Fac videam, sitne illa. Pe. Eho, istinc, Canthara, i statim jube
Acropolistidem prodire filiam ante aedis meam:
Ut suam videat matrem. Ph. Remigrat animus nunc demum mihi!

FIDICINA. PERIPHANES. PHILIPPA.

Fi. Quid est, pater, quod me excivisti ante aedis? Pe. Ut matrem tuam i. t. IV, 2
Videas, adeas, advenienti des salutem atque osculum. t. t. c.
Fi. Quam? meam matrem? Pe. Quae examinata exsequitur adspectum tuom.
Ph. Quis istaec est, quam tu osculum mihi ferre jubes? Pe. Tua filia. i. t.

551. V.: *quod voltus te turbut tuus*. Guelf. *quod digitus conturbat t.* *Digitus* etiam ceteri codd. praeter Camerarii, qui liber: *quod duoitus*, h. e. *quod voltus*. Pluralis numerus usurpatus pro singulari, sicut passim apud poëtas. 555. Libri plurimi, male obturbante versu asynarteto: *captivam*. *Captam* Monac. et edd. vett. 558. Sic plane Helmstad. noster. Alii vett.: *Fac vid., sitne* (*sine, sime*). V.: *F. v., si me vis*, cum Camerarius dedisset: *si me vis vivere*. 558. Ita vet. cod. Camerar. et Langg., nisi quod *i* accessit ex Helmstadiensi et edd. mediis. V.: *eho, Canth., stat. jube*. 562. Ita Camer. V. numeris mancis: *venienti*. 564. Monac.: *Quae ist. est?* sed recte se habet lectio vulgata.

PH. Haeccine? PE. Haec. PH. Egone osculum huic dem?
PE. Cur non, quae ex te nata sit? t. t. c.
PH. Tu homo, insanis. PE. Egone? PH. Tu nae. PE. Cur? PH. Quia hanc ego, quae siet,
Neque scio neque novi, neque ego hanc oculis vidi ante hunc diem.
PE. Scio, quid erres: quia vestitum atque ornatum inmutabilem
Habet haec mulier. PH. Aliter catuli longe olent, aliter sues.
Nego eam me novisse, quae sit. PE. Proh deum atque hominum fidem,
Quid ego? lenocinium facio, qui habeam alienas domi
Atque argentum egurgitem domo prorsum? Quid tu, quae patrem as. t. d. i. d.
Tuom vocas me atque osculare? Quid stas, stupida? quid taces? i. t.
FI. Quid loquar vis? PE. Haec negat se tuam esse matrem. FI. Ne fuat, t. t. c.
Si nevolt: equidem hac invita tam ero matris filia.
Non me istanc cogere aequom est meam esse matrem, si nevolt. i. t.
PE. Cur me igitur patrem vocabas? FI. Tua istaec culpa est, non mea: as. t. d. i. d.
Non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me adpelles filiam?
Hanc quoque etiam, si me adpellet filiam, matrem vocem. t. t. c.
Negat haec, filiam me suam esse: non ergo haec mater mea est.
Postremo haec mea culpa non est: quae didici, dixi omnia.
Epidicus mihi fuit magister. PE. Perii, plaustrum perculi!
FI. Numquid ibi ego tibi peccavi? PE. Si hercle te unquam audivero
Patrem me vocare: vitam tuam ego interimam! FI. Non voco.
Ubi voles pater esse: ibi esto; ubi noles: ne fueris pater

566. Plerique omnes vett.: *tune?* vel *tune*, ut Helmstad., h. e. *tu nae*. V.: *tute*. 569. Verbo *mulier* offecisse videtur sequens nota personae *mu*. (mulier): nam eo compendio designari solet Philippa in libris MSS. 570. Additum *me* a Lambino. 571 Ita Langg. Minus significanter ceteri libri: *alienos*. 575. Libri duriore numero: *Si non volt: e. h. i. tamen e. m. f.* 576. *aequom* non liquescit. 583. *tibi* petitum ex Langianis, Helmstad. et edd. mediis. *Audivero* inter versus legebatur in Pal. 6. 584. V., refragantibus plerisque omnibus vett.: *inter., pessuma*.

Ph. Quid? ob eamne rem hanc emisti, quia tuam gnatam ratus?
Quibus de signis agnoscebas? Pe. Nullis. Ph. Quare filiam
Credidisti nostram? Pe. Servos Epidicus dixit mihi.
Ph. Quid, si servod aliter visum est? non poteras novisse, obsecro? as. t. d. i. d.
Pe. Quid ego, qui illam, ut primum vidi, nunquam vidi postea?
Ph. Perii misera! Pe. Ne fle, mulier! intro abi! habeto animum bonum:
Ego illanc reperiam! Hinc Athenis civis eam emit Atticus. i. t.
Adulescentem equidem dicebant emisse. Inveniam! tace.
Abi modo intro atque hanc adserva Circam, Solis filiam.
Ego relictis rebus Epidicum operam quaerendo dabo,
Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc ut fiat diem!

STRATIPPOCLES. EPIDICUS. DANISTA. VIRGO.

St. Male morigerus mi est danista, qui me argentum non petit t. t. c. V, 1.
Neque illam adducit, quae emta ex praeda est. Sed eccum incedit Epidicus. i. t.
Quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine?
Ep. Si undecim deos praeter sese secum adducat Jupiter: t. t. c.
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.
Periphanem emere lora vidi; ibi aderat una Apoecides;
Nunc homines me quaeritare credo. Senserunt; sciunt,
Sibi data esse verba. St. Quid agis, mea commoditas? Ep. Quod miser.
St. Quid est tibi? Ep. Quin tu mihi adornas ad fugam viaticum, i. t.
Priusquam pereo? nam per urbem duo defloccati senes
Quaeritant me; in manibus gestant copulas secum ferâ vi. t. t.
St. Habe bonum animum.... Ep. Quippe ego, quoi libertas in mundo sita est! t. t. c.
St. Ego te servabo. Ep. Edepol me illi melius, si nacti fuant.

592. Minus recte verba *Hinc — emisse* Philippae tribuuntur, quae de hac vix quidquam compertum habere poterat. 597. V.: *qui de me arg. n. p.* Langg.: *quod me arg. n. p.* 607. Vett.: *secum suavi* vel *siavi*, Helmstad. et Monac.: *fecum sua vi.* Saepe permixta *ferus* et *suus*: vidd. interpp. ad Ovid. Met. 1, 159. *Copulas ferâ vi*, crassissimas. V.: *secuneias*, quod quid sibi velit, scio cum ignarissimis.

Sed quis haec muliercula et illic gravastellus, qui venit?
St. Hic est danista, haec illa est autem, quam emi ex praeda. Ep. Haeccine est? i. t.
St. Haec est. Estne, ut tibi dixi? Adspecta. Ep. Haec? St. Contempla, Epidice. t. t. c.
Usque ab unguiculo ad capillum summum est festivissuma!
Estne? Conspicare: signum pictum pulcre videris.
Ep. Ex tuis verbis meum futurum corium pulcrum praedicas,
Quem Apelles ac Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis. i. t.
St. Di inmortales, otio isse admiror pedibus! Pulmon' es, t. t. c.
Qui perhibetur? Prius venisset, quam tu advenisti mihi.
Da. Haec edepol remorata med est. St. Siquidem istius gratia et
Id remoratus, quod ista voluit, nimium advenisti cito.
Da. Age, age, absolve me atque argentum numera: ne comites morer.
St. Pernumeratum est. Da. Tene crumenam: huc inde. St. Sapienter venis!
Opperire, dum ecfero ad te argentum. Da. Matura! St. Domi est.
Ep. Satin' ego oculis utilitatem obtineo sincere, an parum?
E Philippa matre natam abs Thebis, Epidauri satam,
Videon' ego Telestidem te, Periphanaï filiam?
Vi. Quis tu homo es, qui meum parentum nomen memoras et meum?
Ep. Non me novisti? Vi. Quod quidem nunc veniat in mentem mihi. i. t.
Ep. Non meministi, me auream ad te adferre natali die t. t. c.
Lunulam atque anellum aureolum in digitum?
Vi. Memini, mi homo. Tun' is? t. t.
Ep. Ego sum et istic frater tuos est alia matre, uno patre. t. t. c.
Vi. Quid pater meus? vivost? Ep. Animo liquido et tranquillo es! tace!

610. V.: *S. q. est haec.* Monac. et Fest. v. Ravi: *S. q. haec est*, ut errare solent interpretamenta. 612. Ita Helmstad. et vett. edd. V. *est* desideratur. *Estne* non eliditur. 614. Libri bene multi et bonae notae, in his Palatini Guelferbyt. et Helmstad.: *conspice.* V.: *considera*, quod subvertit versum. 617. Vett.: *pulmones* vel *pulmunes.* Erasm. Adagg. 4, 5: „Pulmo prius venisset dictum est olim in cessatores" etc. V.: *pulmoneis.* 620. V.: *gratia Es remoratus.* Sed major pars codicum: *gr. Id rem.*, quod mihi non contemnendum videbatur. 626. Codd. hiante versu: *Periphani.* Cf. not. ad 499. 630. Ὑπερμέτρως libri: *Tun' is es?* 632. Nescio quis apud Pareum: *tranqu. sis face*, quod ferri potest. Fuerit tum versus asynartetus ex trochaïco dim. similique jambico compositus.

VI. Di me ex perdita servatam cupiunt, si vera autumas.
EP. Non habeo ullam occasionem, ut apud te falsa fabuler.
ST. Accipe argentum hoc, danista: hic sunt quadraginta minae.
Si quid erit dubium: inmutabo. DA. Benefecisti. Bene vale.
ST. Nunc enim tu mea es. VI. Soror quidem edepol: ut tu aeque scias.
Salve, frater. ST. Sanan' haec est? EP. Sana, si adpellat suom.
ST. Quid? ego modo sum frater factus huic, dum eo intro atque exeo? i. t.
EP. Quod boni est, id tacitus taceas tute tecum et gaudeas.
ST. Perdidisti et reperisti me, soror! EP. Stultus! tace:
Tibi quidem, quod ames, domi praesto, fidicina, est opera mea;
Et sororem in libertatem idem opera concilio mea.
ST. Epidice, fateor . . . . EP. Abi intro atque huic jube aquam calefieri.
Cetera haec posterius faxo scibis, ubi erit otium.
ST. Sequere hac me, soror. EP. Ego ad vos Thesprionem jussero
Huc transire. Sed memento, si quid saevibunt senes,
Suppetias mihi cum sorore ferre. ST. Facile istuc erit.
EP. Thesprio, exi istac per hortum! adfer domum auxilium mihi!
Magna est res! — Minoris multo facio quam dudum senes.
Remeabo intro: ut adcurentur advenientes hospites.
Eadem haec intus edocebo, quae ego scio, Stratippoclem.
Non fugio: domi adesse certum est, neque ille haud objiciet mihi, as. t. d. i. d.
Pedibus sese provocatum. Abeo intro: nimis longum loquor. t. t. c.

PERIPHANES. APOECIDES. EPIDICUS.

PE. Satin' illic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos t. t. c. V, 2.

639. *Sum* non in vulgatis libris, sed legitur in Guelf. et Langianis. 641. Malim: *Reper. et perd.* 647. V. debilibus numeris: *saeviunt.* Correxit Douza in Centurionatu. 655. Perperam libri: *S: ille hic homo.*

Habet? Ap. Imo edepol tu quidem me miserum habes miseris modis.
Pe. Tace, sis, modo. Sine hominem apisci me! Ap. Dico ego tibi jam, ut scias. i. t.
Alium tibi te comitem melius quaerere: ita, dum te sequor, t. t. c.
Lassitudine invaserunt misero in genua flemina.
Pe. Quot illic hodie med exemplis ludificatust atque te! i. t.
Ut illic autem exenteravit mihi opes argentarias!
Ap. Apage illum a me: nam ille quidem Volcani irati est filius: t. t. c.
Quaqua tangit, omne amburit; si prope adstes, calefacit.
Ep. Duodecim dis plus, quantum in coelo est deorum inmortalium,
Mihi nunc auxilio adjutores sunt et mecum militant!
Quidquid ego malefeci, auxilia mi et suppetiae sunt domi!
Ἀπολακτίζω omnis inimicos! Pe. Ubi illunc quaeram gentium? as. t. d. i. d.
Ap. Dum sine me quaeras, mea causa quaeras vel medio in mari. t. t. c.
Ep. Quid me quaeris? quid laboras? quid hunc sollicitas? Ecce me! as. t. d. i. d.
Num te fugi? num ab domo absum? num oculis concessi tuis? t. t. c.
Nec tibi supplico. Vincire vis? Hem, ostendo manus!
Tu habes lora: ego te emere vidi. Quid nunc cessas? Conliga!
Pe. Ilicet! Vadimonium ultro mi hic facit. Ep. Quin conligas?
Ap. Edepol mancipium scelestum! Ep. Te profecto, Apoecides,
Nil moror mihi deprecari. Ap. Facile exoras, Epidice.
Ep. Ecquid agis? Pe. Tuon' arbitratu? Ep. Meo hercle vero, atque haud tuo,
Conligandae haec sunt tibi hodie. Pe. At non lubet: non conligo.

663. Ita Langg. V.: *aestu calef.*, quod manifestum putidumque et ἄμετρον est glossema. 664. Libri soloece: *quam in coelo est*. 667. *omnis* priorem syllabam corripit hoc loco, sicut passim. 670. Monac.: *non ab oc. c. t.* An legendum: *num ab oculis c. t.?* Fuerit tum versus similis antecedenti. 671. *Hem* non liquescit. Douza: *En*. 675. Vett. corrupte: *de prae, deprae, depre.* Camer. et vulgo editores, versum jugulantes more suo: *deprecatorem*. 676. Sic nostri codd., quod est cessantem urgentis. V.: *Eho, quid agis?* 677. Sic Monac. V.: *hae*. Male post hunc quoque versum ponitur.

Ap. Tragulam in te injicere adornat! nescio quam fabricam facit!
Ep. Tibi moram facis, quom ego solutus adsto: adliga, inquam! conliga! as. t. d. i. d.
Pe. At mihi mage lubet, solutum te rogitare. Ep. At nil scies. t. t. c.
Pe. Quid ago? Ap. Quid agas? Mos geratur. Ep. Frugi es tu homo, Apoecides!
Pe. Cedo manus igitur! Ep. Morantur nihil. Atque arte conliga!
Nil verere: obnoxiosus. Pe. Facto opere arbitramino!
Ep. Bene hoc habet. Age nunc iam ex me exquire! rogita, quod lubet! i. t.
Pe. Qua fiducia ausus primum, quae emta est nudiustertius, t. t. c.
Filiam meam dicere esse? Ep. Lubuit: ea fiducia.
Pe. Ain' tu? lubuit? Ep. Ajo. Vel da pignus, ni ea sit filia.
Pe. Quam negat novisse mater? Ep. Ni ergo matris filia est:
In meum numum, in tuom talentum, pignus da. Pe. Enim istaec captio est. as. t. d. i. d.
Sed quis ea est mulier? Ep. Tui gnati amica, ut omnem rem scias. t. t. c.
Pe. Dedin' tibi minas triginta ob filiam? Ep. Fateor datas, i. t.
Et eo argento illanc me emisse amicam fili fidicinam t. t. c.
Pro tua filia. Istam ob rem te tetigi triginta minis.
Pe. Quomodo me ludos fecisti de illa conductitia
Fidicina? Ep. Factum hercle vero, et recte factum judico.
Pe. Quid postremo argento factum est, quod dedi? Ep. Dicam tibi:
Neque malo homini neque benigno, tuo dedi Stratippocli.
Pe. Cur dare ausus? Ep. Quia mihi lubitum est. Pe. Quae haec, malum, ferocia est?
Ep. Etiam inclamitor quasi servos? Pe. Quom tu es, liber, gaudeo.
Ep. Merui, ut fierem. Pe. Tu meruisti? Ep. Vise intro: ego faxo scies,
Hoc ita esse. Pe. Quid est negoti? Ep. Jam ipsa res dicet tibi.

680. Monuit Acid. 683. Depravate legitur *Nihil vero obnoxiose.* Helmstad.: *obnoxius esse.* Intelliges *sum obnox.*, sicut subaudiri solet verbum substantivum. V. quoque: *arbitraminor*, sed liber Camer. prisce: *arbitramino.* 694. Vett.: *ludo fecisti.* V.: *ludifecisti.* *Quomodo* liquescente littera o media pronuntiandum est. 698 Supplevit Lamb.

Abi modo intro! Pe. Hei, non illuc temere est! — Adserva istum, Apoecides! i. t.
Ap. Quemne hodie per urbem uterque sumus defessi quaerere? t. t. c.
Ep. Ego sum defessus reperire, vos defessi quaerere. i. t.
Ap. Quid illuc, Epidice, est negoti? Ep. Maxuma hercle injuria
Vinctus adsto, quojus hinc hodie opera inventa est filia! t. t. c.
Ap. Ain' tu te illius invenisse filiam? Ep. Inveni, et domi est.
Sed ut acerbum est, pro benefactis quom mali messem metas!
Pe. Quid isti oratis opere tanto? C o n meruisse intellego, i. t.
Ut lubeat merito hujus facere. Cedo tu, ut exsolvam manus! t. t. c.
Ep. Ne attigas. Pe. Ostende vero! Ep. Nolo. Pe. Non aequom facis.
Ep. Nunquam hercle hodie, nisi supplicium mihi das, me solvi sinam!
Pe. Optumum atque aequissumum oras. Soccos, tunicam, pallium
Tibi dabo. Ep. Quid deinde porro? Pe. Libertatem.
Ep. At postea?
Novo liberto opus est, quod pappet. Pe. Dabitur: praebebo cibum. i. t.
Ep. Nunquam hercle hodie, nisi me orassis, solves. Pe. Oro te, Epidice, t. t. c.
Mihi ut ignoscas, si qui inprudens culpa peccavi mea.
At ob eam rem liber esto. Ep. Invitus do hanc veniam tibi;
Nisi necessitate cogor. Solve sane, si lubet.

G R E X.

Hic is homo est, qui libertatem malitia invenit sua.
Plaudite et valete! lumbos surgite atque extollite!

703, 4. Minus apte leguntur post 708. 706. *hinc.* V.: *haec.* Junt. Ald.: *huic.* Vid Bentl. ad Terent. Eun. 5, 5, 15. *Hinc,* ex herili domo. 709. Sic vett. *Con*- raptum videtur a syllaba praegressa. Certe quiddam simile versus poscit. 710. V.: *Ut liceat.* Non semel haec confusa. 717. *qui*, aliquo modo. Libri impingente versu: *quid.* 719. Sic Helmstad. *Nisi*, sed. V.: *cogar.*

MENAECHMI.

ARGUMENTUM.

Mercator Siculus, cui erant gemini filii, i. s.
Ei, subrepto altero, mors obtigit:
Nomen subreptiti indit illi, qui domi est,
Avus paternus, facit Menaechmum Sosiclem;
Et is germanum, postquam adolevit, quaeritat
Circum omnes oras; post Epidamnum devenit
(Huc fuerat ductus ille subreptitius):
Menaechmum civem credunt omnes advenam,
Eumque adpellant meretrix uxor et socer.
Ibi se cognoscunt fratres postremo invicem.

Vers. 2. vox *subrepto* non eliditur, neque opus est legi, ut in edd. mediis, *subr. clam alt.* 7. Sic Acid. Divinatt. in Plaut. p. *Hic f. auttus*, ut Decurt., *auitus*, *aiutus;* Junt. Ald. etc.: *alitus.* V.: *Hic. f. auctus*, quod prorsus inusitatum. 10. *Ibi*, Epidamni. V.: *Ii.*

DRAMATIS PERSONAE.

PENICULUS.
MENAECHMUS.
MENAECHMUS SOSICLES.
EROTIUM.
CYLINDRUS.
MULIER.
MESSENIO.
SERVOS ALIUS.
ANCILLA.
SENEX.
MEDICUS.
LORARII.

PROLOGUS.

Salutem primum jam a principio propitiam i. s.
Mihi atque vobis, spectatores, nuntio.
Adporto vobis Plautum lingua, non manu:
Quaeso, ut benignis accipiatis auribus.
Nunc argumentum accipite atque animum advortite!
Quam potero in verba conferam paucissuma.
Atque hoc poëtae faciunt in comoediis:
Omnis res gestas esse Athenis autumant:
Quo graecum vobis illud videatur magis;
Ego nusquam dicam, nisi, ubi factum dicitur.
Atque adeo hoc argumentum graecissat; tamen
Non Atticissat, verum Sicilicissitat.
Huic argumento antelogium hoc fuit;
Nunc argumentum vobis demensum dabo
Non modio neque trimodio, verum ipso horreo:
Tantum ad narrandum nostra adest benignitas.
Mercator quidam fuit Syracusis senex;
Eji sunt nati filii gemini duo,
Ita forma simili pueri, ut mater sua
Non internosse posset, quae mammam dabat,
Neque adeo mater ipsa, quae illos pepererat;
Ut quidem ille dixit mihi, qui pueros viderat:
Ego illos non vidi, ne quis vostrum censeat.
Potquam jam pueri septuennes sunt: pater
Oneravit navim magnam multis mercibus.
Inponit geminum alterum in navim pater,

13. Ita Decurt. Vulgo, secundum Camerarium, *antel. quidem. h. f.* Verba *arg.* et *antel.* non eliduntur. 15. Vett., in ordinem recepto glossemate: *T. ad narr. argumentum adest ben.* Edd. mediae: *T. ad narr. vostra ad ben.* 18. Decurt.: *e'i sunt*, V.: *Ei sunt.* 19. Sic Palat. V., parum suavi ὁμοιοτελεύτῳ: *simili pueri, uti.* 25. Ita Dec. Vulgo: *navem.* 26. Sic idem et vett. V.: *alterum geminum.* Non liquescit *geminum.*

Tarentum avexit secum ad mercatum simul;
Illum reliquit alterum apud matrem domi.
Tarenti forte ludi erant, quom illuc venit;
Mortales multi, ut ad ludos, convenerant:
Puer aberravit inter homines a patre.
Epidamniensis quidam ibi mercator fuit;
Is puerum tollit avehitque Epidamnium.
Pater ejus autem postquam puerum perdidit:
Animum despondit; eaque is aegritudine
Paucis diebus post Tarenti ecmortuost.
Postquam Syracusas de ea re nuntius
Redit ad avom, puerorum subreptum alterum
[Patremque pueri Tarenti esse emortuom]:
Inmutat nomen huic avos gemino alteri:
Ita illunc dilexit, qui subreptust, alterum:
Illius nomen indit illi, qui domi est,
Menaechmo item, quod alteri nomen fuit,
Et ipsus eodem est avos vocatus nomine.
Propterea illius nomen memini facilius,
Quia illunc clamore vidi flagitarier,
Ne mox erretis, jam nunc praedico prius:
Idem est ambobus nomen geminis fratribus.
Nunc in Epidamnum pedibus redeundum est mihi:
Ut hanc rem vobis examussim disputem.
Si quis quid vostrum Epidamnum curari sibi
Velit: is audacter imperato et dicito;
Sed ita ut det, unde curari id possit sibi:
Nam nisi qui argentum dederit, nugas egerit,
Qui dederit, mage majores nugas egerit.
Verum illuc redeo unde abii, adque uno adsto in loco.
Epidamniensis illic, quem dudum dixeram,
Geminum illum puerum qui subripuit alterum,
Ei liberorum, nisi divitiae, nihil erat:
Adoptat illunc puerum subreptitium
Sibi filium, eique uxorem dotatam dedit,
Eumque heredem fecit, quom ipse obiit diem:
Nam rus ut ibat forte, ut multum pluverat,
Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule:
Rapidus raptori pueri subduxit pedes,
Abstraxitque hominem in maxumam malam crucem,
Illo illi divitiae evenerunt maxumae.

37, 38. Putide libri et ἀμέτρως:
Postquam Syracusas de re ea (vett.: *ea re*) *nuntius redit*
Ad avom puerorum, puerum subreptum alterum.
61. V.: *quam.*

Is illic habitat geminus subreptitius.
Nunc ille geminus, qui Syracusis habet,
Hodie in Epidamnum venit cum servo suo
Hunc quaeritatum geminum germanum suom.
Haec urbs Epidamnus est, dum haec agitur fabula;
Quando alia agetur: aliud fiet oppidum;
Sicut familiae quoque solent mutarier:
Modo hic adstat leno, modo adulescens, modo senex,
Pauper, mendicus, rex parasitus, hariolus . . . . . .

PENICULUS.

Juventus nomen fecit Peniculo mihi i. s. I, 1
Ideo, quia mensam, quando edo, detergeo.
Homines captivos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitivis servis indunt conpedes,
Nimis stulte faciunt mea quidem sententia:
Namque homini misero si ad malum accedit malum,
Major lubido est fugere et facere nequiter:
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo;
Tum conpediti anum lima proterunt,
Aut lapide excutiunt clavom. Nugae sunt eae.
Quem tu adversare recte, ne aufugiat, voles,
Esca atque potione vinciri decet.
Apud mensam plenam homini rostrum deliges!
Dum tu illi, quod edit et quod potet, praebeas
Suo arbitratu et adfatim cotidie:
Nunquam edepol fugiet, tametsi capital fecerit;
Facile adservabis, dum eo vinclo vincies:
Ita istaec nimis lenta vincla sunt escaria:
Quam magis extendas, tanto adstringunt artius.
Nam ego ad Menaehmum nunc eo; quo jam diu
Sum judicatus, ultro eo, ut me vinciat.
Nam illic homo homines non alit, verum educat
Recreatque; nullus melius medicinam facit:
Ita est adulescens ipsus escae maxumae:
Cerealis coenas dat: ita mensas exstruit

71. Malim: *Epidamnust, d. h. agetur f.* 74. *Modo hic adstat.* Scripti: *modonicaditat.* Gruter.: *Modohic agitat.* Vulgo: *M. enim idem fit leno.* Fabulae versu 3. sic legitur in Decurtato V.: *capteivos.* 6. Sic Palat. et vett. edd. V.: *accidit.* 9. Ita vet. liber Camer. Decurt.: *comp. janum.* V.: *comp. januam.* 14. Sic lib. Cam. vetus vetuste. V.: *edat.* 15. Pal. *et* non habet. 25. Ita Palat. V.: *Cerealeis.*

Et tantas struices concinnat patinarias:
Standum est in lecto, si quid de summo petas.
Sed mi intervallum jam hos dies multos fuit
(Domi domitus fui usque cum caris meis:
Nam neque edo neque emo, nisi, quod est carissumum,
Et quoque jam cari qui instruontur, deserunt);
Nunc ad eum inviso. Sed aperitur ostium.
Menaechmum eccum ipsum video; progreditur foras.

MENAECHMUS. PENICULUS.

Me. Ni mala, ni stulta sies, ni indomita inposque animi: ch. t. I, 2.
Quod viro esse videas odio, tute tibi odio habeas. as.t.d.i.h.
Praeterhac si mihi tale post hunc diem c. t.
Faxis: faxo foris vidua visas patrem!
Nam quotiens foras volo ire: me retines, revocas, rogitas, as. t. d. i. d. c.
Quo ego eam, quam rem agam, quid negoti geram, c. t.
Quid petam, quid feram, quid foris egerim.
Portitorem domum duxi: ita omnem mihi
Rem necesse est loqui, quidquid egi atque ago.
Nimium ego te habui delicatam. Nunc adeo, ut facturus, dicam. t. t.
Quando ego tibi ancillas, penum, lanam, aurum, vestem, purpuram, i. t.
Bene praebeo nec quidquam eges: malo cavebis, si sapis:
Virum observare desines! i. d.
Atque adeo, ne me nequidquam serves: ob eam industriam t. t. c.
Hodie ducam scortum ad coenamque aliquo condicam foras.
Pe. Illic homo se uxori simulat male loqui, loquitur mihi:
Nam si foris coenat: profecto me, haud uxorem, ulciscitur. i. t.
Me. Euax, jurgio hercle tandem uxorem abegi ab janua! t.t.c.
Ubi sunt amatores mariti? dona quid cessant mihi i. t.
Conferre omnes, congratulantes, quia pugnavi fortiter?
Hanc modo uxori intus pallam subripui; ad scortum fero. t. t. c.
Sic hoc decet! Dari facete verba custodi catae, i. t.

31. V.: *Id quoque. Cari*, cibi; sed 29. cari sunt φίλοι. 48. Palat. et vett. edd.: *ad coenam atque a. c. f.* V.: *atque ad coen.* 52. Ita scripti. V.: *sunt amat.* 55. Non plene distinguendum post *catae*, ut vulgo fit.

Hoc facimus pulcrum est, hoc probum est, hoc lepidum est, hoc factum est fabre!
Meo malo a mala abstuli; hoc ad damnum deferetur. i.t.c.
Avorti praedam ab hostibus, nostrûm salute sociûm!
Pe. Heus, adulescens, ecquae in istac pars inest praemi mihi? t. t. c.
Me. Perii, in insidias deveni! Pe. Imo in praesidium; ne time!
Me. Quis homo est? Pe. Ego sum. Me. O mea commoditas, o mea opportunitas,
Salve! Pe. Salve. Me. Quid agis? Pe. Teneo dextera genium meum.
Me. Non potuisti mage per tempus mi advenire, quam advenis.
Pe. Ita ego soleo: commoditatis omnis articulos scio.
Me. Vin' tu facinus luculentum inspicere? Pe. Quis id coxit cocus? as. t. d. i. d.
Jam sciam, si quid titubatum est, ubi reliquias videro. t.t.c.
Me. Dic mihi, num qua tu vidisti tabulam pictam in pariete,
Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?
Pe. Saepe. Sed quid istae picturae ad me attinent? Me. Age, me adspice! as.t.d.i.d.
Ecquid adsimulo similiter? Pe. Qui istic est, ornatus tuos?
Me. Dic hominem lepidissumum esse med! Pe. Ubi esuri sumus? t. t. c.
Me. Dic modo hoc, quod ego te jubeo! Pe. Dico: „Homo lepidissume."
Me. Ecquid audes de tuo istuc addere? Pe. „Atque hilarissume."
Me. Perge. Pe. Non pergo hercule ego, nisi scio, qua gratia.
Litigium est tibi cum uxore: hoc mi abs te caveo cautius.
Me. Te morare, mihi quom obloquere. Pe. Oculum ecfodito persolum, t. t.
Mihi, Menaechme, si ullum verbum faxo, nisi, quod jusseris! t. t. c.
Me. Clam uxorem ubi sepulcrum habemus, et hunc comburamus diem.

56. Sic MSS. V.: *hoc lepidum*. 62. *meum*. Decurt.: *mihi*. 75. Ita Gronovii liber Academicus et vett. edd. V.: *uxore. oh, mihi abs te*. 76, 77. inepte post 80 inseruntur. 76. verba *obl*. et *Oculum* non sunt elidenda. 78. V.: *habeamus*. *Et*, etiam.

Pe. Age sane igitur, quando aequom oras! Quam mox incendo rogum?
Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuos.
Me. Concede huc a foribus. Pe. Fiat. Me. Etiam concede huc. Pe. Licet.
Me. Etiam nunc concede audacter ab leonino cavo.
Pe. Heu edepol nae tu, ut ego opinor, esses agitator probus.
Me. Quidum? Pe. Ne te uxor sequatur, respectas identidem.
Me. Sed quid ais? Pe. Egone? id enim, quod tu vis, id ajo atque id nego.
Me. Ecquid tu de odore possis, si quid forte olfeceris,
Facere conjecturam? Pe. Captum si siet conlegium.
Me. Agedum, odorare hanc, quam ego habeo, pallam. Quid olet? — Abstines?
Pe. Summum olfactare oportet vestimentum muliebre:
Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore inlucido.
Me. Olfacta igitur hinc, Penicule lepide, ut fastidis. Pe. Decet.
Me. Quid igitur? quid olet? Responde. Pe. Furtum, scortum, prandium.
Me. Nunc ad amicam deferetur, hanc meretricem Erotium:
Mihi tibi atque illi jubebo jam adparari prandium;
Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus
Pe. Expedite fabulatus. Jam foris ferio? Me. Feri.
Vel mane etiam. Pe. Mille passûm conmoratus cantharum
Me. Placide pulta. Pe. Metuis, credo, ne fores Samiae sient.
Me. Mane. mane, obsecro, hercle: eapse, eccam, exit. Ah! solem vides?
Satin' ut occoecatust prae hujus corporis candoribus?

EROTIUM. PENICULUS. MENAECHMUS.

Er. Anime mi, Menaechme, salve! Pe. Quid ego? Er. Extra numerum es mihi. t. t. c. I, 3.
Pe. Item istuc aliis ad legionem fieri adscriptivis solet. i. t.
Me. Ego istic mihi hodie adparari jussim apud te — proelium.

87. Vett.: *Capt. sit collegium.* Junt. eaque recentiores edd.: *C. s. coll. augurum.* Glossema. 89. *Summum* non liquescit. 90. Sic MSS., nisi quod *modore* in iis legitur, m. littera pertinente ex praegresso verbo. V.: *od. illatibili.* 97. *passûm*, passuum, ut etiam Lucil. apud Macrob. Sat. 1, 5. Cf. Turnebi Advers. 18, 14. 99. Sic Acid. Divinatt. pagg. 254. sequ. V.: *hercle: ah se ecca e.* Pe. *oh! Solem vides.*

Er. Hodie id fiet. Me. In eo uterque proelio — potabimus. t. t. c.
Uter ibi melior bellator erit inventus — cantharo,
Tua est legio: adjudicato, cum utro hanc noctem sies.
Ut ego uxorem, mea voluptas, ubi te adspicio, odi male!
Er. Interim, nequis, quin ejus aliquid indutus sies.
Quid hoc est? Me. Induviae tuae atque uxoris exuviae, rosa.
Er. Superas facile, ut superior sis mihi quam quisquam, qui inpetrant.
Pe. Meretrix tantisper blanditur, dum illud, quod rapiat, videt. —
Nam si amabas, jam oportebat nasum abreptum mordicus.
Me. Sustine hoc, Penicule: exuvias facere, quas vovi, volo.
Pe. Cedo. Sed, obsecro hercle, salta sic cum palla postea.
Me. Ego saltabo? Sanus hercle non es. Pe. Egone, an tu magis?
Si non saltas: exue igitur. Me. Nimio ego hanc periculo
Subripui hodie. Meo quidem animo ab Hippolyta subcingulum
Hercules haud aeque magno unquam abstulit periculo.
Cape tibi hanc: quando una vivis meis morigera moribus.
Er. Hoc animo decet animatos esse amatores probos.
Pe. Qui quidem ad mendicitatem properent se detrudere.
Me. Quatuor minis ego emi istanc anno uxori meae.
Pe. Quatuor minae perierunt plane, ut ratio redditur.
Me. Scin', quid volo ego te adcurare? Er. Scio. Curabo, quae voles.
Me. Jube igitur nobis apud te prandium adcurarier,
Atque aliquid scitamentorum de foro obsonarier ....
Pe. Glandionidam suillam, laridum, pernonidem,
Aut sinciput, aut omenta porcina, aut aliquid ad eum modum, i. t.
Madida quae mi adposita in mensam miluinam suggerant. t. t.. c.
Me. Atque actutum. Er. Licet ecastor. Me. Nos prodimus ad forum.
Pe. Jam hic nos erimus: dum coquetur, interim potabimus.

104. MSS.: *proilio*, ut prisci illi *coilum* pro coelum aliaque similia dixere. V. secundum Camerarium *pro Ilio*, merito improbantibus Lamb. et Mureto V. L. 6, 4. 106. Vocabula *Tua* et *utro* non eliduntur. 120. Haec Menaechmo tribuuntur in edd. vulgatis, et in vett. Peniculo. Rectius, ni fallor, nos. 123. Ita Decurt. Vulgo *periere.* 125. V., impedito versu: *nobis tribus.* Scripti: *tribus nobis*, migrante verbo *tribus* more glossematum. 127 — 129. Indecore haec Menaechmo tribuuntur. 131. Sic Palat. et edd. vett. V.: *nos hic er.: dum coquitur.*

Er. Quando vis, veni: parata res erit. Pe. Propera modo!
Me. Sequere tu. Pe. Ego hercle vero te servabo et te sequar.
Neque hodie, ut te perdam, meream deorum divitias mihi
Er. Evocate intus Cylindrum mihi cocum actutum foras!

EROTIUM. CYLINDRUS.

Er. Sportulam cape atque argentum. Eccos tris numos habes. t. t. c. I, 4.
Cy. Habeo. Er. Abi atque obsonium adfer. Tribus vide quod sit satis.
Neque defiat, neque supersit. Cy. Quojusmodi hi homines erunt?
Er. Ego et Menaechmus et parasitus ejus. Cy. Jam isti sunt decem: i. t.
Nam parasitus octo hominum munus facile fungitur. t. t. c.
Er. Elocuta sum convivas; ceterum cura. Cy. Licet.
Cocta sunt. Jube ire adcubitum. Er. Redi cito. Cy. Jam ego hic ero.

MENAECMUS SOSICLES. MESSENIO.

Me. S. Nulla est voluptas navitis, Messenio, i. s. II, 1.
Major meo animo, quam, quom ex alto procul
Terram conspiciunt. Mes. Major, non dicam dolo,
Quom adveniens terram videas, quae fuerit tua.
Sed, quaeso, quamobrem nunc Epidamnum venimus?
An, quasi mare, omnis circumimus insulas?
Me. S. Fratrem quaesitum geminum germanum meum.
Mes. Nam quid modi futurum est illum quaerere?
Hic annus sextus, postquam ei te operam damus.
Istros, Hispanos, Massiliensis, Illurios,
Mare superum omne Graeciamque exoticam
Orasque Italicas omnis, qua adgreditur mare,
Sumus circumvecti. Si acum, credo, quaereres:
Acum invenisses, si adpareret, jam diu.
Hominem inter vivos quaeritamus mortuom:

133. Libri perperam eliso pronomine: *te et serv.* Ego non liquescit. 134. Sic MSS. V.: *deum.* 144. *quom* non eliditur. Vel legendum *quamde.* Vid. Lucret. 1, 641. etc. 151. Palat.: *postqu. ire hioperam damus.* Apice autem caret i littera in eo libro. 152. MSS.: *Hilurios.*

Nam invenissemus jam diu, si viveret.
Me. S. Ergo istuc quaero certum qui faciat mihi.
Qui sese dicat scire, eum esse emortuom.
Operam praeterea nunquam sumam quaerere;
Verum aliter vivos nunquam desistam exsequi.
Ego illunc scio, quam cordi sit carus meo!
Mes. In scirpo nodum quaeris. Quin nos hinc domum
Redimus, nisi si historiam scripturi sumus?
Me. S. Dictum facessas doctum et discaveas malo!
Molestus ne sis! non tuo hoc fiet modo! Mes. Hem,
Illoc enim verbo esse me servom scio!
Non potuit paucis plura plane proloqui.
Verum tam nequeo continere, quin loquar.
Audi, Menaechme. Quom inspicio marsupium:
Viaticati hercle admodum aestive sumus.
Nae tu hercle, opinor, nisi domum revorteris,
Ubi nil habebis, geminum dum quaeris, gemes.
Nam ita istaec hominum natio est Epidamnia:
Voluptarii atque potatores maxumi,
Tum sycophantae et palpatores plurimi
In urbe hac habitant; tum meretrices mulieres
Nusquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est:
Quia nemo ferme sine damno huc devortitur.
Me. Ego istuc cavebo. Cedo dum mi huc marsupium!
Mes. Quid eo vis? Me. Jam abs te metuo de verbis tuis.
Mes. Quid metuis? Me. Ne mihi damnum in Epidamno duis.
Magnus tu amator mulierum es, Messenio;
Ego autem homo iracundus, animi perditi:
Id utrumque, argentum quando habebo, cavero:
Ne tu delinquas, neve ego irascar tibi.
Ms. Cape atque serva: me lubente feceris.

CYLINDRUS. MENAECHMUS SOSICLES. MESSENIO.

Cy. Bene obsonavi atque ex mea sententia; i. s. II, 2.
Bonum anteponam prandium pransoribus.
Sed eccum Menaechmum video. Vae tergo meo!
Prius jam convivae ambulant ante ostium,
Quam ego obsonatu redeo! Adibo atque adloquar. —

159. Ita Decurt. V.: *istunc*. 160. Sic idem. Vulgati libri numero debiliore: *mortuum*. 170. *tam*, tamen, ut vulgo legitur, minus quidem expedito versu. 171. Decurt.: *Audin*. 175. V.: *haec*.

Menaechme, salve. Me. Di te amabunt. Quis ego sum?
Cy. Novi hercle vero! Ubi convivae ceteri?
Me. Quos tu convivas quaeris? Cy. Parasitum tuom.
Me. Meum parasitum? Certe hic insanust homo.
Mes. Dixin' tibi, esse hic sycophantas plurimos?
Me. Quem tu parasitum quaeris, adulescens, meum?
Cy. Peniculum. Mes. Eccum, in vidulo salvom fero!
Cy. Menaechme, numero huc advenis ad prandium:
Nunc obsonatu redeo. Me. Responde mihi,
Adulescens: quibus hic pretiis porci veneunt
Sacres sinceri? Cy. Numo. Me. Numum a me accipe:
Jube te piari de mea pecunia:
Nam ego quidem insanum esse te certo scio,
Qui mihi molestus homini ignoto, quisquis es.
Cy. Cylindrus ego sum. Nomen non nosti meum?
Me. Seu tu Culindrus, seu Coriandrus: perieris!
Ego te non novi neque novisse adeo volo.
Cy. Est tibi Menaechmo nomen. Me. Tantum, quod sciam,
Pro sano loqueris, quom me adpellas nomine.
Sed ubi novisti me? Cy. Ubi ego te noverim,
Qui amicam habeas heram meam, hanc Erotium?
Me. Neque hercule habeo, neque te, quis homo sis, scio.
Cy. Non scis, quis ego sim, qui tibi saepissume
Cyathisso apud nos, quando potas? Mes. Hei mihi,
Quom nihil est, qui illi homini diminuam caput!
Me. Tun' cyathissare mihi soles, qui ante hunc diem
Epidamnum nunquam vidi neque veni? Cy. Negas?
Me. Nego hercle vero. Cy. Non tu in illisce aedibus
Habitas? Me. Di illos, qui illi habitant, homines perduint!
Cy. Insanit hic quidem, qui ipse maledicit sibi. —
Audin', Menaechme? Me. Quid vis? Cy. Si me consulas:
Numum illum, quem mihi dudum pollicitus dare,
Jubeas, si sapias, porculum adferri tibi:

195. MSS.: *Quisquis ego sum.* V.: *amabunt. scis quis ego s.?* 196. Sic Acid. V.: *Non h. v.* 205. Palat.: *num mis a me acc.* Ed. princeps: *sinceri nummum a me* acc. Fieri facile potuit, ut *numo* negligeretur. 207. Pal.: *N. equidem ins. e. te c. s.* Vel syllaba posterior verbi *ego* producenda est, sicut saepius fit apud hunc nostrum, vel non elidendum *insanum;* et ea quidem potior ratio. 210. *Culindrus* legi jussit ridiculi causa Nic. Heinsius. V.: *S. tu Cylindrus, seu Coriendrus, p.* 212. Male libri: Cy. *Est tibi Men. nomen tantum, quod sciam.* Me. *Pro* etc. In Palatino neque hic neque multis aliis locis discrimen ullum est personarum; sed item plene distinguitur post *sciam.* 216. V.: *hercle.* 219. Ita scripti. *Illi* non eliditur. V.: *illi qui.* 223. V.: *dii i. h., q. illic h. p.* Pal.: *di.*

Nam tu quidem hercle certo non sanus satis,
Menaechme, qui nunc ipsus maledicas tibi.
Mes. Heu hercule hominem multum et odiosum mihi!
Cy. Solet jocari saepe mecum illoc modo.
Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest.
Me. Quid ais tu? Quid vis, inquam? Cy. Satin' hoc, quod vides,
Tribus vobis obsonatum, an obsono amplius.
Tibi et parasito et mulieri? Me. Quas mulieres,
Quos tu parasitos loquere? Mes. Quod te urget scelus,
Qui huic sis molestus? Cy. Quid tibi mecum est rei?
Ego te non novi; cum hoc, quem novi fabulor.
Me. Non edepol tu, homo, sanus es, certo scio.
Cy. Jam ergo haec madebunt faxo; nil morabitur:
Proin tute ab aedibus ne quo abbitas longius.
Numquid vis? Me. Ut eas maxumam in malam crucem!
Cy. Ire hercle meliust te interim atque adcumbere,
Dum ego haec adpono Volcani ad violentiam.
Ibo intro et dicam, te hic adstare, Erotio:
Ut te hinc abducat potius, quam hic adstes foris.
Me. Jamne abiit? Abiit. Edepol haud mendacia
Tua verba experior esse. Mes. Observato modo:
Nam istic meretricem credo habitare mulierem,
Ut quidem ille insanus dixit, qui hinc abiit modo.
Me. Sed miror, qui ille noverit nomen meum.
Mes. Minume hercle mirum: morem hunc meretrices habent:
Ad portum mittunt servolos, ancillulas;
Si qua peregrina navis in portum advenit:
Rogitant quoiatis sit, quid ei nomen siet;
Postilla extemplo se adplicant, adglutinant;
Si pellexerunt: perditum amittunt domum.
Nunc portu in istoc stat navis praedatoria,
Abs qua cavendum nobis sane censeo.
Me. Mones quidem hercle recte. Mes. Tum demum sciam
Recte monuisse, si tu recte caveris.
Me. Tace dum parumper: nam concrepuit ostium.
Videamus, qui hinc egreditur. Mes. Hoc ponam interim,
Adservatote haec, sultis, navales pedes.

234. V.: *obs. est.* 235. V.: *Q. tu mul.* 241. Ἀμέτρως libri, immisso glossemate: *Pr. tu ne quo abeas long. ab aed.* 255. Ita Palat. Vulgo *Rogant.*

EROTIUM. CYLINDRUS. MENAECHMUS SOSICLES. MESSENIO.

Er. Sine fores sic! Abi! nolo operiri. Intus para, cura, as. t. d. i. d. c. II, 3.
Vide, quod opus est, fiat! Sternite lectos! incedite odores!
Munditia inlecebra animo amantum est. t. d.
Amanti amoenitas malo est, nobis lucro est. i. s.
Sed ubi illic est, quem cocus ante aedis esse ait?
Atque eccum video, qui mi est usu et plurimum prodest; item i. t.
Huic ultro fit, ut potissumus nostrae, ut meret, domi sit. i. t. c.
Nunc eum adibo atque adloquar ultro. Animule mi, mihi mira videntur, t. t.
Hic te stare foris, fores quoi pateant mage, quam domus tua: t. t. c.
Domus quom haec tua sit. Omne paratum est, ut jussisti atque ut voluisti, t. t.
Neque tibi mora ulla est intus. — t. d.
Prandium, ut jussisti, hic curatum est: ubi lubet, as 2 ith.
Ire licet adcubitum. ith.
Me. Quicum haec mulier loquitur? Er. Equidem tecum. Me. Quid mecum tibi t. t. c.
Fuit unquam aut nunc est negoti? Er. Quia pol te unum ex omnibus
Venus me voluit magnificare; neque id haud inmerito tuo:
Nam ecastor solus benefactis tuis me florentem facis.
Me. Certo haec mulier aut insana aut ebria est, Messenio,
Quae hominem ignotum conpellet me tam familiariter.
Mes. Dixin' ego, solere hic istaec fieri? Folia nunc cadunt
Praeut si triduom hoc hic erimus: tum arbores in te cadent:
Nam ita sunt hic meretrices omnes elecebrae argentariae,
Sed sine me dum hanc conpellare. Heus, mulier! tibi dico. Er. Quid est?
Mes. Ubi tu hunc hominem novisti? Er. Ibidem, ubi hic me jam diu,
In Epidamno. Mes. In Epidamno, qui huc in hanc urbem pedem,

265. *opper.* non est elidendum. 266. V. numeris durioribus: *op. est, ut f.* Sequor Palatinum. 270. Κακομέτρως libri: *usui.* 280. Sic Palat. et vett. Male libri vulgati: *atque id haud i. t.* 288. *tu* non liquescit.

Nisi hodie, nunquam intro tetulit? Er. Heia, delicias facis,
Mi Menaechme. Quin, amabo, is intro? hic tibi erit rectius.
Me. Haec quidem edepol recte adpellat meo me mulier nomine.
Nimis miror, quid hoc sit negoti. Mes. Oboluit marsupium
Huic istuc, quod habes. Mes. Atque edepol tu me monuisti probe,
Accipedum hoc: jam scibo, utrum haec me mage amet, an marsupium.
Er. Eamus intro: ut prandeamus. Me. Bene vocas; tam gratia est. i. t.
Er. Cur igitur tibi me jussisti coquere dudum prandium? t. t. c.
Me. Egon' te jussi coquere? Er. Certo tibi et parasito tuo, i. t.
Me. Quoi, malum, parasito? Certo haec mulier non sana est satis.
Er. Peniculo. Me. Qui iste est Peniculus? qui extergentur baxeae?
Er. Scilicet, qui dudum tecum venit, quom pallam mihi
Detulisti, quam ab uxore tua subripuisti. Me. Quid est?
Tibi pallam dedi, quam uxori meae subripui? sanan' es?
Certe haec mulier cantherino ritu adstans somniat.
Er. Qui lubet ludibrio habere me atque ire inficias mihi,
Facta quae sunt? Me. Dic, quid est id, quod negem quod fecerim?
Er. Pallam te hodie mihi dedisse uxoris. Me. Etiam nunc nego.
Ego quidem neque unquam uxorem habui neque habeo neque huc
Unquam, postquam natus sum, intra portam penetravi pedem.
Prandi in navi; inde huc egressus sum; te conveni. Er. Eccere.
Perii misera! quam tu mihi nunc navem narras? Me. Ligneam,
Saepe tritam, saepe fixam, saepe excussam malleo;
Quasi suppellex pellionis, palus palo proxumust.
Er. Jam me, amabo, desine ludos facere atque i hac mecum simul. as. t. d. i. d.

298. *tibi* non elidendum. 304. Idem valet de verbo *ritu*.
311. Ita MS. V.: *nunc mihi*.

Me. Nescio quem, mulier, alium hominem, non me, quaeritas. t. t. c.
Er. Non ego te novi Menaechmum, Moscho prognatum patre,
Qui Syracusis perhibere natus esse in Sicilia,
Ubi Rex Agathocles regnator fuit et iterum Phintia,
Tertium Liparo, qui in morte regnum Hieroni tradidit,
Nunc Hiero est? Me. Haud falsa, mulier, praedicas. Mes. Proh Jupiter,
Num istaec mulier illinc venit, quae te novit tam cate?
Me. Hercle, opinor, pernegari non potest. Mes. Ne feceris.
Periisti, si intrassis intra limen. Me. Quin tace modo:
Bene res geritur. Adsentabor, quidquid dicet, mulieri,
Si possum hospitium nancisci. Mulier jamdudum tibi
Non inprudens advorsabar: hunc metuebam, ne meae
Uxori haec renuntiaret de palla et de prandio.
Nunc, quando vis, intro eamus. Er. Etiam parasitum manes?
Me. Neque ego illum maneo neque flocci facio, neque si venerit,
Eum volo intromitti. Er. Ecastor haud invita fecero. i. t.
Sed scin', quid te amabo ut facias? Me. Impera, quid vis, modo. t. t. c.
Er. Pallam illanc, quam dudum dederas, ad phrygionem ut deferas:
Ut reconcinnetur atque ut opera addantur, que volo.
Me. Hercle quin tu recte dicis: eadem ignorabitur.
Ne uxor cognoscat te habere, si in via conspexerit.
Er. Ergo mox auferto tecum, quando abibis. Me. Maxume.
Er. Eamus intro. Me. Jam sequar ted: hunc volo etiam conloqui. i. t.
Eho, Messenio, huc accede! Mes. Quid negoti est? Me. Subsili!
Mes. Quid eo opust? Me. Opust. Mes. Scio: ut mendices. Me. Tanto nequior.

318. Ita Gronov. V. *Pinthia.* Phintias fuit unus ex multis illis tyrannis, qui post mortem Agathoclis per Siciliam extiterunt. Vidd. Gronov. et, quem laudat Diodor. Sic. lib. 22. 323. Sic Palat. V.: *Peristi*, quod metro arguitur. 325. Sic MSS. V.: *possim.* 327. V.: *Uxori renunt.*, male acuto vocabulo *Uxori* in prima et tertia syllaba, cujus vocabuli accentus nunc, vocali sequente a syllaba media, in qua legitima ejus sedes, in primam retrahitur. 334. *eadem* ἀνεκθλίπτως pronuntiandum est. 338, 39. V.: Me. S. *st. scire vis?* Mes. *Quid ergo?* Me. S. *opust.* Mes. *quid opust?* Me. S. *scio, ut me.* Mes. *tanto nequior es.* MSS. non: *st. scire vis*, sed *susciri;* pro *ergo* Pal.: *ego*, pro *me dices* manu 1. *medicas* uno verbo; edd. autem mediae: *Quid eo opust?* Facile *sussili* transiit in *susscili* et *sussciri*. *Mendices* recte positum a Camerario.

Habeo praedam: tantum incepi operis! I, quantum potest;
Abduc istos in tabernam actutum deversoriam;
Tum facito ante solem occasum ut venias advorsum mihi.
MES. Non tu istas meretrices novisti, here? ME. S. Tace, quam. a. 2 ith.
Mihi dolebit, non tibi, si quid ego stulte fecero. t. t. c.
Mulier haec stulta atque inscita est, quantum perspexi modo.
Est hic praeda nobis. MES. Perii, jamne abis? — Periit probe!
Ducit lembulum dierectum navis praedatoria!
Sed ego inscitus, qui domino me postulem moderarier:
Dicto me emit audientem, haud imperatorem, sibi.
Sequimini: ut, quod imperatum est, veniam advorsum temperi.

P E N I C U L U S.

Plus triginta natus annis sum, quom interea loci t. t. c. III, 1.
Nunquam quidquam facinus feci pejus neque scelestius,
Quam hodie, quom in concionem mediam me inmersi miser,
Ubi ego dum hieto, Menaechmus se subterduxit mihi
Atque abiit ad amicam, credo, neque me voluit ducere.
Qui illum perduint di omnes, qui conmentus primus est
Concionem habere, qui homines occupatos occupat!
Non ad eam rem otiosos homines decuit delegi,
Qui nisi adsint, quom citentur, census capiant eloco?
Adfatim est hominum, in dies qui singulas escas edunt,
Quibus negoti nihil est, qui esum neque vocantur neque vocant;
Eos oportet concioni dare operam atque comitiis. i. t.
Si id ita esset, non ego hodie perdidissem prandium, t. t. c.
Quoi tam credo deum voluisse, quam me video vivere.
Ibo: etiamnum reliquiarum spes animum oblectat meum.

342. Sic Lamb. et Douza. Cf. 917, Epid. 139. V.: *solis.* 346. V.: — *nobis.* MES. peri! ME. S. *jamne abis?* 348. MSS.: *S. e. i., quid* (ita Pal., alii: *quod*) *rome* p. m., h. e.: S. e. i., *qui dno* (domino) *me p. m.* V.: *S. e. i., qui hero me p. m.* Neque andiendus Lamb., qui dedit *hero me meo p. m.* 351. *quom* non liquescit. Frustra edd. mediae: *quom ego.* 356. *di,* non *dii,* sicut vulgo, Palat., quod vocabulum cave elidas. 357. Sic vett. edd. Palat.: *Conc. hare qui h. o. o.* V.: *Conc., hac reque hom. o. o.* 358. *rem* non liquescit. *Delegi* Palat. V.: *deligi.* 364. Libri: *credo datum vol.*

Sed quid ego? video Menaechmum? Cum corona exit foras!
Sublatum est convivium! Edepol venio advorsum temperi!

MENAECHMUS SOSICLES. PENICULUS.

ME. Potin' ut quiescas, si ego tibi hanc hodie probe i. s. III, 2.
Lepideque concinnatam referam temperi?
Non esse eam dices faxo: ita ignorabitur.
PE. Pallam ad phrygionem fert confecto prandio
Vinoque expoto, parasito excluso foras.
Non hercule is sum, qui sum, ni hanc injuriam
Meque ultus pulcre fuero! Observabo, quae agat,
Hinc primum hominem; post adibo atque adloquar.
ME. Proh di inmortales, quoi homini unquam uno die
Boni dedistis plus, qui minus speraverit?
Prandi, potavi, scortum adcubui, abstuli
Hanc, quojus heres nunquam erit post hunc diem!
PE. Nequeo, quae loquitur, exaudire, clanculum.
Satin' nunc loquitur de me et de parti mea?
ME. Ait hanc dedisse me sibi atque eam meae
Uxori subripuisse. Quoniam sentio
Errare: extemplo, quasi res cum ea esset mihi,
Coepi adsentari: mulier quidquid dixerat,
Idem ego dicebam. Multis quid verbis opust?
Minore nusquam bene fui dispendio.
PE. Adibo ad hominem: nam turbare gestio.
ME. Quis hic est, qui advorsus fit mihi? PE. Quid ais, homo
Levior quam pluma, pessume et nequissume,
Flagitium hominis, subdole ac minumi preti?
Quid de te merui, qua me causa perderes?
Ut subripuisti te mihi dudum de foro!
Fecisti funus med absente prandio.
Cur ausus facere, quoi ego aeque heres eram?
ME. Adulescens, quaeso, quid tibi meum est rei,
Qui mihi maledicas homini ignoto insciens?
An tibi malam rem vis pro maledictis dari?
Posce! PE. Eam quidem edepol te dedisse intellego.

373. Ita Palat. Vulgo: *nisi.* Vulgato item verbo *hercle* mutato in *hercule* jam longe quam antea meliores facti sunt versûs numeri, ictuque juvatur *is* pronomen. 374. Ἀμέτρως libri: *quid agat.* 375. *Hinc primum* edd. mediae. 388. V.: *advarsum.* MSS.: *sit.* 394. Sic Palat. V.: *absente.* 395. Inepte edunt: *quoi ego aeque ac heres eram.* Palat.: *cui ego ea quaeheris heram*, quod nihil aliud est posita a nobis scriptura. 397. *hom.* non liquescit. 399. Palat.: *Post eam* (hoc in rasura) *quidem* etc. V.: *Postea?* PE. *eam* etc.

Me. Responde, adulescens, quaeso; quod tibi nomen est.
Pe. Etiam derides, quasi non nomen noveris?
Me. Non edepol ego te, quod sciam, unquam ante hunc diem
Vidi neque novi; verum certo, quisquis es,
Aequom si facias, mihi odiosus ne sies.
Pe. Non me novisti? Me. Non negem, si noverim.
Pe. Menaechme, vigila! Me. Vigilo, hercle equidem, quod sciam.
Pe. Tuom parasitum non novisti? Me. Non tibi
Sanum est, adulescens, sinciput; intellego.
Pe. Responde: subripuistin' uxori tuae
Pallam istanc hodie ac dedidisti Erotio?
Me. Neque hercle ego uxorem habeo neque ego Erotio
Dedi nec pallam surpui. Pe. Satin' sanus es?
Occisa est haec res! Non ego te indutum foras
Exire vidi pallam? Me. Vae capiti tuo!
Omnis cinaedos esse censes, tu quia es?
Tun' med indutum fuisse pallam praedicas?
Pe. Ego hercle vero. Me. Non tu abis, quo dignus es,
Aut te jubes piari, homo insanissume?
Pe. Nunquam edepol me quisquam exorabit, quin tuae
Uxori rem omnem jam, uti sit gesta, eloquar!
Omnes in te istaec recident contumeliae!
Faxo haud inultum prandium comederis!
Me. Quid hoc negoti est? satin', ut quemque conspicor,
Ita me ludificant? Sed concrepuit ostium.

ANCILLA. MENAECHMUS SOSICLES.

An. Menaechme, amare te ait multum Erotium, i.s. III, 3.
Ut hoc nunc una opera ad aurificem deferas,
Atque huic ut addas auri pondo unciam
Jubeasque spinther reconcinnari novom.
Me. Et istuc et aliud, si quid curari volet,
Me curaturum dicito, quidquid volet.
An. Scin', quod hoc sit spinther? Me. Nescio, nisi aureum,

408. Sic Palat. V.: *sinciput, ut int.* Verbi *sinc.* posterior syllaba pro longa est propter interpunctionem. Vid. not. ad Amph. 285. 410. V.: *hod., atque dedisti Erotio.* 412. Libri asperioribus numeris: *surripui.* 415. Libri *sit te*, pejore quidem numero. *te* sub ictu positum non liquescit. 427. *pondo* non elidendum. 428. Dure libri: *I. sp. novum reconcinnarier.* Re- praepositio porrigi solet apud veteres. Postquam autem vulgaris ordo verborum obtinuit pro eleganti, *er* illud ἐπαγωγικόν positum est a versificatore.

An. Hoc est, quod olim clanculum ex armario
Te subripuisse ajebas uxori tuae.
Me. Nunquam hercle factum est. An. Non meministi, obsecro?
Redde igitur spinther, si non meministi. Me. Mane:
Imo equidem memini: nempe hoc est, quod ei dedi.
An. Istud. Me. Ubi illae armillae sunt, quas una dedi?
An. Nunquam dedisti. Me. Nam pol hoc una dedi.
An. Dicam curare? Me. Dicito: curabitur.
Et palla et spinther faxo referantur simul.
An. Amabo, mi Menaechme, inauris da mihi
Faciundas pondo duom numum, stalagmia:
Ut te lubenter videam, quom ad nos veneris.
Me. Fiat. Cedo aurum: ego manupretium dabo.
An. Da sodes abs te: post ego reddidero tibi.
Me. Imo cedo abs te. An. Ego post tibi reddam duplex.
Me. Non habeo. An. At tu, quando habebis, tum dato.
Numquid vis? Me. Haec me curaturum dicito, —
Ut, quantum possit quique liceant, veneant.
Jamne abiit intro? Abiit, operuit foris.
Di me quidem omnes adjuvant, augent, amant.
Sed quid ego cesso, dum datur mi occasio
Tempusque, abire ab his locis lenoniis?
Propera, Menaechme! fer pedem! confer gradum!
Demam coronam atque abiciam ad laevam manum: ut,
Si qui sequantur, hac me abiisse censeant.
Ibo et conveniam servom, si potero, meum:
Ut haec, quae bona di mihi danunt, ex me sciat.

MULIER. PENICULUS.

Mu. Egone hic me patiar indu matrimonio, i. s. IV, 1.
Ubi vir conpilet clanculum, quidquid domi
Est atque ad amicam deferat? Pe. Quin tu taces?
Manufesto faxo jam opprimes: sequere hac modo.
Pallam ad phrygionem cum corona ebrius
Ferebat, hodie tibi quam subripuit domo.
Sed eccam, coronam, quam habuit! Num mentior?
Hem, hac abiit, si vis persequi vestigiis.

434. *factum* non liquescit. 436. Asperioribus libri numeris: *quod illi dedi.* 455. Sic MSS. V.: *abiiciam.* 458. Αμέτρως libri: *dant.* 459. *indu.* Libri *in*, claudicante versu. MSS.: E. *hic medaciar in m.*, forte versa, ut videtur, p littera in *patiar.* 465. Non liquescit *cor.*

Atque edepol, eccum, optume revortitur;
Sed pallam non fert. Mu. Quid ego nunc cum illoc agam?
Pe. Idem, quod semper: male habeas. Mu. Sic censeo.
Pe. Huc concedamus: ex insidiis aucupa.

MENAECHMUS. MULIER. PENICULUS.

Me. Ut hoc utimur maxume more moro molestoque multum! b. s. IV, 2.
Atque uti quique sunt optumi, maxumi: c. t.
Morem habent hunc: clientis sibi omnes volunt
Esse multos; bonine an mali sint, id haud
Quaeritant: res magis quaeritur, quam, fides
Quojusmodi clueat. c. d. c.
Si est pauper atque haud malus: nequam habetur; b. t.
Sin dives malust: is cliens frugi habetur.
Qui nec leges neque aequom bonum usquam colunt, c. t.
Sollicitos patronos habent. b. tr. c.
Datum denegant, quod datum est, litum pleni, b. t.
Rapaces, viri fraudulenti, b. tr.
Qui aut foenore aut perjuriis habent rem partam; i. tr. h.
Mens est in querelis. b. d.
Juris ubi dicitur dies: simul patronis dicitur: i. t.
Quippe qui pro illis loquantur, quae male fecerint. i. s.
Aut ad populum aut in jure res est aut ad judicem. t. t. c.
Sicut me hodie nimis sollicitum cliens quidam habuit, as. t. d. i. h.
Neque, quod volui, agere quidquam licitum est: ita me adtinuit, ita detinuit. i. t. h.
Apud Aedilis, proeliis factis plurimisque pessumisque, t. t.
Dixi causam; conditiones tetuli tortas, confragosas;
Aut plus aut minus, quam opus erat, multo controversiam t. t. c.
Duxeram: ut ne sponsio fieret. Quid illic? — Quid? Praedem dedit;
Nec magis manufesto ego hominem unquam ullum teneri vidi: t. t.
Omnibus malefactis testes tres aderant acerrumi. t. t. c.

475. V., immissa interpretatione: *quam clientium* (Pal. *clientum*) *fides*. 477. *Si* corripiendum, non elidendum. 478. Ita Palat. V.: *Si*. 481. V.: *litium*. Alterum magis facit ad versum. 486. Sic MSS. V.: *male quae*. 487. *pop.* non liquescit. 489. Sic vet. cod. Camer. V.: *ita me detinuit*. 490. *proeliis* legendum ut *proeljis*. 491. Operarum vitio quaedam edd.: *dixi*. 493. *Duxeram*, ex longa longiorem feceram.

Di illunc omnes perdant (ita mi hunc hodie conrupit diem)
Meque adeo, qui hodie forum unquam oculis inspexi meis!
Diem conrupit! Optumum jussi adparari prandium;
Amica expectat me scio. i. d.
Ubi primum licitum est: eloco properavi abire de foro. i. t.
Irata est, credo, nunc mihi. Placabit palla, quam dedi,
Quam hodie uxori abstuli atque huic detuli Erotio. i. s.
Pe. Quid ais? Mu. Viro me malo male nuptam. as. 2 i. h.
Pe. Satin' audis, quae illic loquitur? Mu. Satis. as. c. 2 i. h.
Me. Si sapiam: huc intro abeam, ubi mihi bene siet. Mu. Mane: male eritpotius! t. t.
Nae illanc mecastor foeneratod abstulisti! Sic datur! i. t.
Clanculum te istaec flagitia facere censebas potesse? t. t.
Me. Quid illuc est, uxor negoti? Mu. Men' rogas? Me. Vin' hunc rogem? i. t.
Pe. Aufer hinc palpationes! — Perge tu. Me. Quid tu mihi t. t. c.
Tristis es? Mu. Te scire oportet. Pe. Scit; sed dissimulat malus.
Me. Quid negoti est? Mu. Pallam.... Me. Pallam? Mu. Quidam pallam.... Pe. Quid paves?
Me. Nil equidem paveo, nisi unum palla pallorem incutit.
Pe. At tu ne clam me comessis prandium! — Perge in virum!
Me. Non taces? Pe. Non hercle vero taceo. — Nutat, ne loquar.
Me. Non hercle ego quidem usquam quidquam nuto neque nicto tibi.
Mu. Nae ego mecastor mulier misera! Me. Qui tu misera es, mi expedi!
Pe. Nihil hoc confidentius, qui, quae vides, ea pernegat!
Me. Per Jovem deosque omnis adjuro, uxor (satin' hoc est tibi?),
Me isti non nutasse. Pe. Credit jam tibi de isto; illuc redi!
Me. Quo redeam ego? Pe. Equidem ad phrygionem censeo et pallam refer!
Me. Quae istaec palla est? Mu. Taceo jam; quando hic rem non meminit suam.
Me. Num quis servorum deliquit? num ancillae aut servi tibi

498. V.: *corrupt.* 515. Soloece libri: *comesses.* 519. V.: *istis.* 520. Sic vett. V.: *censeo, i, p. r.*

Responsant? Eloquere. Inpune non erit. Pe. Nugas agis.
Me. Tristis admodum es. Non mi istuc satis placet. Pe. Nugas agis.
Me. Certe familiarium aliquoi irata es. Pe. Nugas agis.
Me. Num mihi es irata saltem? Pe. Nunc tu non nugas agis.
Me. Non edepol deliqui quidquam. Pe. Hem, rursum nunc nugas agis.
Me. Dic, mea uxor, quid tibi aegre est. Pe. Bellus blanditur tibi!
Me. Potin', ut mihi molestus ne sis? num te adpello? Me. Aufer manum!
Pe. Sic datur! Properato absente me comesse prandium,
Post ante aedis cum corona me derideto ebrius!
Me. Neque edepol ego prandi neque hodie huc intro tetuli pedem.
Pe. Tun' negas? Me. Nego hercle vero. Pe. Nihil hoc homine audacius.
Non ego te modo hic ante aedis cum corona florea
Vidi adstare, quom negabas, mi esse sanum sinciput?
Et negabas, me novisse: peregrinum aibas esse te.
Me. Quin ut dudum devorti abs te, redeo nunc demum domum.
Pe. Novi ego te. Non mihi censebas esse, qui te ulciscerer:
Omnia hercle uxori dixi. Me. Quid dixisti? Pe. Nescio.
Ipsus eam roga. Me. Quid hoc est, uxor? quidnam hic narravit tibi?
Quid id est? — Quid taces? quin dicis, quid sit? Mu. Quasi tu nescias,
Me rogas! Me. Pol haud rogem te, si sciam. Pe. O hominem malum!
Ut dissimulat! Non potes celare: rem novit probe:
Omnia hercle ego edictavi. Me. Quid id est? Mu. Quando nil pudet
Neque tua voluntate ipse vis profiteri: audi atque ades!
Et quid tristis et quid hic mihi dixerit, faxo scias.
Palla mihi est domo subrepta. Me. Palla subrepta est mihi?

525. Sic Palat. et edd. mediae. V.: *Ceterum fam.* 541. Male etiam post hunc versum inseritur 547. hoc modo: — *nescias. Palla* etc. Correxit Acid. 543. V.: *novi.* Idem emendator. 547. Ita MSS. V.: *P. est mihi d. s.* Legitur quoque: *P. s. est tibi?* cui quaestioni non convenit id, quod subjicit parasitus.

Pe. Viden', uti scelestus captat? Huic subrepta est, non tibi:
Nam profecto tibi subrepta si esset, salva nunc foret.
Me. Nil mihi tecum est. Sed tu quid ais? Mu. Palla, inquam, periit domo.
Me. Quis eam subripuit? Mu. Pol istuc ille scit, qui illam abstulit.
Me. Quis hic homo est? Mu. Menaechmus quidam. Me. Edepol factum nequiter!
Quis is Menaechmust? Mu. Tu istic, inquam. Me. Egone? Mu. Tu! Me. Quis arguit? i. t.
Mu. Egomet. Pe. Et ego. Atque huic amicae detulisti Erotio. t. t. c.
Me. Egon' dedi? Pe. Tu, tu istic, inquam! Vin' adferri noctuam, i. t.
Quae Tu Tu usque dicat tibi? nam nos jam defessi sumus. t. t. c.
Me. Per Jovem deosque omnis adjuro, uxor (satin' hoc est tibi?),
Non dedisse. Pe. Imo hercle vero, nos non falsum dicere.
Me. Sed ego illanc non condonavi; sed sic utendam dedi.
Mu. Equidem ecastor tuam nec chlamydem do foras nec pallium
Quoiquam utendum. Mulierem aequom est vestimentum muliebre
Dare foras, virum virile. Quin refers pallam domum?
Me. Ego faxo referetur. Mu. Ex re tua, ut opinor, feceris:
Nam domum nunquam introdibis, nisi feres pallam simul.
Eo domum. Pe. Quid mihi futurum est, qui tibi hanc operam dedi?
Mu. Opera reddetur, tibi quando quid erit subreptum domo.
Pe. Id quidem edepol nunquam erit: nam nihil est, quod perdam, domi.
Cum virum, cum uxorem, di vos perdant! Properabo ad forum:
Nam ex hac familia me plane excidisse intellego.
Me. Male mihi uxor se fecisse censet, quom excludit foras,
Quasi non habeam, quo intromittar, alium meliorem locum.
Si tibi displiceo: patiundum; at placuero huic Erotio,

565. Mirifice libri: — *simul.* Me. *Ego domum?* 570. Male libri: *sese.*

Quae mei non excludet ab se, sed apud se occludet domi.
Nunc ibo; orabo, ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi.
Aliam illi redimam meliorem. Heus, ecquis hic est janitor?
Aperite atque Erotium aliquis evocate ante ostium.

EROTIUM. MENAECHMUS.

Er. Quis hic me quaerit? Me. Sibi inimicus mage quamde aetati tuae, i. t. IV, 3.
Er. Mi Menaechme, cur ante aedis adstas? Sequere intro. Me. Mane. t. t. c.
Scin', quid est, quod ego ad te venio? Er. Scio: ut tibi ex me sit volup. as. t. d. i. d.
Me. Imo edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi, t. t. c.
Mihi eam redde: uxor rescivit rem omnem, ut factum est, ordine.
Ego tibi redimam bis tanto pluris pallam, quam voles.
Er. Dedi equidem illanc, ad phrygionem ut ferres, tibi paulo prius,
Et illud spinther, ut ad aurificem ferres, ut fieret novom. i. t.
Me. Mihi tu ut dederis pallam et spinther? Nunquam factum. Relege res:
Nam ego quidem postquam illam dudum tibi dedi atque abii ad forum:
Nunc redeo, nunc te postilla video. Er. Video, quam rem agis:
Quae commisi, ut me defrudes, ad eam rem adfectas viam.
Me. Neque edepol te defrudandi causa posco. Quin tibi
Dico, uxorem rescivisse. Er. Nec te ultro oravi, ut dares:
Tute ultro ad me detulisti. Dedisti eam dono mihi; as. t. d. i. d.
Eandem nunc reposcis. Patiar! tibi habe! aufer! utere i. t.
Vel tu, vel tua uxor! vel etiam in oculos conpingite! t. t. c.
Huc post hunc diem pedem intro non feres tu, ne sis frustra: t. t.

577. Libri minus ἐμμέτρως: *quam*. Notum *quamde* vel ex Lucretio. 585. Sic Palat. V.; *Mihi ut tu*, quod minus elegans. Pro *Relege res* MSS. *releceris*, vel *relegeris*, ut Decurt. Sequimur Gruterum et Taubmannum. 589. V.: *defraudandi*. Nostrum habetur in Palatino libro.

Quando tu me bene merentem tibi habes despicatui.
Nisi feres argentum: frustra me ductare non potes!
Aliam posthac invenito, quam tu habeas frustratui!
Me. Nimis iracunde hercle tandem! — Heus tu, tibi dico, mane!
Redi! Er. Etiam adstas? Etiam audes mea revorti gratia?
Me. Abiit intro, occlusit aedis. Nunc ego sum exclusissumus:
Neque domi, neque apud amicam mihi jam quidquam creditur.
Ibo et consulam hanc rem amicos, quid faciundum censeant.

MENAECHMUS, SOSICLES, MULIER.

Me. Nimis stulte dudum feci, quom marsupium IV, 4
Messenioni cum argento concredidi!
Immersit aliquo sese, credo, in ganeum.
Mu. Provisam, quam mox vir meus redeat domum.
Sed eccum video! Salva sum: pallam refert.
Me. Demiror, ubi nunc ambulet Messenio.
Mu. Adibo atque hominem accipiam, quibus dictis meret.
Non te pudet prodire in conspectum meum,
Flagitium hominis, cum istoc ornatu? Me. Quid est?
Quae res agitat te, mulier? Mu. Etiamne, inpudens,
Muttire verbum unum audes aut mecum loqui?
Me. Quid tandem admisi in me, ut loqui non audeam?
Mu. Rogas med? Hominis inpudentem audaciam!
Me. Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem
Graji esse praedicabant? Mu. Non equidem scio.
Me. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis:
Omnia mala ingerebat, quemquem adspexerat.
Itaque adeo jure coepta appellari est Canes.
Mu. Non ergo istaec flagitia possum perpeti:
Nam med aetatem viduam esse mavelim,
Quam istaec flagitia tua pati, quae tu facis.
Me. Quid id ad me, tun te nuptam possis perpeti,
An sis abitura a tuo viro? An mos hic ita est,
Peregrino ut advenienti narrent fabulas?
Mu. Quas fabulas? Non, inquam, patiar praeterhac,

608. Palat.: *ambulat.* 611. *Flag.* non eliditur. 613. Ita Palat. V.: *unum verb.*, numeris pessimis. 615. Sic MSS. V.: *o homo* 620. Sic MSS. a manu 1. V.: *Canis.* 621. MSS.: *Non ego ista hec fl.* V.: *Non istaec ego fl.* Saepius mixta *ego*, *ergo* et similia. 622. *vid.* non magis liquescit quam *me* et *rem* 639.

Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam!
Me. Mea quidem hercle causa vidua vivito
Vel usque dum regnum obtinebit Jupiter.
Mu. Hanc mihi negabas dudum subripuisse te;
Nunc eandem ante oculos attines! Non te pudet?
Me. Heu hercle, mulier, multum et audax et mala es.
Tun' tibi subreptam hanc dicere audes, quam mihi
Dedit alia mulier, ut concinnandam darem?
Mu. Nae istuc mecastor jam patrem arcessam meum
Atque enarrabo tua flagitia, quae facis!
I, Decio, quaere meum patrem, tecum simul
Ut veniat ad me: ita rem esse dicito.
Jam ego aperiam istaec tua flagitia! Me. S. Sanan' es?
Quae mea flagitia? Mu. Quom pallam atque aurum meum
Domo tuae suppilas uxori et tuae
Degeris amicae! Satin' haec recte fabulor?
Me. Quaeso hercle, mulier, si scis, monstra, quod bibam,
Tuam qui possim perpeti petulantiam!
Quem tu hominem med arbitrare, nescio;
Ego te simitu novi cum Parthaone.
Mu. Si me derides, at pol illum non potes,
Patrem meum, qui huc advenit! Quin respicis?
Novistin' tu illum? Me. Novi cum Calcha simul:
Eodem die vidi illum, quo te ante hunc diem.
Mu. Negas novisse me? negas patrem meum?
Me. Idem hercle dicam, si avom vis adducere.
Mu. Ecastor pariter hoc atque alias res soles.

SENEX. MULIER. MENAECHMUS SOSICLES.

Se. Ut aetas mea est atque ut hoc usus facto est, b. t. IV, 5.
Gradum proferam, progrediri properabo;
Sed id quam facile sit mi, haud sum falsus: as. 2 i. h.
Nam pernicitas deserit, consitus sum b. t.
Senectute, onustum gero corpus, vires
Reliquere. Ut aetas mala est merx mala ergo!
Nam res plurimas pessumas, quom advenit, fert,
Quas si autumem omnis, nimis longus sermo est. as. 2 i. h.
Sed haec res mihi in pectore et corde curae est, b. t.
Quidnam hoc sit negoti, b. d.

660. V.: *merx mala est tergo*. MSS.: *m. m. ergost*. Vett. edd.: *est ergo*, Monuit Guil. Quaest. in Men. c. 2. *Ergo* revera. 661. Sic initio vet liber Camer., teste Pareo V.: *affert*. 662. Sic vett. V.: *sermo sit*.

Quod filia sic repente expetiit me, ut ad sese irem, as. 2 an.
Nec, quid id sit, mihi certius facit, as. 2 t. h.
Quid velit, quid me arcessat. Verum propemodum as. 2 ith.
Jam scio, quid siet rei: ith.
Credo cum viro litigium natum esse aliquod. as. 2 ith.
Ita istaec solent, quae viros subservire h. t.
Sibi postulant, dote fretae, feroces.
Et illi quoque haud abstinent saepe culpa;
Verum est modus tamen, quoad pati uxorem oportet;
Nec pol filia unquam patrem arcessit ad se, as. 2 ith.
Nisi si aut quid conmisit, aut est jurgi causa.
Sed id, quidquid est, jam sciam. Atque eccam eampse h. t.
Ante aedis et ejus virum tristem video.
Id est, quod suspicabar. an.
Adpellabo hanc. Mu. Ibo advorsum. Salve multum, mi pater. t. t. c.
Se. Salva sis. Salven' advenio? salven' arcessi jubes?
Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit?
Nescio quid vos velitati estis inter vos duo.
Loquere, uter meruistis culpam, paucis; non longos logos.
Mu. Nusquam equidem quidquam deliqui (hoc primum te absolvo, pater);
Verum vivere hic non possum neque durare ullo modo:
Proin tu me hinc abducas. Se. Quid istuc autem est? Mu. Ludibrio, pater,
Habeor. Se. Unde? Mu. Ab illo, quoi me mandavisti, meo viro.
Se. Ecce autem litigium! Quotiens tandem edixi tibi,
Ut caveres, neuter ad me iretis cum querimonia?
Mu. Qui istuc, mi pater, cavere possum? Se. Men' interrogas?
Mu. Nisi nevis. Se. Quotiens monstravi tibi, viro ut morem geras:
Quid ille faciat, ne id observes, quo eat, quid rerum gerat? i. t.
Mu. At enim ille hinc amat meretricem ex proxumo.... Se. Sane sapit, t. t. c.
Atque ob istam industriam etiam faxo amabit amplius.
Mu. Atque ibi potat. Se. Tuan' quidem ille causa potabit minus,

665. Soloece libri: *expetit.* 674. V.: *Nisi aut quid commissi.* 681. Ita Non. V: *duos.* 687. Ita Pal. V.: *edixi tandem. Tandem* non eliditur, id quod ignorantes verba transposuerint. 689. Sic idem codex. V.: *Qui ego istuc*, corrupto quidem metro.

Si illic, sive alibi lubebit? Quae haec, malum, inpudentia est?
Una opera prohibere, ad coenam ne promittat, postules,
Neve quemquam accipiat alienum apud te. Serviren' tibi
Postulas viros? Dare una opera pensum postules,
Inter ancillas sedere jubeas, lanam carere.
Mu. Non equidem mihi te advocatum, pater, adduxi, sed viro.
Hinc stas; illinc causam dicis. Se. Si ille quid deliquerit:
Multo tanto illum adcusabo, quam te adcusavi, amplius.
Quando te auratam et vestitam bene habet, ancillas, penum,
Recte praehibet: melius sanam est, mulier, mentem sumere.
Mu. At ille suppilat mihi aurum et pallas ex arcis domo; i. t.
Me despoliat; mea ornamenta clam me ad meretrices degerit. as. t. d. i. d.
Se. Male facit, si istuc facit; si non facit, tu male facis, t. t. c.
Quae insontem insimules. Mu. Quin etiam nunc habet pallam, pater,
Et, quod ad hanc detulerat, spinther: nunc, quia rescivi, refert.
Se. Jam ego ex hoc, ut factum est, scibo: ibo ad hominem atque adloquar.
Dic mi istuc, Menaechme, quod vos dissertatis: ut sciam.
Quid tu trux es? quid illanc autem abs ted iratam destituis? t. t.
Me. Quisquis es, quidquid tibi nomen est, senex: summum Jovem t. t. c.
Deosque do testis . . . . Se. Qua de re aut quoius re rerum omnium?
Me. Me neque isti male fecisse mulieri, quae me arguit
Hanc domo ab se subripuisse atque abstulisse dejerat.
Si ego intra aedis hujus unquam, ubi habitat, penetravi pedem:
Omnium hominum exopto ut fiam miserorum miserrumus!
Se. Sanun' es, qui istuc exoptes aut neges, te unquam pedem
In eas aedis intulisse, ubi habitas, insanissume?

695. Libri versu impingente: *Sive illic.* 701. Palat.: *carpere.* 705. *Pallas* MSS., non *pallam*, sicut vulgo. *Domo* Guil. Verisimm. 2, 13. V.: *modo.* Saepius haec permixta. Cf. 716. 709. Libri: *Et spinther, quod ad h. det.: nunc, q. r., r.* Fort.: *Et sp., q. ad h. tetulerat; nunc, quoniam r., r.*, qui versus fuerit jamb. tetram. 712. MSS.: *Quid tu trix es?* V.: *Q. tu tristis es?* Non liquescit *autem.* 714. Pal.: *Deos quedetestes*, neque aliter MS. vet. Camer. a m. 1, unde Gruter. et Par.: *D. do testis.* Recte. V. tamen: *D. detestor.* 717, 719. Habetur *pedem*, in edd. mediis.

ME. Tun', senex, ais habitare med in illisce aedibus?
SE. Tu negas? ME. Nego hercle vero. MU. Nimium hoc ludicre negas,
Nisi quo nocte hac emigrasti. SE. Concede hac, sis, filia. —
Quid tu ais? num hinc emigrasti? ME. Quem in locum aut quam ob rem, obsecro?
SE. Non edepol scio. MU. Ludit te hic profecto. SE. Non tu te tenes? —
Jam vero, o Menaechme, satis jocatus es: nunc hanc rem age.
ME. Quaeso, quid mihi tecum est? unde aut quis tu homo es? Tibi aut adeo isti, t. t.
Quae mihi molesta est . . . . ! SE. Quomodo? i. d.
MU. Viden' tu illi oculos virere? ut luridus exoritur colos
Ex temporibus atque fronte! ut oculi scintillant, vide! t. t. c.
ME. Hei mihi, insanire me ajunt, ultro quom ipsi insaniunt!
MU. Ut pandiculans oscitatur! Quid nunc faciam, mi pater?
SE. Concede huc, mea nata, ab istoc quam potest longissume!
ME. Quid mihi melius, quam, quando illi me insanire praedicant.
Ego med adsimulem insanire: ut illos a me absterream?
Evie atque, heu! Bromie, quo me in silvam venatum vocas?
Audio; sed non abire possum ab his regionibus:
Ita illaec me ab laeva rabiosa femina adservat canis; i. t.
Post autem illic hircus salius, qui saepe aetate in sua t. t. c.
Perdidit civem innocentem falso testimonio.
SE. Vae capiti tuo! ME. Ecce, Apollo mi ex oraculo imperat,
Ut ego illic e oculos exuram lampadibus ardentibus!
MU. Perii, mi pater, minatur mihi oculos exurere!

721. Palat.: *Immo hec eludere neget.* Ludicre est a Pareo. Camer. conjectura ἀμέτρως dederat *Nimio haec impudenter negas.* 724. *quam* legitur in edd. veteribus. 726. V.: *I veró, Men.* 728. Sic vett. Male Camer.: — *es?* quid feci ego *Tibi* etc. 728. V.: *quoquo modó*, et haec quoque verba adolescenti tribuuntur. 726. V.: *I. veró, Men.* 729. *tu* non liquescit. Palat.: *oculos jure reutuiridis e. c.* Sed rasum est in postremis duabus litteris vocabuli *viridis*. Recte *luridus* positum a me censeo, cum obsoletum *luridis* placuisset Meursio, sed frustra. Cf. Capt. 522. 731. v. legitur post 743. 732, 33. Hi versus post 735. immittuntur. Utrumque vitium dudum est cum animadvertit Acid. Legitur autem vulgo *potes* 733., sed vet. Camerarii liber ostendebat *potest*, fieri potest, quod melius. 736. Decurt.: *Eubi atque heu bromie.* Similiterque vet. Camerarianus. V.: *Euoe, Euie, Bromie.* 739. Ita Palmer. Spicil. fol. 147. Palat.: *illi circo salus.* V.: *illic hircus alius.*

Se. Filia, heus! Mu. Quid est? quid agimus? Se. Quid, si ego huc servos cito?
Ibo: adducam, qui hunc hinc tollant et domi devinciant,
Priusquam turbarum quid faciat amplius. Me. Enimvero, nisi
Occupo aliquod mihi consilium; hi me domum ad sese auferent. —
Pugnis me vetastin' hujus ori quidquam parcere?
Ni jam ex meis oculis abscedat in malam magnam crucem:
Faciam, quod jubes, Apollo! Se. Fuge domum quantum potest:
Ne hic te obtundat! Mu. Fugio. Amabo, adserva istunc, mi pater:
Ne quo hinc abeat! Sumne ego mulier misera, quae illaec audio?
Me. Haud male illanc a me amovi; nunc hunc inpurissumum,
Tremulum, barbatum Tithonum, Cygno qui cluet patre,
Ita mihi imperas, ut ego hujus membra atque ossa atque artua
Conminuam illo scipione, quem ipse habet? Se. Dabitur malum,
Me quidem si attigeris, aut si propius ad me accesseris!
Me. Faciam, quod jubes: securim capiam ancipitem atque hunc senem
Ossum fini dedolabo assulatim viscera!
Se. Enimvero illud praecavendum est atque adcurandum mihi:
Sane ego illunc metuo, ut minatur, ne quid malefaxit mihi.
Me. Multa mihi imperas, Apollo! Nunc equos junctos jubes
Capere me indomitos, ferocis, atque in currum inscendere:
Ut ego hunc proteram leonem vetulum, olentem, edentulum?
Jam adstiti in currum; jam lora teneo; jam stimulum in manu est!
Agite, equi! facitote sonitus ungularum adpareant
Cursu celeri! facite inflexa sit pedum pernicitas!
Se. Mihin' equis junctis minare? Me. Ecce Apollo denuo!
Me jubes facere inpetum in eum, qui hic stat, atque occidere? —

747. V.: *se.* 748. Palat.: *P. meuota xin h. ore q. p.* V.: *P. me vetas in h. ore.* 754. *Tithonum* Meurs. Exercitatt. crit. ad Men. cap. 2. V.: *Titanum.* MS. Berchem. apud Palmerium et Priscian. lib. 6. p. 688. Putsch.: *Cygno qui cluet* (Prisc. corrupte *lucet*) *patre.* V.: *C. prognatum patre.* 759. Ita Gronov. MSS. *Senem osse*, vel *Sene mosse, fini ded.* V.: *Exossabo, dein ded.* 764. Ita Guil. Quaest. in Men. c. 3. MSS.: *etulum.* V.: *Gaetulum.*

Sed quis hic est, qui me capillo hinc de curru deripit?
Inperium tuom demutat atque dictum Apollinis!
Se. Heu morbum hercle acrem ac durum! Di, vostram fidem, i. s.
Eel hic, qui insanit, quam valuit paulo prius!
Vi derepente tantus morbus incidit!
Ibo atque arcessam medicum jam quantum potest.
Me. Jamne isti abierunt, quaeso, ex conspectu meo,
Qui me vi cogunt, validus ut vesaniam?
Quid cesso abire ad navem, dum salvo licet?
Vosque omnis quaeso, si senex revenerit,
Ne me indicetis, qua platea hinc aufugerim.

SENEX.

Lumbi sedendo, oculi exspectando dolent, i. s. V, 1.
Manendo medicum, dum se ex opere recipiat.
Odiosus tandem vix ab aegrotis venit;
Ait se obligasse crus fractum Aesculapio,
Apollini autem brachium. Nunc cogito,
Utrum me dicam medicum ducere, an fabrum.
Atque eccum incedit. Move formicinum gradum!

MEDICUS. SENEX.

Me. Quid illi esset morbi, dixeras? Narra, senex. i. s. V, 2.
Num laruatus aut cerritus? Fac sciam.
Num eum veternus aut aqua intercus tenet?
Se. Quin ea te causa duco, ut id dicas mihi
Atque illum ut sanum facias. Med. Perfacile id quidem est.
Sanum futurum, mea ego id promitto fide.
Se. Magna cum cura ego illum curari volo.
Med. Quin, suspirabit plus sexcentos in dies:
Ita illunc cum cura ego magna curabo tibi.
Atque eccum ipsum hominem! Observemus, quam rem agat.

777. Libri numeris pessimis: *ut val. insaniam?* 781. Hic incipiendus actus quintus, cujus haec male numeratur scena tertia. Satis est verbo indicasse. Legitur autem in vulgatis libris *spectando*, sed in MSS. *exspectando*. Cf. Capt. 661. 787. Ita Palat. aliique cod., ut monet Sciopp. Susp. Lect. 5, 1. Vulgo: *movet*. 795. Inepte libri: *Q. suspirabo pl. sexcenties in die.*

MENAECHMUS. SENEX. MEDICUS.

ME. Edepol nae hic dies pervorsus atque advorsus mi obtigit: t. t. c. V, 3.
Quae me clam ratus sum facere, omnia ea fecit palam
Parasitus, qui me conplevit flagiti et formidinis,
Meus Ulixes, suo qui regi tantum concivit mali.
Quem ego hominem, si quidem vivo, vitad evolvam sua!
Sed ego stultus sum, qui illius esse dico, quae mea est:
Meo cibo et sumtu educatust. Anima privabo virum!
Condigne autem haec meretrix fecit, ut mos est meretricius:
Quia rogo pallam, ut referatur rursum ad uxorem meam,
Mihi se ait dedisse. Heu, edepol nae ego homo vivo miser!
SE. Audin', quae loquitur? MED. Se miserum praedicat. SE. Adeas velim.
MED. Salvos sis, Menaechme. Quaeso, cur apertas brachium?
Non tu scis, quantum isti morbo nunc tuo facias mali.
ME. Quin tu te suspendis? SE. Ecquid sentis? MED. Quidni sentiam?
Non potest haec res ellebori jugere obtinerier.
Sed quid ais, Menaechme? ME. Quid vis? MED. Dic mihi hoc, quod te rogo:
Album an atrum vinum potas? ME. Quin tu is in malam crucem?
SE. Jam hercle insanire occeptat primulum. ME. Quin tu me interrogas, i. t.
Purpureum panem an puniceum soleam ego esse, an luteum? t. t. c.
Soleamne esse avis squamosas, piscis pennatos? SE. Papae,
Audin' tu, ut deliramenta loquitur? Quid cessas dare
Potionis aliquid, priusquam percipit insania?
MED. Mane modo: etiam percontabor alia. SE. Occidis fabula.
MED. Dic mihi hoc: solent tibi unquam oculi duri fieri?
ME. Quid? tu me locustam censes esse, homo ignavissume?
MED. Dic mihi, en unquam intestina tibi crepant, quod sentias.
ME. Ubi satur sum: nulla crepitant; quando esurio: tum crepant.
MED. Hoc quidem edepol haud pro insano verbum respondit mihi.

799. Verbum *facere* non liquescit. 802. Fort. *hemonem*. Nunc *ego* non est elidendum. Legitur etiam: *vita devolvam*. Sed MSS.: *vita evolvam*. 820. V.: *percont*. SE. *alia o. f.* 822. Libri minus recte: *tu*. 823. *unquam* non eliditur.

Perdormiscin' usque ad lucem? facilen' tu dormis cubans?
Me. Perdormisco, si resolvi argentum quoi ego debeo.
Qui te Jupiter dique omnes, percontator, perduint!
Med. Nunc homo insanire occeptat. De illis verbis cave tibi!
Se. Il modestior nunc quidem est de verbis, praeut dudum fuit.
Nam dudum uxorem suam esse ajebat rabiosam canem.
Me. Quid ego dixi? Se. Insanis, inquam. Me. Egone? Se. Tu istic, qui mihi
Etiam me junctis quadrigis minitatus prosternere.
Egomet haec te vidi facere: egomet haec ted arguo.
Me. At ego te sacram coronam subripuisse scio Jovis;
Et ob eam rem in carcerem ted esse compactum scio;
Et postquam es emissus, caesum virgis sub furca scio;
Tum patrem occidisse et matrem vendidisse etiam scio.
Satin' haec pro sano maledicta maledictis respondeo?
Se. Obsecro hercle, medice, propere, quidquid facturus face!
Non vides hominem insanire? Med. Scin', quid facias optumum?
Ad me face uti deferatur. Se. Itane censes? Med. Quippini?
Ibi meo arbitratu potero curare hominem. Se. Age, ut lubet.
Med. Elleborum potabis faxo aliquos viginti dies.
Me. At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies.
Med. I, arcesse homines, qui illunc ad me deferant! Se. Quot sunt satis? i. t.
Med. Proinde ut insanire video, quatuor; nihilo minus. t. t. c.
Se. Jam hic erunt. Adserva tu istunc, medice. Med. Imo ibo domum:
Ut parentur, quibus paratis opus est. Tu servos jube
Hunc ad me ferant. Se. Jam ego illic faxo erit. Med. Abeo. Se. Vale.
Me. Abiit socerus, abiit medicus: nunc solus sum. Proh Jupiter, as. t. d. i. h.
Quid illuc est, quod med hice homines insanire praedicant? i. t.
Nam equidem, postquam gnatus sum, nunquam aegrotravi unum diem; t. t. c.
Neque ego insanio neque pugnas neque ego litis coepio:

827. V. abest *ego*; sed Junt. Ald.: *Ego perdorm.* 830. MSS. *Immonester nunc.* V.: *Imo mod.* I refellentis est, ut Abi etc. 842. Ita Decurt. V.: *Quippe ni?* 848. Ita Pal. et vett. quaedam edd. V.: *imoego ibo d.* 853. Non legitur in Pal.

Salvus salvos alios video; novi homines, adloquor.
An illi perperam insanire me ajunt, ipsi insaniunt? i. t.
Quid ego nunc faciam? Domum ire cupio: at uxor non sinit; t. t. c.
Huc autem nemo intromittit. Nimis proventum est nequiter:
Hic ero usque. Ad noctem saltem, credo, intromittar domum.

MESSENIO.

Spectamen bono servo id est, qui rem herilem b. t. V, 4.
Procurat, videt, conlocat, cogitatque,
Ut absente hero diligenter tutetur,
Quam si ipse adsit, aut rectius. b. tr. c.
Tergum quam gulam, quam ventrem crura oportet as. 2 ith.
Potiora esse, quoi cor modestum est. b. tr.
Recordetur, id, qui nihili sunt, quid iis preti t. tr. h.
Detur ab suis heris, ignavis, inprobis viris: t. t. c.
Verbera, compedes, molae, magna lassitudo, as. t. d. i. h.
Fames, frigus durum. b. d.
Haec pretia sunt ignaviae. Id ego male malum metuo. i. t. c.
Propterea bonum esse certum est potius quam malum: t. tr. h.
Nam mage multo patior facilius verba; verbera ego odi, as. t. d. i. d. c.
Nimioque edo lubentius molitum, quam molitum praehibeo. i. t.
Propterea heri imperium exsequor, bene et sedate servio.
Atque id mihi prodest. i. h.
Alii ita, ut in rem esse ducunt, sint; ego ita ero, ut me esse oportet: i. t. h.
Metum ut mi adhibeam, culpam abstineam, hero ut omnibus in locis sim praesto.
Servi, qui culpa carent et metuont, t. tr. br.
Hi solent heris esse utibiles. Nam illi, as. 2 ith.
Qui nil metuont, postquam est malum promeritum,

855. *novi* non liquescit. 856. Sic MSS. V.: *An qui perp.* 857. *at* abest ab eodem. 862. Ita Junt. et Ald. V.: *Ut a. h. rem heri dil. tut.*, obscuro quidem metro, nec sine suspicione interpolationis, cum legerimus modo *rem herilem*. 865. Inepte libri: *modeste situm est.* 875. Edd.: *alii sese (?) ita ut in r. esse d., sint* etc. Pal.: *aliis ita esse, ut in r. e. ducunt. Sin ego ero ut me e. op. met. id mihi* etc. 880. V.: *p. est, quando herus. quod strenue faciam, pr. exs.* Sed Pal.: *p. est, q. ceruso faciam pr. exs.* Cf. Sciopp. Susp. L. 5, 1.

Metuont. Metuam haud multum. Prope est, quando herus ob
Facta pretium exsolvet. ith.
Eo exemplo servio, tergi ut in rem esse arbitror. as.t.d.i.d.br.
Postquam in tabernam vasa et servos conlocavi, ut jusserat: i. t.
Ita venio advorsum. Nunc foris pultabo: adesse ut me sciat,
Atque virum ex hoc saltu damni salvom ut educam foras. t. t. c.
Sed metuo, ne sero veniam depugnato proelio.

SENEX. MENAECHMUS. LORARII. MESSENIO.

Se. Per ego vobis deos atque homines dico, ut imperium meum t. t. c. V, 5
Sapienter habeatis curae, quae imperavi atque impero:
Facite illic homo jam in medicinam ablatus sublimis siet,
Nisi quidem vos vostra crura aut latera nihili penditis!
Cave quisquam, quod illic minitetur, vostrum flocci fecerit!
Quid statis? quid dubitatis? Jam sublimem raptum oportuit! i. t.
Ego ibo ad medicum: praesto ero illi, quom venietis. Me. Occidi!
Quid hoc est negoti? quid illice homines ad me currunt, obsecro?
Quid voltis vos? quid quaeritatis? qui me circumsistitis?
Quo rapitis me? quo fertis me? Perii! Obsecro vostram fidem.
Epidamnienses, subvenite, cives! Quin me mittitis?
Mes. Proh di inmortales, obsecro, quid ego oculis adspicio meis?
Herum meum, indignissume nescio quid sublimem ferunt!
Me. Ecquis suppetias mihi audet ferre? Mes. Ego, here, audacissume. t. t. c.
O facinus indignum et malum, Epidamnii cives, herum i. t.

883. In universum monendum est de hoc cantico, non liquescere vocabula *ignaviae* 870., *rem* 876., *Nam* 879., *postquam* 880., *Prope* et *quando* 881., denique *Eo* et *tergi* 883. Nihil frequentius cessante ecthlipsi apud hunc nostrum. 886. Vulgo: — *sciat. Neque utrum ex h. s. d. saluom scio eliciam foras.* Pal.: — *saluum ut eduo anforn,* Sarrac. *Utque*, i. e. *Atque*, ut Gron. vidit *Educam* recte Pareus; *virum* pro *utrum* monstrante ipsa sententia perscripsi. 892. Sic MSS. V.: *illic.* 895. Fort.: — *negoti quod* etc. 899. Ita Pal. V.: *afferre.* 902. Sic et Pal. et vett. edd. V.: *Epidamni.*

Meum hic in pacato oppido luci deripier in via,
Qui liber ad vos venerit! i. d.
Mittite istunc! Me. Obsecro te, quisquis, operam ut des mihi, t. t. c.
Neu sinas in me insignite fieri tantam injuriam!
Mes. Immo et operam dabo et defendam et subvenibo sedulo! i. t.
Numquam te patiar perire! me perire est aequius. t. t. c.
Eripe oculum isti, ab humero qui tenet te, here, te obsecro!
Hisce ego jam sementem in ore faciam pugnosque obseram.
Maxumo malo hercule hodie vostro istunc fertis! Mittite! as. t. d. i. d.
Me. Teneo ego huic oculum. Mes. Face ut oculi locus in capite adpareat! t. t. c.
Vos scelesti, vos rapaces, vos praedones! Lo. Periimus,
Obsecro, hercle! Mes. Mittite ergo! Me. Quid me vobis tactio est?
Pecte pugnis! Mes. Agite, abite, fugite hinc in malam crucem!
Hem tibi etiam, quia postremus cedis, hoc praemi feres!
Nimis autem bene commentavi ora atque ex mea sententia. as. t. d. i. d.
Edepol, here, nae tibi suppetias tempore adveni modo. t. t. c.
Me. At tibi di semper, adulescens, quisquis es, faciant bene:
Nam absque te esset, hodie nunquam ad solem occasum viverem.
Mes. Ergo edepol, si recte facias, o here, me emittas manu.
Me. Liberem ego te? Mes. Verum; quandoquidem, here, te servavi. Me. Quid est,
Adulescens? Erras. Mes. Quid? erro? Me. Per Jovem adjuro patrem.
Med herum tuom non esse. Mes. Non taces? Me. Non mentior;
Nec meus servos unquam tale fecit, quale tu mihi.
Mes. Sic sine igitur, si tuom esse negas me, abire liberum.
Me. Mea quidem hercle causa liber esto atque ito, quo voles.
Mes. Nempe jubes? Me. Jubeo hercle, si quid imperi est in te mihi.
Mes. Salve, mi patrone. Servos alius. Quom tu liber es, Messenio,

905. Ita vetus cod. Camer. V.: *quisquis es.* 909. Sic plane Pal. V.: *qui te tenet. Oculum* non liquescit. 921. V.: *fac, here,* metro minus expedito. Pal.: *fac ore me.* Et hic autem et vet. cod. Camer.: *emittas,* non *mittas,* sicut vulgo.

Gaudeo. MES. Credo hercle vobis. Sed patrone te obsecro,
Ne minus imperes mihi, quom tuos servos fui.
Apud ted habitabo, et, quando ibis, una tecum ibo domum. i. t.
Meminens nunc ibo in tabernam: vasa et argentum tibi t. t. c.
Referam. Recte est obsignatum in vidulo marsupium
Cum viatico: id tibi jam huc adferam. ME. Adfer strenue.
MES. Salvom tibi ita, ut mihi dedisti, redhibebo. Hic me mane.
ME. Nimia mira mihi quidem hodie exorta sunt multis modis:
Alii me negant eum esse, qui sum, atque excludunt foras;
Socer et medicus me insanire dicunt. Quid sit, mira sunt,
Vel ille, qui modo sese ajebat petere argentum, qui meum i. t.
Se modo esse ajebat servom, quem ego modo emisi manu, t. t. c.
Is mi adlaturum cum argento sese ait marsupium.
Id si attulerit: dicam ut a med abeat liber, quo volet:
Ne tum, quando sanus factus siet, a me argentum petat.
Haec nihilo esse mihi videntur secius quam somnia
Nunc ibo intro ad hanc meretricem, quamquam suscenset mihi:
Si possum exorare, ut pallam reddat, quam referam domum.

MENAECHMUS SOSICLES. MESSENIO.

ME. Men' hodie usquam convenisse te, audax, audes dicere, t. t. c. V, 6
Postquam advorsum mi imperavi ut huc venires? MES. Quin modo

933. *Meminens*. Libri.: *Minime*, quae responsio sit Menaechmi. ineptissima illa quidem. Acidalius itaque tentabat *Mane me*; verum id sequitur 936. *Meminens* et Livius (vel potius Laevius) usurpavit, et hic noster teste Sergio in Donati altera ed.: vide Putsch. pp. 922 et 1855. 935. *multis* Pal. posteriore loco: nam bis haec ibi descripta sunt. V.: *miris*. 939. V: post 944. legitur. 940. Vulgo: *Etiam hic servom esse se meum ajebat, quem ego emisi manu;* neque aliter posteriore loco Pal.; sed priore haec habet: *Vel ille qui se petere modo argentum modo qui servum se meum Esse ajebat. quem ego modo emisi manu;* quae mihi lectio verior elegantiorque visa est. Prius *ajebat* quin forte sit neglectum, nullus dubito.

Eripui homines qui ferebant te sublimem quattuor
Apud hasce aedis; tu clamabas deum fidem atque hominum omnium,
Quom ego adcurro teque eripio vi pugnando ingratiis.
Ob eam rem, quia te servavi, me amisisti liberum.
Quom me argentum dixi petere et vasa: tu quantum potest
Praecucurristi obviam, ut, quae fecisti, inficias eas.
ME. Liberum ego te jussi abire..... MES. Certo. ME. Quoi certissumum est,
Mepte potius fieri servom, quam te umquam emittam manu?

MENAECHMUS. MESSENIO. MENAECHMUS SOSICLES.

ME. S. Si voltis per oculos jurare, nihilo hercle ea causa magis i. t. V, 7
Facietis, ut ego hodie abstulerim pallam et spinther, pessumae. t. t. c.
MES. Proh di inmortales, quid ego video? ME. S. Quid vides? MES. Speculum tuom. i. t.
ME. S. Quid negoti est? MES. Tua est imago! tam consimilist, quam potest! t. t. c.
ME. S. Pol profecto haud est dissimilis, meam quom formam noscito.
ME. O adulescens, salve, qui me servavisti, quisquis es!
MES. Adulescens, quaeso hercle loquere tuom mihi nomen, nisi piget.
ME. Non edepol ita promeruisti de me, ut pigeat, quae velis.
Mihi est Menaechmo nomen. ME. S. Imo edepol mihi. i. s.
ME. Siculus sum Syracusanus. ME. S. Ea domus et patria est mihi. t. t. c.
ME. Quid ego ex te audio? ME. S. Hoc, quod res est. MES. Novi equidem hunc: herus est meus.
Ego quidem hujus servos sum; sed med esse hujus credidi.
Ego hunc censebam ted esse; huic etiam exhibui negotium. i. t.
Quaeso, ignoscas, si quid stulte dixi atque inprudens tibi. t. t. c.
ME. S. Delirare mihi videre. Non conmeministi, simul

966. Ita Pal. Vulgo *Menaechmus*.

Te hodie mecum exire e navi? Mes. Enimvero aequom postulas:
Tu herus es; tu servom quaere. Tu salveto! tu vale!
Hunc ego esse ajo Menaechmum. Me. At ego me. Me. S. Quae haec fabula est?
Tu es Menaechmus? Me. Me esse dico, Moscho prognatum patre.
Me. S. Tun' meo patre es prognatus? Me. Imo equidem, adulescens, meo:
Tuom tibi neque occupare neque praeripere postulo.
Mes. Di immortales, spem insperatam date mihi, quam suspico!
Nam nisi me animus fallit, hi sunt gemini germani duo:
Nam et patriam et patrem conmemorant pariter, qui fuerint sibi.
Sevocabo herum. Menaechme! Me. Ambo. Quid vis? Mes. Non ambos volo;
Sed uter vostrum est advectus mecum navi? Me. Non ego.
Me. S. At ego. Mes. Te volo igitur. Huc concede. Me. S. Concessi. Quid est?
Mes. Illic aut homo sycophanta aut geminus est frater tuos:
Nam ego hominem homini similiorem nunquam vidi ego alterum,
Neque aqua aquae neque lacte est lacti, crede mihi, usquam similius,
Quam hic tui est, tuque hujus autem; post eandem patriam ac patrem
Memorat. Melius nos adire est atque hunc percontarier.
Me. S. Hercle quin tu me admonuisti recte et habeo gratiam.
Perge operam dare, obsecro hercle! Liber esto, si invenis
Hunc meum fratrem esse! Mes. Spero. Me. S. Et ego item spero fore.
Mes. Quid ais tu? Menaechmum, opinor, te vocari dixeras.
Me. Ita vero. Mes. Huic item Menaechmo nomen est. In Sicilia
Te Syracusis natum esse dixisti; hic natust ibi.
Moschum tibi patrem fuisse dixisti; huic itidem fuit.
Nunc operam potestis ambo mihi dare et vobis simul.
Me. Promeruisti, ut ne quid ores, quod velis, quin inpetres.

979. V.: *suspicor.* Pal. *suspico,* quod non spernendum, quippe quod Plautus etiam alibi usurpaverit. 979. Male libri: *N. et patrem et matrem c.* Emendavit Lips. Epist. Quaest. 4, 6.

Tamquam si emeris me argento, liber servibo tibi.
Mes. Spes mihi est, vos inventuros fratres germanos duo
Geminos, una matre natos et patre uno, uno die.
Me. Mira memoras. Utinam ecficere, quod pollicitus, possies!
Mes. Possum. Sed nunc, agite, uterque id, quod rogabo,
dicite.
Me. Ubi lubet, roga: respondebo; nil reticebo, quod sciam.
Mes. Est tibi nomen Menaechmo? Me. Fateor. Mes. Est
itidem tibi?
Me. S. Est. Mes. Patrem fuisse Mosehum tibi ais?
Me. Ita vero. Me. S. Et mihi.
Mes. Esne tu Syracusanus? Me. Certo. Mes. Quid tu?
Me. S. Quippini?
Mes. Optume usque adhuc conveniunt signa. Porro ope-
ram date.
Quid longissume meministi, dic mihi, in patria tua?
Me. Cum patre ut abii Tarentum ad mercatum; postea
Inter homines me deerrare a patre atque inde avehi.
Me. S. Jupiter supreme, serva me! Mes. Quid clamas?
quin taces?
Quot eras annos gnatus, quom te pater a patria avehit?
Me. Septuennis: nam tum dentes mihi cadebant primulum;
Neque patrem postilla vidi unquam. Mes. Quid? vostrum
patri
Filii quot eratis? Me. Ut nunc maxume memini, duo.
Mes. Uter eratis, tun' an ille, major? Me. Aeque ambo
pares.
Mes. Qui id potest? Me. Gemini ambo eramus. Me. S. Di
me servatum volunt.
Mes. Si interpellas: ego tacebo. Me. S. Potius tacebo.
Mes. Dic mihi: as. t. d. i. d.
Uno nomine ambo eratis? Me. Minume: nam mihi hoc
erat, t. t. c.
Quod nunc est, Menaechmo; illunc tum vocabant Sosiclem.
Me. S. Signa agnovi: contineri, quin complectar, non queo!
Mi germane gemine frater, salve! Ego sum Sosicles.
Me. Quomodo igitur post Menaechmo nomen est factum tibi?

1000. Vulgo *duo*, ὁμοιοτελεύτῳ minus suavi. 1003. Ita Palat. et Junt. V.: Sed *nunc coite. uterque* etc. 1010. Non aliter vett. V.: *tum postea*. 1015. *vostrum*. Fort. leg. cum Scal.: *vos tum*. 1019. Sic Palat. V.: *Potius taceo*. 1021. Sic MSS. V.: *Menaechmus*. 1025. Libri: — *est te et p. esse mort.* Correxit Is. Pontan. Cf. prolog. 29. seqq.

Me. S. Postquam ad nos renuntiatum est de te, et patrem mortuom,
Avos mutavit noster; tibi quod nomen est, facit mihi.
Me. Credo, ita esse factum, ut dicis. Sed mi hoc responde. Me. S. Roga.
Me. Quod erat nomen nostrae matri? Me. S. Theusimarche. Me. Convenit.
O salve, insperate, multis annis post quem conspicor,
Frater! Me. S. Et tu, quem ego multis miseriis, laboribus,
Usque adhuc quaesivi, quemque ego esse inventum gaudeo!
Mes. Hoc erat, quod haec te meretrix hujus vocabat nomine: as. t. d. i. d.
Hunc censebat te esse; credo, quom vocat te ad prandium! t. t. c.
Me. Namque edepol hic mihi hodie jussi prandium adparier i. t.
Clam meam uxorem: quia pallam surpui dudum domo, t. t. c.
Eam dedi huiic. Me. S. Huncne dicis, frater, pallam, quam ego habeo?
Me. Quomodo haec ad te pervenit? Me. S. Meretrix huc ad prandium
Med abduxit; sibi dedisse me aibat: prandi perbene,
Potavi atque adcubui scortum; pallam, et aurum hoc mihi d e d i t.
Me. Gaudeo edepol, si quid propter me tibi evenit boni:
Nam illa quom ad sese vocabat, te med esse credidit.
Mes. Numquid me morare, quin ego liber, ut jussisti, eam?
Me. Optumum atque aequissumum orat, frater: fac causa mea.
Me. S. Liber esto. Me. Quom tu es liber, gaudeo, *Messenio*.
Mes. Sed meliore est opus auspicio: ut liber perpetuo siem.
Me. S. Quoniam haec evenerunt nostra, frater, ex sententia,
In patriam redeamus ambo. Me. Frater, faciam, ut tu voles:
Auctionem hic faciam et vendam, quidquid est. Nunc interim

1028. Sic vet. cod. Cam. a m. 2. V.: *Quid*. 1030. Libri hiante versu: *miseris*. 1035. *quia* MSS.; vulgo *quoi*. 1036. Vulgo *huic*, metro quidem imperfecto. 1039. Supplementum Camerarii. 1041. V.: *se*. 1045. Ita Pal. Vulgo: *ausp.*, *lib. perp. ut siem*. Nunc *perp.* plene exauditur, quae vox cardo est sententiae.

Eamus intro, frater. Me. S. Fiat. Mes. Scitin', quid ego
vos rogo? i. t.
Me. Quid? Mes. Praeconium ut mihi detis. Me. Dabitur.
Mes. Ergo nunc iam t. t. c.
Vis conclamari auctionem fore? — Quid est? dic.
Me. Septimi.
Mes. Auctio fiet Menaechmi mane sane septimi.
Venibunt servi, supellex, fundi, aedes. Omnia
Venibunt, quiqui licebunt, praesenti pecunia.
Uxor venibit quoque etiam, si quis emtor venerit.
Vix credo auctione tota capiet quinquagesies.
Nunc, spectatores, valete et nobis clare adplaudite!

1051. *dic.* MSS. *die.* Edd.: — *fore? quo die?* (vet. cod. Camerar.: *quidem.*) Men. *die sept.* Sed illud *quid est* recte se habet, estque responsionem paulo impatientius expectantis, quasi dicas: Quid est, quod non respondes?

MERCATOR.

ARGUMENTUM.

Missus mercatum ab suo adolescens patre   i. s.
Emit atque apportat scita forma mulierem.
Requirit, quae sit, postquam eam vidit, senex.
Confingit servus, emtam matri pedisequam.
Amat senex hanc, ac, se simulans vendere,
Tradit vicino. Eum uxor illius putat
Obduxe scortum. Tum Charinum ex fuga
Retrahit sodalis, postquam amicam invenerat.

ALIUD ARGUMENTUM.

Mercatum ad socium filium extrudit pater.   i. s.
Is peregre mitis redimit ancillam hospitis,
Amore captus. Ut venit, navi exiit:
Pater advolat atque visam ancillam deperit;
Quoius sit, percontatur. Servus pedisequam
Ab adolescente ipsius emtam matri ait.
Senex, sibi prospiciens, ut amico suo
Veniret, natum orabat; natus, ut suo:
Hic filium subdiderat vicini; pater
Vicinum. Praemercatur ancillam senex.
Eam domi deprensam conjunx illius
Vicini scortum insimulat: protelat virum.
Mercator exspes patria fugere destinat;
Prohibetur a sodale, qui illius patrem
Cum patre exorat, nato uti cedat suo.

Argum. 1. V. 5. wulgo: *hanc ad se sim.* Pal.: *hanc se adsimulans.* Arg. 2, 1. Ita vet. cod. Camerar., nisi quod habet *sotium*, V.: *M. a. se dum fil.* 2. MSS. *milis.* V.: *unius.* 6. *ait*, quod v. abest, ex Junt. et Ald. arcessitum.

DRAMATIS PERSONAE.

CHARINUS.
EUTYCHUS.
ACANTHIO.
DEMIPHO.
LYSIMACHUS.
PASICOMPSA.
DORIPPA.
SYRA.
COCUS.
LORARII.

PROLOGUS.

CHARINUS.

Duas res simul nunc agere decretum est mihi: I. s. I,
Et argumentum et meos amores eloquar.
Non ego item facio, ut alias in comoediis
Vidi facere amatores, qui aut nocti aut die
Aut soli aut lunae miserias narrant suas,
Quos pol ego humanas creduo querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint:
Vobis narrabo potius meas nunc miserias.
Graece haec vocatur Emporos Philemonis;
Eadem latine Mercator Marci Attici.
Pater ad mercatum hinc me meus misit Rhodum
(Biennium jam factum est, postquam abii domo);
Ibi amare occoepi forma eximia mulierem.
Sed eam ut sim inplicitus, dicam, si operae est auribus
Atque ad vortendum huc animum adest benignitas;
Etsi hoc parum (ecce) more majorum institi,
Per meam personam ad vos qui sim index eloco.
Nam amorem haec cuncta vitia sectari solent
Cura, aegritudo, nimiaque elegantia.
Haec non modo illum, qui amat, sed, quemque attigit,
Magno atque solido multat infortunio;
Nec pol profecto quisquam sine grandi malo,
Praequam res patitur, studuit elegantiae.
Sed amori accedunt etiam haec, quae dixi minus:

V. 3. Vulgo: *idem*, sed Mureti (V. L. 18, 9.) liber unus: *item*. Legitur quoque *alios*. 6. Libri titubante versu: *credo*. 10. V.: *Marci Accii*. MSS. *mactici*, *mattici*, ut Decurt. Vett. edd.: *martici*. Subest jocus (cf. Men. prol. princip.): nam genitivi forma, qualis est nominis *Accii*, sive *Attii*, ab isto seculo abhorret. 14. Vitiose libri: *opera*, nec melius sequ. versu: *A. ad aduort*. 16. V.: *Et hoc p. etiam* (MSS. *esse*) *m. m. inst.* 17. V.: *Prius ac percontatus sum vos, sumpsi indicium illico*. Pal.: *Per me perconatus sum nossumque* inde exilico. Et sic fere MSS.

Insomnia, aerumna, error, terror et fuga,
Ineptia stultitiaque adeo et temeritas,
Incogitantia, excors inmodestia,
Petulantia et cupiditas, malevolentia;
Haeret etiam aviditas, residia, injuria,
Inopia, contumelia et dispendium,
Multiloquium, pauciloquium. Hoc ideo fit, quia,
Quae nihil attingunt ad rem nec sunt usui, haec
Tam amator profert saepe advorso tempore;
Hoc, pauciloquium, rursum idcirco praedico,
Quia nullus unquam amator adeo est callide
Facundus, quae in rem sint suam, ut possit loqui.
Nunc vos mi irasci ob multiloquium non decet:
Eodem, quo amorem, Venus mi hoc legavit die.
Illuc revorti certum: ut conata eloquar.
Principio atque ex ephebis aetate exii
Atque animus studio amotus puerili meust:
Amare valide coepi hinc meretricem eloco.
Res exulatum ad illam clam abibat patris:
Leno inportunus, dominus ejus mulieris,
Vi summa quidque, ut poterat, rapiebat domum.
Objurgare haec pater me noctis et dies:
Lenonum perfidiam, injustitiam expromere:
Lacerari valide suam rem, illius augerier;
Summa haec clamore; interdum mussans; conloqui
Abnuere; negitare adeo me natum suom;
Conclamitare tota urbe et praedicere,
Omnes tenerent mutuitanti credere:
Amorem multos inlexe in dispendium:
Intemperantem, non modestum, injurium,
Trahere, exhaurire me, quod quirem, ab se domo;
Rationem pessumam esse, ea, quae ipsus optuma
Omnis labores invenisset perferens,
Amoris vi diffunditari ac didier.
Convitium tot me annos jam se pascere;
Quodnisi puderet, ne luberet vivere.
Sese extemplo, ex ephebis postquam excesserit,
Non ut ego, amori neque desidiae in otio
Operam dedisse, neque potestatem sibi
Fuisse; adeo arte cohibitum se esse a patre;
Multo opere inmundo rustico se exercitum,

28. Ita MSS. V.: *P. cup. et mal.* 32. V.: *haec am. prof.* etc. MSS.: *Tam am.* etc. 40. Inepte libri: *Pr. a. animus ephebis aet. exiit. animus* ex sequ. v. in hunc irrepsit. 42. *hinc*, Athenis. V.: *hic*. 58. *didier* Gronov. Vulgo *deteri*. Pal.: *diedere*.

Nec nisi quinto anno quoque positum visere
Urbem, atque extemplo inde, ut spectavisset peplum,
Rus rursum confestim exigi solitum a patre.
Ibi multo primum sese familiarium
Laboravisse, quom haec pater sibi diceret:
Tibi aras, tibi occas, tibi seris: tibi item metes;
Tibi denique istic pariet laetitiam labos.
Postquam recesset vita patrio corpore,
Agrum se vendidisse atque ea pecunia
Navim, metretas quae trecentas tolleret,
Parasse atque ea semper se invectatum undique
Adeo dum, quae tum haberet, peperisset bona.
Me idem decere, si, ut deceret me, forem.
Ego me ubi invisum meo patri esse intellego
Atque odio me esse, quoi placere aequom fuit:
Amens amansque utut animum obfirmo meum;
Dico esse iturum me mercatum, si velit:
Amorem missum facere me, dum illi obsequar.
Agit gratias mi atque ingenium adlaudat meum;
Sed mea promissa non neglexit persequi:
Aedificat navim cercurum et mercis emit;
Parata navi, inponit; praeterea mihi
Talentum argenti ipsus sua adnumerat manu;
Servom una mittit, qui olim a puero parvolo
Mihi paedagogus fuerat, quasi uti mihi foret
Custos. His sic confectis navim solvimus.
Rhodum venimus, ubi quas mercis vexeram,
Omnis, ut volui, vendidi ex sententia,
Lucrum ingens facio praeterquam mihi meus pater
Dedit aestimatas mercis: ita peculium
Conficio grande. Sed dum in portu illi ambulo:
Hospes me quidam agnovit, ad coenam vocat.
Venio; decumbo, acceptus hilare atque ampliter.
Discubitum noctu ut imus: ecce ad me advenit
Mulier, qua mulier alia nulla est pulcrior.
Ea nocte mecum illa hospitis jussu fuit.
Vosmet videte, quam mihi valde placuerit:
Postridie hospitem adeo; oro, ut vendat mihi;
Dico, ejus pro meritis gratum me et munem fore.

66. *positum* ex 2 Camerarr. recte Gruter. dedit, i. e. decretum, constitutum. V.: *posse tum.* 71. V.: *tibi eidem metis.* 72. V.: *iste.* Vet. cod. Camerar. *isti.* An *ipsi?* 76. V.: *P. a. eapse merces vectatum u.* Pal.: *P. a. eam sempercisuectatam undique.* 91. *His sic.* Edd. *ἀμέτρως*: *iisce.* MSS. *isset.*

Quid verbis opus est? emi mi atque advexi heri.
Eam me advexisse nolo resciscat pater.
Modo eam reliqui ad portum in navi et servolum.
Sed quid currentem servom a portu conspicor,
Quem navi abire vetui? Timeo, quid siet.

ACANTHIO. CHARINUS.

Ac. Ex summis opibus viribusque usque experire! nitere, i. t. I, 2.
Herus ut minor opera tua servetur! Agedum, Acanthio,
Abige abs te lassitudinem, cave pigritiae praevorteris!
Simul enica suspiritus (vix subfero hercle anhelitum);
Simul autem eos plenissume, qui advorsum eunt, aspellito,
Detrude, deturba in viam! Haec hic disciplina pessuma est:
Currenti haud quisquam properanti dignum habet decedere: t. t. c.
Ita tres simitu res agendae sunt, quando unam occoeperis:
Et currendum est et pugnandum et autem jurgandum in via.
Ch. Quid illuc, quod ille tam expedite exquirit cursuram sibi? i. t.
Cura est, negoti quid sit aut quid nuntiet. Ac. Nugas ago!
Quam maxume resisto, tam res in periclo vortitur!
Ch. Mali nescio quid nuntiat. Ac. Genua hunc cursorem deserunt!
Perii, seditionem facit lien, occupat praecordia!
Perii, animam nequeo vortere. Nimis nihili tibicen siem!
Nunquam edepol omnes balineae mi hanc lassitudinem eximent
Domin' an foris dicam esse herum Charinum? Ch. Ergo animi pendeo,
Quid illuc negoti sit! lubet scire ex hoc me: ut sim certior.

105. V. hiante versu: *emi atque*. Pal.: *Q. v. o. est mihi atque a. h.* 119. Libri minus ἀμέτρως: *Q. illud est.* 124. Post hunc versum 135. vulgo legitur in libris, cum Acanthio Charinum nondum convenerit. 126. *Ergo.* V. *ego.*

Ac. At etiam adsto? at etiam cesso foribus facere his assulas? t. t. c.
Aperite aliquis! Ubi Charinus herus? domin' est an foris? —
Num quisquam adire ad ostium dignum arbitratur?
Ch. Ecce me, i. t.
Acanthio, quem quaeris! Ac. Nusquam est disciplina ignavior,
Ch. Quae te res male agitant? Ac. Multae, here, ted atque me. i. s.
Ch. Quid est negoti? Ac. Periimus! Ch. Inimicis principium dato! i. t.
Ac. At tibi sortito id obtigit. i. d.
Ch. Loquere id negoti, quidquid est! Ac. Placide: volo adquiescere. i. t.
Ch. At tu edepol sume laciniam atque absterge sudorem tibi.
Ac. Tua causa rupi ramices. Jamdudum sputo sanguinem.
Ch. Resinam ex melle Aegyptiam vorato: salvom feceris.
Ac. At tu edepol calidam picem bibito: aegritudo abscesserit.
Ch. Hominem ego iracundiorem, quam te, novi neminem. t. t. c.
Ac. At ego maledicentiorem, quam te, novi neminem.
Ch. Si saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo?
Ac. Apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quae advenit!
Ch. Dic mihi, an boni quid usquam est, quod quisquam uti possiet
Sine malo omni, ut ne laborem capias, cum illo uti voles?
Ac. Nescio ego istaec: philosophari nunquam didici neque scio;
Ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud desidero.
Ch. Cedo tuam mihi dexteram! Agedum, Acanthio!
Ac. Hem, dabitur: tene!
Ch. Vin' tu te mi ob esse sequentem, an nevis?
Ac. Opera licet
Experiri, qui me rupi causa currendo tua:
Ut, quae scirem, scire actutum tibi liceret! Ch. Liberum
Tibi caput faciam cis paucos mensis. Ac. Palpo percutis.
Ch. Egon' ausim tibi usquam quidquam facinus falsum proloqui?
Quin jam, priusquam sum elocutus, scis, si mentiri volo.
Ac. Ah, lassitudinem hercle verba tua mihi addunt! enicas! i. t.
Ch. Siccine mi obsequens es? Ac. Quid vis faciam? Ch. Tun? Id, quod volo.... t. t. c.

128. Ita Pal. et vett. edd. V.: *hisce*. 142. Libri: *Si*. 145. *ut*. V. *aut*.

Ac. Quid id est igitur, quod vis Ch. Dicam. Ac. Dice. Ch. At enim placide volo.
Ac. Dormientis spectatores metuis ne ex somno excites?
Ch. Vae tibi! Ac. Tibi equidem a portu adporto hoc. Ch. Quid fers? dic mihi.
Ac. Vim, metum, cruciatum, curam jurgiumque atque inopiam.
Ch. Perii, tu quidem thesaurum huc mi adportavisti mali!
Nullus sum! Ac. Imo es . . . . Ch. Scio jam: miserum dices. Ac. Tu dixisti: ego taceo. t. t.
Ch. Quid istuc est mali? Ac. Ne rogites! Maxumum infortunium est! t. t. c.
Ch. Obsecro, dissolve jam me! Nimis diu animi pendeo.
Ac. Placide: multa exquirier etiam prius volo, quam vapulem.
Ch. Hercle vero vapulabis, nisi jam loquere aut hinc abis!
Ac. Hoc sis, vide, ut palpatur! Nullust, quando occoepit, blandior. i. t.
Ch. Obsecro hercle oroque, ut, istuc quid sit, actutum indices: t. t. c.
Quandoquidem mihi supplicandum servolo video meo.
Ac. Tamde indignus videor? Ch. Imo dignus. Ac. Equidem credidi.
Ch. Obsecro, num navis periit? Ac. Salva est navis: ne time.
Ch. Quid alia armamenta? Ac. Salva et sarta sunt. Ch. Quin tu expedis,
Quid siet, quod me per urbem currens quaerebas modo?
Ac. Tu quidem ex ore orationem mi eripis. Taceas face.
Credo, si boni quid ad te nuntiem, instes acriter,
Qui nunc quom malum audiundum est, flagitas me, ut eloquar.
Ch. Obsecro hercle te, istuc ut tu mihi malum facias palam!
Ac. Eloquar: quandoquidem oras. Tuos pater . . . . . Ch. Quid meus pater?
Ac. Tuam amicam . . . . Ch. Quid eam? Ac. Vidit. Ch. Vidit? Vae misero mihi!
Qui videri potuit? Ac. Oculis. Ch. Quo pactod? — Ac. Hiantibus.
Ch. In' hinc dierectus? Nugaris in re capitali mea!
Ac. Qui, malum, ego nugor, si tibi, quod me rogas, respondeo?

157. *Id* aecivi ex Junt. et Ald. 158. *ex.* Ita MSS. V.: *e.* 162. Libri *ἀμέτρως: dixti.* 165. V.: *exquirere.* 170. V.: *Tandem ind. vid.* 172. *sarta* Lamb. dedit. V.: *sana.* 174. V.: — *eripis.* Ch. *taceo.* Ac. *tace.* 178. V.: *me oras.* 179. Post hunc versum v. inculcant 183.

CH. Hoc, quod te interrogo, responde! AC. Quin tu, si quid vis, roga. i. t.
CH. Certen' vidit? AC. Tam hercle certe, quam ego ted ac tu me vides. t. t. c.
CH. Ubi eam vidit? AC. Intus intra navim, ubi prope adstitit
Et cum ea confabulatust. CH. Perdidistis me, pater,
Et tute! Eho tu, quin cavisti, ne eam videret, verbero?
Quin abstrudebas, sceleste, ne eam conspiceret pater?
AC. Quia negotiosi eramus nostris nos negotiis:
Armamentis conplicandis, conponendis, studuimus.
Dum haec aguntur: lembo advehitur tuos pater pauxillulo,
Neque quisquam hominem conspicatust, donec in navi super.
CH. Nequidquam ego mari subterfugi saevis tempestatibus!
Equidem jam me censebam esse in terra atque in tuto loco;
Verum video med ad saxa ferri saevis fluctibus.
Loquere porro, quid sit actum. AC. Posquam adspexit mulierem:
Rogitare occoepit, quoia esset. CH Quid respondit? AC. Eloco
Occucurri atque interpello: matri te ancillam tuae
Emisse illam. CH. Visusne est tibi credere id? AC. Etiam rogas?
Sed scelestus subigitare occoepit. CH. Illamne, obsecro?
AC. Mirum, quin me subigitaret. CH. Edepol cor miserum meum,
Quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem!
Perii! AC. Hem istuc unum verbum dixisti verissumum!
CH. Stultitia istaec est! — Quid faciam? Credo, non credet pater,
Si illam matri med emisse dicam; post autem mihi
Scelus videtur, me parenti proloqui mendacium.
Neque ille credet neque credibile est, forma eximia mulierem i. t.
Eam me emisse ancillam matri. AC. Non taces, stultissume?
Credet hercle: nam credebat jam mihi. CH. Metuo miser, t. t. c.
Ne patrem prehendat, ut sit gesta res suspicio.
Hoc, quod te rogo, responde, quaeso! AC. Quid rogas? i. s.
CH. Num esse amicam suspicare visus est? AC. Non visus est, t. t. c.
Quin quidque, ut dicebam, mihi credebat. CH. Verum, ut tibi quidem

187. V.: *pater! Eho tu, eho tu, quin* etc. 190. Αμέτρως- libri: *et comp.* 193. *ego* Junt. Ald. V. deest, duriore quidem numero. 199. V. hiante versu: *visust tibi.* MSS. *visunt, visum,* h. e. *visun',* visusne. 205. Libri *meae* pro *med*, ut a et d litterae misceri solent.

Visus est. Ac. Non; sed credebat. Ch. Vae mihi misero! nullus sum!
Sed quid ego hic nunc lamentando pereo, ad navim non eo?
Sequere. Ac. Si istac ibis: commodum obviam venies patri.
Posteaquam te adspiciet timidum esse atque exanimatum: eloco
Retinebit, rogitabit, unde illam emeris, quanti emeris;
Te tentabit. Ch. Quin hac ibo potius. Jam censes patrem
Abiisse a portu? Ac. Quin ea ego huc praecucurri gratia:
Ne te opprimeret inprudentem atque elactaret. Ch. Optume.

D E M I P H O.

Miris modis di ludos faciunt hominibus i. s. II, 1.
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego nocte hac, quae praeteriit, proxuma
In somnis egi satis et fui homo exercitus.
Mercari visus mihi sum formosam capram.
Ei ne noceret, quam domi ante habui capram,
Neu discordarent, si ambo in uno essent loco:
Posterius quam mercatus fueram, visus sum
In custodelam simiae concredere.
Ea simia adeo post haud multo ad me venit,
Male mihi precatur et facit convitium:
Ait sese illius opera atque adventu caprae
Flagitium et damnum fecisse haud mediocriter:
Dicit capram, quam dederam servandam sibi,
Suae dotem uxoris ambadedisse. Oppido
Mi illud videri mirum, ut una illaec capra
Uxoris dotem simiae ambadederit.
Instare factum simia atque hoc denique
Respondet: ni properem illam ab sese abducere,
Ad me domum ad uxorem introducturum meam.
Atque oppido hercle bene velle illud visus sum;
Ast non habere, quoi commendarem capram:
Quo mage, quid facerem, cura cruciabar miser.
Interea ad me hoedus visust adgredirier,
Infit mihi praedicare: sese ab simia
Capram abduxisse, et coepit inridere me.
Ego enim lugere atque illam abductam conqueri.

215. V.: *hic in lam.* 219. V., *frustra corrupto versu: Timidum tentabit te.* 230. MSS. *custodiam.* V.: *custodiam eam.* 242. V.: *illi.*

Hoc quam ad rem credam pertinere somnium,
Nequeo invenire; nisi capram illam suspicor
Jam me invenisse, quae sit aut quid voluerit.
Ad portum hinc abii mane cum luci simul,
Postquam hic, quod volui, transegi: atque ego conspicor
Navem ex Rhodo, qua heri est advectus filius.
Conlubitum est illuc mihi, nescio qui, visere.
Ascendi in lembum atque ad navim advehor:
Atque ego illi adspicio forma eximia mulierem,
Filius quam advexit meus matri ancillam suae;
Quam ego postquam adspexi: non ita amo, ut sani solent
Homines; sed eodem pacto, ut insani solent.
Amavi hercle equidem ego olim in adulescentia;
Verum ad hoc exemplum nunquam, ut nunc insanio.
Nunc hoc profecto sic est: haec illa est capra.
Sed simia illa atque hoedus timeo quid velint.
Unum quidem hercle jam scio: periisse me;
Vosmet videte ceterum, quanti siem.
Sed conticescam: vicinum eccum; exit foras.

LYSIMACHUS. DEMIPHO. LORARII.

Ly. Profecto ego illunc hircum castrari volo, i. s. II, 2.
Ruri qui nobis exhibet negotium.
De. Neque omen illud mihi neque auspicium placet:
Quasi hircum metuo, ne uxor me castret mea,
Atque illius haec nunc simiae partis ferat.
Ly. I tu hinc ad villam atque istos rastros villico
Pisto ipsi facito coram ut tradas in manum.
Uxori facito ut nunties, negotium
Mihi esse in urbe, ne me exspectet: nam mihi
Tris hodie litis judicandas dicito.
I et hoc memento dicere. Lo. Numquid amplius?
Ly. Tantum est. De. Lysimache, salve. Ly. Euge, Demipho,
Salveto. Quid fit? quid agis? De. Quod miserrumus.
Ly. Di melius faxint! De. Di hoc quidem facient.
Ly. Quid est?
De. Dicam, tibi si videam esse operam aut otium.
Ly. Quamquam negotium est: si quid vis, Demipho,
Non sum occupatus unquam amico operam dare.
De. Benignitatem tuam mi experto praedicas.

254. V.: *illac.* Corr. Guil. 257. V. metro impedito: *illic.* 265. Post hunc vers. vulgo inculcantur 265. et sequ. 277. Ita Pal. V.: *Tres h. lites.* 280. Corrupte libri: *Salve. o. q. ag.? quid fit?* 281. V.: *faciunt.* Pal.: *faciant.*

Quid tibi ego aetatis videor? Ly. Acheruntius,
Senex vetus, decrepitus. De. Pervorse vides:
Puer sum, Lysimache, septuennis. Ly. Sanun' es,
Qui puerum te esse dicas? De. Vera praedico.
Ly. Modo hercle in mentem venit, quid tu diceres:
Senex quom extemplo est, jam nec sentit neo sapit,
Ajunt, solere eum rursum repuerascere.
De. Imo bis tanto valeo, quam valui prius.
Ly. Bene hercle factum et gaudeo. De. Imo si scias:
Oculis quoque etiam plus jam video, quam prius.
Ly. Bene est. De. Malam rem dico. Ly. Jam istuc non bonum est.
De. Sed ausimne ego tibi eloqui, si quid velim?
Ly. Audacter. De. Animum advorte. Ly. Fiet sedulo.
De. Hodie ire in ludum occepi literarium,
Lysimache. Ternas scio jam. Ly. Quid? ternas? De. AMO.
Ly. Tun' capite cano amas, senex nequissume?
De. Si canum, si istuc rutilum, sive atrum est: amo.
Ly. Ludificas nunc tu me hic, opinor, Demipho.
De. Decide collum, si falsum ad ted eloquor!
Vel, ut scias me amare, cape cultrum, seca
Digitum vel aurem vel tu nasum vel labrum;
Si movero me seu secari sensero,
Lysimache: auctor sum, amando med ut enices.
Ly. Si unquam vidistis pictum amatorem, hem illic est:
Nam meo quidem animo vetulus, decrepitus, senex
Tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete.
De. Nunc tu me, credo, castigare cogitas.
Ly. Egon' te? De. Nihil est jam, quod tu mihi suscenseas:
Fecere tale ante alii spectati viri.
Humanum amare est, humanum autem ignoscere est.
Ne, sis, me objurga: huc non voluntas me inpulit.
Ly. Quin non objurgo. De. At ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas. Ly. Egon' te? Ah, ne di siverint!
De. Vide, sis, modo etiam. Ly. Visum est. De. Certen'? Ly. Perdis me! —
Hic homo ex amore insanit. — Numquid vis? De. Vale.
Ly. Ad portum propero: nam ibi mihi negotium est.
De. Bene ambulato. Ly. Bene vale. De. Bene sit tibi.

302. V.: *Seu c., seu ist.* MSS. et vett. edd.: *Si c.* 304. V.: *f. est uti loquar.* Pal. et vett. edd.: *f. ad te loquar.* 308. V. invitis MSS. et vett. edd.: *uti me am. hic en.* 309. V.: *vidisti.* 315. Ita MSS. V.: *succens.* 316. V.: *hoc.* 322. Libri ἀμέτρως: *valeto.*

Quin mihi quoque etiam ad portum est negotium:
Nunc adeo ibo illuc. Sed optume gnatum meum
Video, eccum. Operiar hominem: hoc nunc mihi viso opust,
Huic persuadere quomodo potis siem,
Ut illam vendat neve det matri suae:
Nam ei dono advexe audivi. Sed praecauto opust:
Ne hic illam me animum adjecisse aliqua sentiat.

CHARINUS. DEMIPHO.

Ch. Homo miserior me nullust aeque, opinor, as. b. d. t. d. br. II, 3.
Neque, advorsa quoi sint plura sempiterna!
Satin', quidquid est et quam rem agere occepi,
Proprium nequit mihi, quod cupio, evenire? as. a. i. h.
Ita mala mihi res obicitur aliqua, as. a. i. h.
Bonum quae meum conprimit consilium.
Miser amicam mihi paravi animi causa, pretio eripui, t. t.
Ratus clam patrem me meum posse habere. b. t.
Is rescivit et vidit et perdidit me.
Neque, is quom roget, quid loquar, cogitatum est;
Ita animi decem in pectore incerti certant;
Nec, quid corde nunc consili capere possim,
Scio: tantus cum cura meo est error animo,
Dum servi mei perplacet mihi consilium,
Dum rursum haud placet nec pater potis videtur
Induci, ut putet, matri ancillam emtam esse illam.
Nunc si dico, ut res est, atque illam mihi me
Emisse indico, quemadmodum existumet me?
Atque illam abstrahat, trans mare hinc venum asportet!
Scio, saevos quam sit, domo doctus. Igitur
Hoccine est amare? Arare mavelim, quam sic amare! t.t.
Jam hinc olim invitum domo extrusit ab sese, mercatum ire as. t. d. i. d. c.
Jussit. Ibi hoc malum ego inveni! t. d.
Ubi voluptatem aegritudo vincat, quid ibi inest amoeni? t.t.
Nequidquam abdidi, abscondidi, abstrusam habebam: b. t.
Musca est meus pater, nil potest clam illum haberi,

329. Ita MSS. V.: *Ne ad ill.* 332. *rem* non liquescit. 334. Ita MSS. V.: *obiicitur.* 336. V. abest *eripui*, quod praebent MSS. et vett. edd. 352. *ego* legitur in MSS. et vett. edd. V. desideratur. *Ibi* non eliditur.

Nec sacrum nec tam profanum quidquam est, quin ibi eloco adsit; t. t.
Nec, qui rebus meis confidam, mi ulla spes in corde certa est.
De. Quid illuc est, quod solus secum fabulatur filius? t. t. c.
Sollicitus mihi nescio qua re videtur. Ch. Attate,
Meus pater hic quidem est, quem video! Ibo: adloquar. Quid fit, pater?
De. Unde incedis? quid festinas, gnate mi? Ch. Recte, pater.
De. Ita volo; sed istuc quid est, tibi quod commutatust color?
Numquid tibi dolet? Ch. Nescio quid meo animo est aegre, pater;
Postea nocte hac non quievi satis mea ex sententia.
De. Per mare ut vectus, nunc oculi terram mirantur tui.
Ch. Magis opinor. De. Id est profecto; verum actutum abscesserit.
Ergo edepol palles: si sapias, eas ac decumbas domi.
Ch. Otium non est: mandatis rebus praevorti volo.
De. Cras agito, perendie agito. Ch. Saepe ex te audivi, pater:
Re mandatae omnis sapientis primum praevorti decet.
De. Age igitur: nolo advorsari advorsus tuam sententiam.
Ch. Salvos sum, siquidem isti dicto solida et perpetua est fides.
De. Quid illuc est, quod ille a me solus se in consilium sevocat? i. t.
Jam non vereor ne eam me amare hic potuerit resciscere: t. t. c.
Quippe haud etiam quidquam inepte feci, amantes ut solent.
Ch. Res adhuc quidem hercle in tuto est: nam hunc nescire sat scio
De illa amica; quod si sciret, esset alia oratio.
De. Quin ego hunc adgredior de illa? Ch. Quin ego hinc me amolior? —
Eo ego, ut, quae mandata, amicus amicis tradam.
De. Imo mane:
Paucula etiam sciscitare prius volo. Ch. Dic, quid velis.
De. Usquene valuisti? Ch. Perpetuo recte, dum quidem illic fui;
Verum in portum huc ut sum advectus, nescio qui animus mihi dolet.
De. Nausea edepol factum credo; verum actutum abscesserit.

374. V.: *illam*, minus quidem ἐμφατικῶς.

Sed quid ais? eequam tu advexti tuae matri ancillam Rhodo?
Ch. Advexi. De. Quid? ea ut videtur mulier? Ch. Non edepol mala.
De. Ut morata est? Ch. Nullam vidi melius mea sententia.
De. Mihi quidem edepol visum est, quom illam vidi.
Ch. Eho, vidistin', pater?
De. Vidi; verum non ex usu nostro est neque adeo placet.
Ch. Qui vero? De. Quia non nostra formam habet dignam domo:
Nihil opus nobis ancilla, nisi quae texat, quae molat,
Lignum caedat, pensum faciat, aedis verrat, vapulet,
Quaeque habeat cotidianum familiae coctum cibum.
Horunc illa nihilum quidquam facere poterit admodum.
Ch. Ea causa equidem illam emi, dono quam darem matri meae.
De. Ne duis neu te advexisse dixeris. Ch. Di me adjuvant!
De. Labefacto paulatim. — Verum, quod praeterii dicere,
Neque illa matrem satis honeste tuam sequi poterit comes,
Neque sinam. Ch. Qui vero? De. Quia illa forma matremfamilias
Flagitium sit si sequatur, quando incedit per vias:
Contemplent, conspiciant omnes, nutent, nictent, sibilent,
Vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium;
Impleantur elogiorum meae fores carbonibus;
Atque, ut nunc sunt maledicentes homines, uxori meae
Mihique objectent lenocinium facere. Nam quid eo est opus?
Ch. Hercle quin tu recte dicis, et tibid adsentior.
Sed quid illa nunc fiet? De. Recte: ego emero matri tuae
Ancillam aliquam non malam, viraginem forma mala,
Ut matrem addecet familias, aut Syram aut Aegyptiam:
Ea molet, coquet, conficiet pensum, pinsetur flagro;
Neque propter eam quidquam eveniet nostris foribus flagiti.
Ch. Quid, si igitur reddatur illi, unde emta est? De. Minume gentium.
Ch. Dixit se redhibere, si non placeat. De. Nihil istoc opust:
Litigare nolo ego vos qua, tuam autem adcusari fidem.
Multo edepol, si quid faciundum est, facere damnum malolo.

387. Libri duriore numero: *eho, an vidisti, pater.* 399. V.: *incedat.* 405. V.: *tibi ads. ego.* Pal. et vett. edd.: *tibi ads.* 415. V.: — *vos, quam tuam* etc. 414. Libri soloeci *damni.*

Quam opprobramentum aut flagitium muliebre inferri domo.
Me tibi illam posse opinor luculente vendere.
Ch. Dum quidem hercle ne minoris vendas, quam ego emi pater.
De. Tace modo: senex est quidam, qui illam mandavit mihi
Ut emerem sibi .... ad istanc faciem! Ch. At quidam adulescens, pater,
Mihi mandavit, ad istanc faciem ita ut illa est, emerem sibi.
De. Viginti minis opinor posse me illam vendere.
Ch. At, ego si velim, jam dantur septem et viginti minae.
De. At ego .... Ch. Quin ego inquam .... De. At nescis, quid dicturus sum: tace.
Tris minas adcudere etiam possum: ut triginta sient.
Ch. Quo vortisti? De. Ad illum, qui emit. Ch. Ubinam est is homo gentium?
De. Eccillum video: jubet quinque addere me etiam nunc minas.
Ch. Hercule illunc di infelicent, quisquis est! De. Ibidem mihi
Etiam nunc adnutat, addam sex minas. Ch. Septem mihi ...
De. Nunquam edepol me vincet hodie! Ch. Commodis poscit, pater.
De. Nequidquam poscit: ego habebo! Ch. At illic pollicitust prior.
De. Nihili facio. Ch. Quinquaginta poscit. De. Non centum datur.
Potin', ut ne licitere advorsum mei animi sententiam?
Maxumam hercle habebis praedam: ita ille est, quoi emitur, senex.
Sanus non est ex amore illius: quod posces, feres.
Ch. Certo edepol adulescens ille, quoi ego emo ecflictim perit
Ejus amore. De. Multo hercle ille magis senex, si tu scias.
Ch. Nunquam edepol fuit neque fiet ille senex insanior
Ex amore, quam ille adulescens, quoi ego do hanc operam, pater.
De. Quiesce, inquam: istanc rem ego recte videro. Ch. Quid agis? De. Quid est? i. t.
Ch. Non illam ego mancupio accepi. De. Sed ille illam accipiet: sine! t. t. c.

415. MSS. et edd.: exferri, eoferri (Pal.), efferri. 440. V.: accipit. Pal. et vett. edd.: accepit.

CH. Non potes tu lege vendere illam. DE. Ego aliquid videro.
CH. Post autem communist illa cum alio mihi: qui scio,
Quid sit ei animi, venirene eam velit, an non velit?
DE. Ego scio, velle. CH. At pol ego esse credo aliquem, qui non velit.
DE. Quid id mea refert? CH. Quia illi suam rem esse aequom est in manu. i. t.
DE. Quid ais . . . . ? CH. Communis mihi illa est cum alio: is nunc hic non adest . . . . t. t. c.
DE. Prius respondes, quam rogo. CH. Prius tu emis, quam vendo, pater.
Nescio, inquam, velit ille illam, necne, abalienarier.
DE. Sed illi quoidam, qui mandavit tibi, sid emitur, tum volet? i. t.
Si ego emo illi, qui, mandavit, tum ille nolet? Nihil agis. t. t. c.
Numquam edepol quisquam illam habebit potius, quam ille, quem ego volo.
Certum est! Ch. Censen', certum esse? DE. Quin ad navim jam hinc eo:
Ibi venibit. CH. Vin' me tecum illo ire? DE. Nolo. CH. Non placet.
DE. Meliust, te, quae sunt mandatae res tibi, praevortier.
CH. Tu prohibes? DE. At tu excusato: te fecisse sedulo.
Ad portum ne bitas, edico jam tibi. CH. Auscultabitur. i. t.
DE. Ibo ad portum et (ne hic resciscat cauto opust) non ipse emam; t. t. c.
Sed Lysimacho amico mandabo: is se ad portum dixerat
Ire dudum. Me moror, quom hic adsto. CH. Nullus sum! occidi!

CHARINUS. EUTYCHUS.

CH. Pentheum diripuisse ajunt Bacchas; nugas maxumas t. t. c, II, 4.

449. Versus ab A. Majo erutus, e codice palimpsesto Ambros., in quo quidem locus sic se habet:

— — — abalienarier.
Sed ille quidam qui mandavit tibi, si emitur, tum volet.
Si ego emo illi qui mandavit, tum ille nolit, nihil agis.

Vulgo, conflatis in unum duobus versibus et lusca sententia:

DEM. *Quid illic quidam, quid mandavit, tum ille nolet? nihil agis.*

455. Libri: *dico.*

Fuisse credo, praeut quo pacto ego divorsus distrahor.
Cur ego vivo? cur non morior? quid mi est in vita boni?
Certum est, ibo ad medicum atque ibi me toxico morti dabo:
Quando id mi adimitur, qua causa vitam cupio vivere.
Eu. Mane, mane, obsecro, Charine! Ch. Qui me revocat?
Eu. Eutychus,
Tuos amicus et sodalis, simul vicinus proxumus.
Ch. Non tu scis, quantum malarum rerum sustinear m.
Eu. Scio:
Omnia ego istaec auscultavi ab ostio; omnem rem scio.
Ch. Quid id est, quod scis? Eu. Tuos pater volt vendere....
Ch. Omnem rem tenes.
Eu. Tuam amicam.... Ch. Nimium multum scis. Eu. Tuis ingratiis.
Ch. Plurimum tu scis. Sed qui scis, esse amicam illanc meam?
Eu. Tute heri ipsus mihi narrasti. Ch. Satin' ut oblitus fui,
Tibi me narravisse? Eu. Haud mirum factum est. Ch. Te nunc consulo.
Responde, quo leto censes me ut peream potissumum?
Eu. Non taces? Cave tu istuc dixis. Ch. Quid vis me igitur dicere?
Eu. Vin' patri sublinere pulcre me os tuo? Ch. Sane volo.
Eu. Visne eam ad portum.... Ch. Qui potius, quam voles?
Eu. Atque eximam
Mulierem pretio? Ch. Qui potius, quam auro expendas?
Eu. Unde id aderit? t. t.
Ch. Achillem orabo, aurum mihi det, Hector qui expensus fuit. t. t.
Eu. Sanun' es? Ch. Pol sanius si sim: non te medicum mi expetam. t. t. c.
Eu. Tanti, quanti poscit, vin' tanti illam emi?
Ch. Auctarium
Adicito vel mille nummum plus, quam poscet. Eu. Jam tace.
Sed quid ais? Unde erit argentum, quod des, quom poscet pater?
Ch. Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. Eu. Enicas.
Jam istuc „Aliquid fiet“ metuo. Ch. Quin taces? Eu. Muto imperas.
Ch. Satin' istuc mandatum est? Eu. Potin', ut aliud cures?
Ch. Non potest.

474. Ita vet. cod. Camerar. V. tu abest. 477. V. secundum Taubm.: *Unde ad erit id?* MSS.: *U. ateritis.* 481. Sic MSS. V.: *Adjicito.*

Eu. Bene vale. Ch. Non edepol possum, priusquam tu ad me redieris.
Eu. Melius sanus sis. Ch. Vale, vince et me serva! Eu. Ego fecero.
Domi maneto me. Ch. Ergo actutum face cum praeda recipias!

LYSIMACHUS. PASICOMPSA.

Ly. Amice amico operam dedi: vicinus quod rogavit,
Hoc emi mercimonium. — Mea es tu: sequere sane.
Ne plora. Nimis stulte facis: oculos conrumpis talis.
Quin tibi quidem, quod rideas magis est, quam ut lamentere.
Pa. Amabo ecastor, mi senex, eloquere... Ly. Exquaere quidvis.
Pa. Cur emeris me. Ly. Tene ego? Ut, quod imperetur, facias;
Item quod tu mihi imperes, ego faciam. Pa. Facere certum est
Pro copia et sapientia, quae te velle arbitrabor.
Ly. Laboriosi nil tibi quidquam operis imperabo.
Pa. Namque edepol equidem, mi senex, non didici bajulare
Nec pecua ruri pascere neque pueros nutricare.
Ly. Bona si esse vis, bene erit tibi. Pa. Tum pol ego perii misera.
Ly. Qui? Pa. Quia illi, unde huc advecta sum, malis bene esse solitum est.
Ly. Oratio edepol pluris est hujus, quam quanti haec empta est. —
Quasi dicas, nullam mulierem bonam esse. Pa. Haud equidem dico,
Nec mos meust, ut praedicem, quod ego omnis scire credam.
Ly. Rogare hoc unum te volo. Pa. Roganti respondebo.
Ly. Quid ais tu? quod nomen tibi dicam esse? Pa. Pasicompsae.
Ly. Ex forma nomen inditum est. Sed quid ais, Pasicompsa?
Possin' tu, si usus venerit, subtemen tenue nere?
Pa. Possum. Ly. Si tenue scis: scio te uberius posse nere.
Pa. De lanificio neminem metuo, una aetate quae sit.

487. V.: *vale et vince.* Copulam non habet Pal. 498. Ita MSS. pro ratione metri. V.: *quidem.* 501. *illi.* Libri vett.: *illim, illuc, ibi.* V. *illim.* Male autem post hunc versum inculcant 504. 509. Ita Pal. V: *Possim.*

Ly. Bonam hercle te et frugi arbitror, matura jam de aetate
Quom scis facere officium tuom, mulier. Pa. Pol docta didici.
Operam adcusari non sinam meam. Ly. Hem, istaec hercle res est:
Ovem tibi eccillam dabo, natam annos sexaginta,
Peculiarem. Pa. Mi senex, tam vetulam? Ly. Generis Graji est.
Eam si curabis, perbona est: tondetur nimium scite.
Pa. Honoris causa, quidquid est, quod dabitur, gratum habebo.
Ly. Nunc, mulier, ne frustra sies, mea non es: ne arbitrere.
Pa. Dic igitur, quaeso, quoia sum? Ly. Tuo hero redemta es rursum.
Ego te redemi: ille med oravit. Pa. Animus rediit,
Si mecum servatur fides. Ly. Bono animo es: liberabit
Illic te homo. Edepol deperit, atque hodie primum vidit.
Pa. Ecastor jam biennium est, rem quom mecum coepit.
Nunc, quando amicum te scio esse illius, indicabo.
Ly. Quid ais tu? Jam biennium est, quom tecum rem habet? Pa. Certo, et
Inter nos conjuravimus, ego cum illo et ille mecum,
Ego cum viro, illic cum muliere, nisi cum illo aut ille mecum,
Neuter stupri causa caput limaret. Ly. Di inmortales,
Etiam cum uxore non cubet? Pa. Amabo, an est maritus?
Neque est neque erit. Ly. Nolim quidem. — Homo hercle perjuravit.
Pa. Nullum adulescentem plus amo. Ly. Puer quidem ille est, stulta:
Nam illi quidem haud sane diu est quom dentes exciderunt.
Pa. Quid? dentes? Ly. Nihil est. Sequere, sis, huc me diem unum oravit
Ut apud me praehiberem locum ideo, quia uxor ruri est.

D E M I P H O.

Tandem inpetravi, ut egomet me conrumperem: A. III, 2.
Emta est amica clam uxorem et clam filio.

511. V.: *Jam inde aet.* 512. V.: *Quoniam scis* etc. Libri vett.: *Cum scis*, quod versus poscit. 514. V. inepte: *O. t. ancillam.* MSS., cum a vetere Camerariano discesseris, et antiquae edd.: *ecce illam*, *eccillam*. 518. Libri κακομέτρως: *ne tu frustra sis.* 527. V.: *E. c. v. et ille e. m.*, quod versus respuit. 536. Edd. parum modulato versu: *E. e. am. cl. uxore mea et fil.* MSS.: *uxorem et jam fil.* Vett. edd.: *ux. et fil.*

Certum est: antiquam recolam: et servibo mihi!
Decurso in spatio breve quod vitae reliquom est,
Voluptate vino et amore delectavero!
Nam hanc se bene habere aetatem nimio est aequius.
Adulescens quom sis: tum, quom est sanguis integer,
Rei quaerundae convenit te operam dare;
Demum igitur, quom senex sis, tunc in otium
Te conloces, dum pote, et ames: si id jam lucro est,
Quod vivis. Hoc, ut dico, factis persequar.
Nunc tamen interea ad med huc invisam domum:
Uxor me exspectat jamdudum esuriens domi.
Jam jurgio enicabit, si intro rediero.
Verum hercle postremo, utut est, non ibo tamen;
Sed hunc vicinum prius conveniam, quam domum
Redeam: ut mihi aedis aliquas conducat, volo,
Ubi habitet istaec mulier. Atque, eccum, it foras.

LYSIMACHUS. DEMIPHO.

Ly. Adducam ego illum jam ad te, si convenero. II. S. III.
De. Me dicit. Ly. Quid ais Demipho? De. Est mulier domi?
Quid censes? quid, si visam? Ly. Quid properas? Mane.
De. Quid faciam? Ly. Quod opust facto, facito ut cogites.
De. Quid cogitem? Equidem hercle opus hoc facto existumo
Ut introeam. Ly. Itane vero, vervex? intro eas?
De. Quid aliud faciam? Ly. Prius hoc ausculta atque ades:
Prius etiam est, quod te facere ego aequom censeo.
Nam nunc si illo introdieris: amplecti voles
Confabulari atque osculari. De. Tu quidem
Meum animum gestas: scis, quid acturus siem.
Ly. Pervorse facies. De. Quodne ames? Ly. Tanto minus.
Jejunitatis plenus, anima foetida,
Senex hircosus, tu osculere mulierem?
Utine adveniens vomitum excutias mulieri?
De. Scio pol, te amare, quom istaec praemonstras mihi.
Quid, si igitur (unum factum hoc si censes) coquum

537. Pal.: *reservibo.* 542. Libri: *Rei tuae qu. conv. op. d.* 544. V.: *Te c., dum potestur: id jam l. e., Q. v.* Pal.: *Te c. dum potest aue sidiam lucrost Q. uni uis.* 546. Ita Pal., nisi quod *me* ibi legitur contra metrum. V.: *Int. tamen huc intro ad me inv. d.*, quod ipsum librarius Pal. alteri illi lectioni, et in ipso quidem ordine, addidit, ut διττογραφίαν facile agnoscas. 555. Verba *Quid censes?* minus recte Lysimacho tribuuntur in vulgatis libris.

Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat
Apud te hic usque ad vesperum? Ly. Hem istuc censeo.
Nunc tu sapienter loqueris et amatorie.
De. Quid stamus? quin ergo imus atque obsonium
Curamus pulcre ut simus? Ly. Equidem te sequor.
Atque hercle invenies tu locum illi, si sapis:
Nullum hercle praeter hunc diem illa apud me erit:
Metuo ego uxorem, cras si ruse redierit,
Ne illam hic obfendat. De. Res parata est: sequere me.

CHARINUS. EUTYCHUS.

Ch. Summe ego homo miser, qui nusquam bene queo
quiescere? t. t. c. III, 2.
Si domi sum, foris est animus; sin foris sum, animus domi
est.
Ita mi in pectore atque in corde facit amor incendium:
Ni ex oculis lacrumae defendant, jam ardeat, credo, caput.
Spem teneo; salutem amisi: redeat, an non, nescio.
Si opprimit pater, quod dixit: exulatum abiit salus;
Sin sodalis, quod promisit, fecit: non abiit salus.
Sed jamdudum, si podagrosis pedibus esset Eutychus,
Tam redisse a portu potuit! Id ei vitium maxumum est,
Quod nimis tardus est, advorsum mei animi sententiam.
Sed isne est, quem currentem video? — Ipsus est!
Ibo obviam. i. t.
Divom atque hominum quae spectatrix atque hera eadem
es hominibus, t. t. c.
Spem speratam quom obtulisti hanc mihi, tibi gratis ago! —
Nunc quid restat? Eheu, disperii! voltus ne utiquam hu-
jus placet! —
Tristis cedit. Pectus ardet. Haereo. Quassat caput . . .
Eutyche! Eu. Heus, Charine! Ch. Priusquam recipias
anhelitum,
Uno verbo eloquere: ubi ego sum? hiccine, an apud mor-
tuos?
Eu. Neque apud mortuos neque hic es. Ch. Salvos sum!
inmortalitas

572. Libri ἀμέτρως: *loquere atque am.* 582. Ita Pal. V.: *Ni oculos lacr.* 686. V.: *S. tandem si podagr. ped. e. E., Jam a portu red. p.* Pal.: *S. tamen dempsi ped.* etc. 687. V.: *illi.* 590. Frustra edd.: *Hera.* 592. Sic Pal. Male vulgati libri: *Numquid.* 593. Ἀμέτρως libri: *incedit.* 594. V.: *Heu.*

Mihi data est! hic emit illam! pulcre os sublevit patri!
Impetrabilior qui vivat, nullus est! Dic, obsecro:
Si neque hic neque Acherunti sum, ubi sum? Eu. Nus-
quam gentium.
Ch. Disperii! modo interemit illaec med oratio! —
Quidquid est, ad capita rerum perveni. Eu. Primum omnium
Periimus. Ch. Quin tu illud potius nuntias, quod nescio?
Odiosa est oratio, quom rem agas, longinquom loqui.
Eu. Mulier alienata est abs te. Ch. Eutyche, capital facis.
Eu. Qui? Ch. Quia aequalem et sodalem civem liberum
enicas.
Eu. Ne di sirint! Ch. Demisisti gladium in jugulum! jam
cadam!
Eu. Quaeso hercle: animum ne desponde! Ch. Nullust,
quem despondeam.
Loquere porro aliam malam rem: quoi est emta? Eu. Nescio.
Jam addicta atque abducta erat, quom ad portum venio.
Ch. Vae mihi!
Montis tu quidem mali in me ardentis jamdudum jacis! —
Perge, excrucia, carnufex: quandoquidem occepisti semel!
Eu. Nec tibi istuc magis dividiae est, quam mihi hodie fuit.
Ch. Dic, quis emit? Eu. Nescio hercle. Ch. Hem, istuc-
cin' est operam bonam
Dare sodalem? Eu. Quid me facere vis? Ch. Idem, quod
me vides,
Ut pereas! Quin percontatus, hominis quae facies foret,
Qui illam emisset: eo si pacto posset indagarier
Mulier? Eu. Heu me miserum ..... Ch. Flere omitte,
istuc quod nunc agis!
Eu. Quid ego feci? Ch. Perdidisti me et fidem mecum
tuam!
Eu. Di sciunt, culpam meam istanc non esse ullam.
Ch. Eugepae,
Deos absentis testis memoras: qui ego istuc credam tibi?
Eu. Quin tibi in manu est, quod credas; ego, quod dicam,
id mi in manu
Est. Ch. De istac re argutus es, ut par pari respondeas;
Ad mandata claudus, coecus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas, te os sublinere meo patri: egomet credidi
Homini docto rem mandare, is lapidi mando maxumo.
Eu. Quid ego facerem? Ch. Quid tu faceres, men' rogas?
Requireres,
Rogitares, quis esset aut unde esset, qua prosapia;

603. Hic versus post 600. legitur in libris. 615. V. *bonum.*
621. Male libri: *mihi in mea manu est.* Pal. *Ea* pro *mea.*

Civisne esset, an peregrinus . . . . Eu. Civem esse aibant Atticum.
Ch. Ubi habitaret, invenires saltem, si nomen nequires. t. t.
Eu. Nemo scire ajebat. Ch. At saltem hominis faciem exquireres. t. t. c.
Eu. Feci. Ch. Qua forma esse aibant? Eu. Ego dicam tibi: i. s.
Canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum, t. t. c.
Subnigris oculis, oblongis malis, pansam aliquantulum.
Ch. Non hominem mihi sed thesaurum nescio quem memoras mali.
Numquid est quod dicas aliud de illo? Eu. Tantum, quod sciam.
Ch. Edepol nae ille oblongis malis mihi dedit magnum malum.
Non durare possum: certum est exulatum hinc ire me;
Sed quam capiam civitatem, cogito, potissumum:
Megara, Eretriam, Corinthum, Chalcidem, Cretam, Cyprum,
Sicyonem, Cnidum, Zacynthum, Lesbon, an Boeotiam.
Eu. Cur istuc coeptas consilium? Ch. Quia enim me adflictat amor.
Eu. Quid tu ais? quid, quom illuc, quo nunc ire paritas, veneris,
Si ibi forte amare occipias atque item ejus sit inopia,
Jam inde porro aufugies, deinde item illinc, si item evenerit,
Quis modus tibi exilio tandem eveniet, qui finis fugae?
Quae patria aut domus tibi stabilis esse poterit? dic mihi.
Cedo, si hac urbe abis, amorem te hic relicturum putas?
Si, id fore ita, sat animo acceptum, incertum id pro certo si habes:
Quanto te satiust rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere,
Adeo dum illius te cupiditas atque amor missum facit?
Ch. Jam dixisti? Eu. Dixi. Ch. Frustra dixti: hoc mihi certissumum est.
Eo domum, patrem atque matrem ut meos salutem; postea
Clam patrem patria hac effugiam aut aliquid capiam consili!

629. Ita vett. edd. V.: *nequis.* 640. *Cnidum* Pal. V. *Gnidum.* Ibidem libri: *Lesbiam, Boeotiam.* 648. Putide edd.: *Si id forte ita sat an. acceptum est: id pro certo si habes.* Pal.: *Si id f. i. s. a. a. est certum id p. c. si h.* Vetus cod. Cam. *fore,* itemque *certum*, quod habuisse dicitur etiam Meurs. liber.

Eu. Ut conripuit se repente atque abiit! Heu misero mihi!
Si ille abierit, mea factum omnes dicent esse ignavia.
Certum est praeconum jubere jam quantum est conducier,
Qui illam investigent, qui inveniant; post ad praetorem eloco
Orabo ut conquisitores det mi in vicis omnibus:
Nam mihi nil relicti quidquam jam aliud esse intellego.

DORIPPA. SYRA.

Do. Quoniam a viro ad me rus advenit nuntius, i. s. IV, 1.
Rus non iturum: feci ego ingenium meum:
Reveni, ut illum persequar, qui me fugit.
Sed anum non video consequi nostram Syram.
Atque, eccam, incedit tandem! Quin is ocius?
Sy. Nequeo mecastor: tantum hoc onerist, quod fero.
Do. Quid oneris? Sy. Annos octoginta et quatuor;
Et eodem accedit servitus, sudor, sitis;
Simul haec, quae porto, deprimunt. Do. Aliquid, Syra,
Cedo, qui hanc vicini nostri aram augeam.
Sy. Da sane hanc virgam lauri. Do. Abi jam tu intro. Sy. Eo.
Do. Apollo, quaeso te, ut des pacem propitius
Salutem et sanitatem nostrae familiae,
Meoque ut parcas gnato pace propitius!
Sy. Disperii! perii, misera! vae miserae mihi!
Do. Satin' tu sana es, obsecro? quid ejulas?
Sy. Dorippa, mea Do—! Do. Quid volebas, obsecro?
Sy. Nescio quae hic mulier intus es in aedibus!
Do. Quid? mulier? Sy. Mulier meretrix. Do. Veron'? Sy. Serio.
Nimium scis sapere, ruri quae non manseris.
Quamvis insipiens poterat persentiscere,
Illam esse amicam tui viri bellissumi.
Do. Credo mecastor. Sy. I hac mecum: ut videas simul
Tuam Alcumenam pellicem, Juno mea.
Do. Ecastor vero istuc eo quantum potest.

657. Ita Pal. V.: *illico ibo*. 673. Pal. *parce*. Non ineptum foret hoc: *M., ut parcis, gnato parce pr.* 676. V.: *D., m. Dorippa.* Do. *Q. clamas, o.?* Sed vet. MS. Camerar.: *Quid volebas, o.*

LYSIMACHUS.

Parum nunc est malae rei, quod amat Demipho,
i. s. IV, 2.
Ni sumtuosus insuper etiam siet!
Decem vocasset summos ad coenam viros:
Nimium obsonavit. Sed cocos quasi in mari
Solitust hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur. Egomet conduxi cocum.
Sed eum demiror non venire, ut jusseram.
Sed qui hinc nam a nobis exit? Aperitur foris.

DORIPPA. LYSIMACHUS.

Do. Miserior mulier me nec fiet nec fuit, i. s. IV, 3
Tali viro quae nupserim! Heu miserae mihi!
Hem, quoi ted et, tu quae habeas, commendes viro!
Hem, quoi decem talenta dotis detuli:
Haec ut viderem, ut ferrem has contumelias!
Ly. Perii hercle, rure jam rediit uxor mea!
Vidisse credo mulierem intus aedibus.
Sed quae loquatur, exaudire hinc non queo:
Accedam proprius. Do. Vae miserae mi! Ly. Imo mihi!
Do. Disperii! Ly. Equidem hercule oppido perii miser!
Vidit! Ut omnes te, Demipho, di perduint!
Do. Pol hoc est, ire quod rus meus vir noluit.
Ly. Quid nunc ego faciam, nisi ut adeam atque adloquar
Jubet salvere suos vir uxorem suam.
Urbani fiunt rustici? Do. Pudicius
Faciunt quamde illi, qui non fiunt rustici.
Ly. Numquid delinquont rustici? Do. Ecastor minus
Quam urbani, et multo minus mali quaerunt sibi.
Ly. Quid autem urbani deliquerunt? dic mihi:
Cupio hercle scire. Do. Sic tu me tentas sciens?
Quoia illa mulier intust? Ly. Vidistine eam?
Do. Vidi. Ly. Quoia ea sit, rogitas? Do. Resciscam tamen.
Ly. Vin' dicam, quoia est? Illa .... illa edepol .... Vae
mihi!
Quid dicam, nescio. Do. Haeres? Haud vidi magis!
Quin dicis? Ly. Quin, si liceat .... Do. Dictum oportuit.

687. V.: *Dec. vocass. si ad c. s. v.* Pal.: *D. si ad c. v. s. v. Si* vagans istud additum ab interprete. 689. Ita Junt. Ald. V.: *Solitust hort.* 699. V.: *in aed.*, versu μειούρῳ. 702. V.: *Ego quidem hercle.* 712. vulgo legitur post 714.

Ly. Non possum, ita instas: urges, quasi pro noxio.
Do. Si innoxius's: audacter quamvis dicito.
Dic igitur! Ly. Dicam? Do. Atqui dicundum est tamen.
Ly. Illa est .... Etiam vis nomen dicam? Do. Nihil agis.
Manufesto teneo! In noxia es! Ly. Qua noxia?
Istaec quidem illa est .... Do. Quae illa est? Ly. Illa....
Do. Jo, hias?
Non tu scis, quae sit illaec? Ly. Imo etiam scio;
Tam, si nihil usus esset, jam non dicerem.
De istac sum judex captus. Do. Judex? Jam scio:
Huc tu in consilium istam advocavisti tibi.
Ly. Imo sequestro mihi data est. Do. Intellego.
Ly. Nihil hercle istius quidquam est. Do. Numero purgitas.
Ly. Nimium negoti reperi! enimvero haereo!

COCUS. LYSIMACHUS. DORIPPA. SYRA.

Co. Agite ite actutum: nam mihi amatori seni i. s. IV, 4
Coquenda coena est; atque, quom recogito,
Nobis coquenda est, non quoi conducti sumus:
Nam qui amat, quod amat, si id habet: id habet pro cibo,
Videre, amplecti, osculari, adloqui;
Sed nos confido onustos redituros domum.
Ita hac. Sed eccum, qui nos conduxit, senex.
Ly. Ecce autem perii, cocus adest! Co. Advenimus.
Ly. Abi! Co. Quid? abeam? Ly. St, abi! Co. Abeamne?
Ly. Abi!
Co. Non estis coenaturi? Ly. Jam saturi sumus.
Do. Sed.... Ly. Interii! Do. .... Quid ais tu? etiamne illi tibi haec
Jusserunt ferri, quos inter judex datus?
Co. Haeccine tua 'st amica, quam dudum mihi
Te amare dixti, quom obsonabas? Ly. Non taces?
Co. Satis scitum filum mulieris! Virum hercle avet.
Ly. Abin' dierectus? Co. Haud mala est. Ly. At tu malus!
Co. Scitam hercle opinor concubinam hanc! Ly. Non abis?

719. V.: *Scio, innoxius.* Ly. *aud. qu. d.* Vett. edd.: *quidvis.* 720. V.: *Ego dicam.* Pronomen non comparet in MSS. et vett. edd. 723. Libri: *io hia*, ut Pal. vel una voce *iohia.* 725. vulgo antecedenti praeponitur, legiturque: *Jam si* etc. Vitium illud animadvertit Acid. *Tam*, tamen. 728. Libri *ἀμέτρως*: *I. sic sequ.* 732. V: secundum Camerar. *Coquendast coena, a. equidem cum r.* 741. V.: *sumus. Sed int.* Dor. *Quid* etc. 747. V.: *S. h. op. satis* (Pal. sane) *conc. h.*, versu vel nullo, vel *ὑπερμέτρῳ*.

Non ego sum, qui te dudum conduxi. Co. Quid est?
Imo hercle tu istic ipsus. Ly. Vae misero mihi!
Co. Nempe uxor ruri est tua, quam dudum dixeras
Ted odisse aeque atque anguis. Ly. Egon' istuc tibi
Dixi? Co. Mihi quidem hercle. Ly. Ita me amabit Jupiter,
Uxor, ut ego illud nunquam dixi! Do. Etiam negas?
Co. Non ted odisse, verum uxorem, aibat, suam . . . .
Do. Palam istaec fiunt, te me odisse. Ly. Quin nego.
Co. Et
Uxorem suam ruri esse ajebat. Ly. Haec ea est.
Quid mihi molestus? Co. Quia me non novisse ais.
Ne metuis tu istanc? Ly. Sapio: nam mihi unica est.
Co. Vin' me experiri? Ly. Nolo. Co. Mercedem cedo.
Ly. Cras petito: dabitur; nunc abi! Do. Heu miserae mihi!
Ly. Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus:
Aliquid mali esse propter vicinum malum.
Co. Cur hic adstamus? Ly. Quin abis? Co. Incommodi
Si quid tibi evenit, id non est culpa mea.
Ly. Quin me eradicas miserum! Co. Scio jam, quid velis:
Nempe hinc me abire vis. Ly. Volo, inquam. Co. Abibitur.
Drachmam dato. Ly. Dabitur. Co. Dari ergo, sis jube.
Potest interea, dum illi ponunt Ly. Quin abis?
Potin', ut molestus ne sis? Co. Agite, adponite
Obsonium istuc ante pedes illi seni.
Haec vasa aut nox aut cras jubebo abs te peti,
Sequimini. Ly. Fortasse te illum mirari cocum,
Quod venit atque haec attulit. Dicam, quid est.
Do. Non miror, si quid damni facis aut flagiti,
Nec pol ego patiar, sic ne nuptam tam male,
Measque in aedis sic scorta obductarier.
Syra, i rogato meum patrem verbis meis,
Ut veniat ad me jam simulde tecum. Sy. Eo.
Ly. Nescis, negoti quid sit, uxor, obsecro?
Conceptis verbis jam jusjurandum dabo
Me nunquam quidquam cum illa . . . . . jamne abiit Syra?
Perii hercle! — Ecce autem haec abiit! Vae misero mihi!
At te, vicine, di deaeque perduint
Tua cum amica cumque amationibus!

758. V.: *Ni.* Vidit hic aliquid Taubm. 763. V. *ἀμέτρως*: — *astamus? quin abimus? Inc.* 768. V. immisso glossemate: *Dari potest* etc. 771. V.: *mox.* 778. V. *simul.* Versus alterum poscit.

Suspicione inplevit me indignissume!
Concivit hostis! — Dum uxor est acerruma:
Ibo ad forum atque Demiphoni haec eloquar,
Me istanc capillo protracturum esse in viam,
Nisi hinc abducit, quo volt, ex hisce aedibus.
Uxor, heus, uxor, quamquam tu irata es mihi,
Jubeas, si sapias, haec intro hinc auferrier:
Eadem licebit mox coenare rectius.

SYRA. EUTYCHUS.

Sy. Hera quo me misit, ad patrem, non est domi: i. s. IV, 5.
Rus abiisse aibant. Nunc domum renuntio.
Ecastor lege dura vivont mulieres
Multoque iniquiore miserae, quam viri.
Nam vir si scortum duxit clam uxorem suam:
Id si rescivit uxor, inpune est viro.
Uxor viro si clam domo egressa est foras:
Viro fit causa, exigitur matrimonio.
Utinam lex esset eadem, quae uxori est, viro!
Nam uxor contenta est, quae bona est, uno viro:
Qui minus vir una uxore contentus siet?
Ecastor faxim, si itidem plectantur viri,
Si quis clam uxore duxerit scortum sua,
Ut illae exiguntur, quae in se culpam commerent,
Plures viri sint vidui, quam nunc mulieres.
Eu. Defessus sum urbem totam pervenarier;
Nihil investigo quidquam de illa muliere.
Sed mater rure rediit: nam video Syram
Adstare ante aedis. Syra! Sy. Quis est, qui me vocat?
Eu. Herus atque alumnus tuos sum. Sy. Salve, alumne mi.
Eu. Jam mater rure rediit? responde mihi.
Sy. Cum quidem salute familiai maxuma.
Eu. Quid istuc negoti est? Sy. Tuos pater bellissumus
Amicam adduxit intro in aedis. Eu. Quomodo?
Sy. Adveniens rure mater eam obfendit domi.
Eu. Pol haud censebam istarum esse operarum patrem.
Etiam nunc mulier intust? Sy. Etiam. Eu. Sequere me.

786. V.: *domi uxor.* 795. — 807. vulgo ante 820. leguntur, tanquam scena peculiaris. 805. V.: *uxorem suam*, ni littera frequentiore. 814. V.: *Sua quid s. ac familiae m.* MSS. et vett. edd.: *Cum q. s. n. f. m.*

Hisce vett. editiones continuo ista attexunt:

Quid? Peristratam hic Demiphonis contuor? Grandit gradus,
Emittit oculos, circumfert sese, obstipat verticem. t.t.c.
Adservabo hinc, rerum quid gerat. Magnum est, quidquid quaeritat.

Quam scenam statim excipiunt duae aliae.

PERISTRATA. SYRA. LYCISSA.

Pe. Diva Astarte, hominum deorumque vis, vita, salus; rursus eadem quae es
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, coelum, sidera!
Jovis quaecunque templa colimus, ejus ducuntur nutu, illi obtemperant,
Eam spectant. Quod illi displicet, facile excludunt ceteri;
Quicquid complacitum, id sequontur, quae vivont, omnia, atque sentiunt.
Alios enicat, extinguit; alios suo lacte fovet atque erigit; sed quos enicat,
Hi vivont et sapiunt; quos properat alere ac erigere,
Hi quidem confestim pereunt atque male sapiunt miseri.
Jacent bene valentes, odiosum humum mordent, caput reptant,
Fremunt perstrepuntque, cumque putant vivere, tunc ruunt maxume.
Tunc, cum student persequi, labant juvenes; itidem rapiuntur senes.
Illi se amant: quod amant, amatum volunt atque cognitum;
Illi vero si amare ea aetate occeperunt, multo insaniunt acrius.
Verum si non amant, oderunt, molesti itidem atque difficiles,
Garruli, osores, infensi, iracundi, sibi suisque invidi.
Quod in se olim admisere turpiter, id si fiat modestius,
Nec tolerant, ut aequom est patres; sed clamant, indecenter obstrepunt.
Sy. Quantum intelligo, et hunc male habet Demipho. Pe. Id verum:
Amat filius et perit. Id quom rescivit pater, insanit vehementius.
Quae istaec intemperies? Abegit vir meus olim ipse ad mercatum Rhodum filium;
Nunc, ut fert Acanthio, ipse sibimet faciet exilium.
O iniquom patrem! o infortunatum filium! quo te recipies?

Ubi matrem relinques? sola degam? filium amittam? Non patiar!
Vendidit pater? Ubiubi erit inventa, mater redimet!
Dic tu, Lycissa, num in hanc viciniam adductam autumant?
Ly. In hanc opinor, in amici senis quoiusdam aedis. Pe. Hic praeter Lysimachum
Nullus, quem sciam. Sy. Lysimachum nominant:
Mirum, ni senes vicini in unum nidum conspiraverint.
Pe. Dorippam ejus uxorem conveniam. Ly. Quid? convenias? non eam vides?
Pe. Video equidem. Auscultemus: nescio quid secum iracunda mussitat.

DORIPPA. SYRA. LYCISSA. PERISTRATA.

Do. Syra non redit, quam arcessitum patrem jamdiu est quod miseram:
Tarda nimium aut lapis obriguit, aut angue demorsa cassavit turgida.
Sy. Nulla sum: adest hera; me quaerit! Do. Domi manere nequeo:
Bellulam istanc pellicem mei non patiuntur oculi. Exclusissem foras;
At me meus continuit Eutychus. Sed omnino, quod fert, non creduam.
Ly. Audin', hera? Pe. Audio. Sine pergat. Ly. Sino. Do. Amici, inquit, senis
Gratia huc ad nos venisse. Habet venalem, amanti dum detrahat filio.
Haec quidem aut viri aut gnati fallacia: dissident sententiae.
Sequestro vir ait datam; eandem vero venalem dicit filius.
Sy. Ibo de improviso obviam, ne cessasse intelligat. Do. Istaec filio
Non credam, qui obsequitur patri; hunc vero, ut merum cuculum,
Id certum est mentiri ampliter. Equidem coquo creduam.
Eccam Syram! ut currit venefica! Sy. Quis me vocat?
Do. Malum quod di tibi dabunt! Sy. Hera, si sapis, hoc potius
Tuae pellici et marito dato. Do. Istuc dictum tibi non amplius irascor.
Sed ubi pater? quid cessat? an hominem podagra impedit?

Sy. Nec podagricus neque articularius est, quem rus ducunt pedes.
Do. Non domi? Sy. Non. Do. Ubi. Sy. Rure esse autumant;
Atque, numquid redeat, incertum, hodie: cum villico rationis satis,
Do. Omnia mihi hodie eveniunt praeter sententiam. Non vivam vesperi,
Nisi illanc a me scelestam abigam! Eo domum. Ly. Hera, abit.
Pe. Hem, abit? compella. Ly. Dorippa, Dorippa! Do. Quid molestiae
Hoc est? quis me revocat? Pe. Non sum molesta; sed benevolens
Et amica te compellat tua Peristrata. Mane, quaeso.
Do. Hem, Peristrata, te pol non noram. Mala bilis cruciat
Me atque exagitat. Pe. Istuc nolo: quaeso, neges.
Te audivi modo: dic mihi, quae te nunc habet sollicitudo?
Do. Peristrata, sic di tibi unicum gnatum sospitent, da mihi benignius operam.
Nulla dare mihi poterit melius: par est aetas; una crevimus,
Pares aetate habemus viros; nulli colloquor lubentius.
Sollicitor merito quidem. Quid tibi animi esse nunc possiet,
Si amicam hac aetate ante oculos tuus adduxerit Demipho?
Pe. Adduxit? Do. Factum. Pe. Domi est? Do. Domi; imo coqui
Conducti: parabatur convivium, ni meus disturbâsset adventus omnia.
Senem miserum Venus et Cupido alieno satis vexant tempore.
Pe. Sed ista levia sunt, Dorippa. Utinam non ego essem miserior!
Do. Levia? Pe. Levia quidem. Do. Quae pejora tibi tuus faceret?
Pe. Imo pejoribus pejora. Do. Quae istaec sunt? Quaeso, loquere:
Ut tu mihi, ego tibi, quae facto opus sunt, demus consilium.
Vetus id dictum est, Feliciter is sapit, qui periculo alieno sapit.
Pe. Unicus mihi, Dorippa, est gnatus. Scis? Do. Scio. Pe. Hunc pater
Olim a se extrusit Rhodum. Do. Quare? Pe. Quoniam amaret.
Do. Ob id ipsum? Pe. Id quidem nunc quoque, quom ancillam domum

Adduxisset, hanc resciscens pater produxit, venalem praebuit.
Do. Atat, novi: verum dixerat filius; ego mariti amicam putabam mei.
Quoi data est? Pe. Seni quoidam amico in hac vicinia.
Credo hic alium praeter tuum amicum habere neminem.
Do. Ea quidem est. Quid filius? Pe. Urbem hanc se deserturum autumat.
Do. In portu res est. Quid, si invenerit? Pe. Mansurum credito.
Do. Praeter spem salvae sumus, ne dubita: apud me ea est.
Pe. Apud te? Ea erat, opinor, de qua loqui te audivi modo.
Do. Ea. Pe. O factum bene! Merito te amo: restituisti filium.
Fac videam. Do. Eamus intro. Pe. Eamus. Lycissa, ades:
Acanthioni haec nuntia; ego ad Dorippam huc devortam.

CHARINUS.

Limen superum inferumque salve, simul autem vale! t. t. c. V, 1.
Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.
Usus, fructus, victus, cultus jam mihi harunc aedium
Interemtust, interfectust, alienatust! Occidi!
Di penates meum parentum, familiai Lar pater,
Vobis mando, meum parentum rem bene ut tutemini.
Ego mihi alios deos penatis persequar, alium Larem,
Aliam urbem, aliam civitatem: ab Atticis abhorreo:
Nam ubi mores deteriores increbescunt indies,
Ubi, qui amici, qui infideles sint, nequeas pernoscere,
Ubique id eripiatur, animo tuo quod placeat maxume:
Ibi quidem si regnum detur, non est cupita civitas.

EUTYCHUS. CHARINUS.

Eu. Ecquisnam deus est, qui mea nunc laetus laetitia fuat? t. t. c. V, 2.
Domi erat, quod quaeritabam! Sex sodalis reperi,
Vitam, Amicitiam, Civitatem, Ludum, Laetitiam, Jocum;
Eorum inventu res simitu pessumas pessumdedi,
Iram, Inimicitiam, Stultitiam, Exitium, Pertinaciam,

824. Libri ἀμέτρως: *familiae*. 832. Ante hunc versum inepte repetuntur 590 et sequens. 833. Legitur vulgo, invitis vetustis libris: *ibi sex* etc. 835. V.: *E. i. res decem sim. p. p.* MSS. et vett. edd.: *E. inventurus sim p. p.* Eorum non liquescit. 836. sequ. Pal.:

Iram, inimicitiam, moerorem, lacrimas, exilium, inopiam,
Solitudinem, stulticiam, exitium, pertinaciam.

Moerorem, Lacrumas, Exilium, Inopiam, Solitudinem:
Date, di, quaeso, conveniundi mi ejus celerem copiam!
Ch. Adparatus sum, ut videtis! Abicio superbiam:
Egomet mihi comes, calator, equos, agaso, armiger;
Egomet sum mihi imperator, idem egomet mi obedio:
Egomet mihi fero, quod usust. O Cupido, quantus es!
Nam tu quemvis confidentem facile tuis factis facis,
Eundem ex confidente actutum diffidentem denuo.
Eu. Cogito, quonam illum curram quaeritatum. Ch. Certa rest,
Me usque quaerere illam, quoquo hinc est abducta gentium,
Neque mihi ulla obsistet amnis neque mons neque adeo mare
Nec calor nec frigus; metuo neque ventum neque grandinem;
Imbrem perpetiar; laborem subferam, solem, sitim!
Non concedam neque quiescam usquam noctu neque diu
Prius profecto, quam aut amicam aut mortem investigavero!
Eu. Nescio quoia vox ad aurem mi advolavit. Ch. Invoco
Vos, Lares viales, ut me bene tutetis! Eu. Jupiter,
Estne illic Charinus? Ch. Cives, bene valete! Eu. Eloco
Sta, Charine! Ch. Qui me revocat? Eu. Spes, Salus, Victoria.
Ch. Quid me voltis? Eu. Ire tecum. Ch. Alium comitem quaerite!
Non amittunt hi me comites, qui tenent. Eu. Qui sunt ei?
Ch. Cura, Miseria, Aegritudo, Lacrumae, Lamentatio.
Eu. Repudia istos comites atque huc respice et revortere!
Ch. Si quidem mecum fabulari vis: subsequere. Eu. Sta eloco!
Ch. Male facis, properantem qui me conmorare: sol abit.
Eu. Si huc item properes, ut istuc properas: facias rectius:
Huc secundus ventus nunc est. Cape modo vorsoriam!
Hic favonus serenust; istic auster imbricus.
Hic facit tranquillitatem; iste omnis fluctus conciet.
Recipe te ad terram, Charine, huc! Non ex advorso vides?
Nubes aterque imber instat. Nunc adspicias ad sinistram. t. t.
Atque videbis, ex avorso coelum ut est splendore plenum!

839. Ita Pal. V.: *Abiicio.* 845. V.: *ego illum;* verum non sic libri vett. 850. V. κακοφαέτρως: *neque interdius.* 867. Libri: *Nubes ater imberque;* deinde *Adspice*, quod versum non explet; sed vet. cod. Camerar.: *adspiciae*, pro *adspiciat*, nisi fallor. Quanquam ea scriptura accipi etiam potest pro *adspici*, imperativo obsoleti verbi adspicire, quem addito *ae*, h. e. *e*, librarius emendavit. Misceri conjugationes verborum apud veteres, satis constat. Vid. Jos. Scaliger ad Festum edit. Dacer. p. 104. 868. V.: *Coelum ut est spl. pl., ex advorso vides*, nec sententia nec metro integris. Pal.: *aspice non ad sinistera atque uidetis Celum ut spl. est pl. ex adu. uides.* Vett. edd.: *atque vides, Coelum* etc.

Ch. Religionem ille objecit: recipiam me illuc. Eu. Sapis. t. t. c.
O Charine, contra pariter fer gradum et confer pedem!
Porrige brachium! prehende! Jam tenes? Ch. Teneo.
Eu. Tene.
Quo nunc ibas? Ch. Exulatum. Eu. Quid ibi facere is?
Ch. Quod miser.
Eu. St! Ne pave: restituam jam ego te, in gaudia antiqua
ut sies!
Maxume quod vis audire, id audies, quod gaudeas.
Ch. Studeo. Eu. Sta eloco: amicus a m i c o advenio mul-
tum benevolens.
Tuam amicam.... Ch. Quid eam? Eu. Ubi sit, scio ego....
Ch. Tun' autem, obsecro?
Eu. Sanam et salvam. Ch. Ubi eam salvam? Eu. Ego scio.
Ch. Ego me mavelim.
Eu. Potin', ut animo sis tranquillo? Ch. Quid, sid animus
fluctuat?
Eu. Istum in tranquillo et tuto ego sistam: ne time. i. s.
Ch. Obsecro te, loquere, ubi sit, ubi eam videris!
Quid taces? Dic! Enicas me miserum tua reticentia! t. t. c.
Eu. Non longe hinc abest a nobis. Ch. Quin commonstras, si
vides?
Eu. Non video hercle nunc; sed vidi modo. Ch. Quin, ego
videam, facis?
Eu. Faciam. Ch. Longum istuc amanti est. Eu. Etiam me-
tuis? Ch. Omnia.
Eu. Conmonstrabo. Amicior mihi nullus vivit atque is est,
Qui illam habet, neque quoi mage velle melius med aequom
siet.
Ch. Non curo istuc: illam quaero. Eu. De illa ergo ego dico
tibi.
Ch. Dic igitur, ubi illa est? Eu. In nostris aedibust.
Ch. Aedis probas.
Si tu vera dicis: pulcre aedificatas arbitro.

872. Ἀμέτρως legitur: *facere vis*, sed in Pal.: *fac. his*, h. e. *f. is*, quod ex conjectura posueram in priore editione. Ceterum idem cod. additum habet *st* in fine versus. 875. Pal.: — *gaud. studia amicus Atuenio mult. b. v.* Vulgo: *gaud. Sta illico, amicus adven. m. benevolens.* Ch. *quid est?* Istud *quid est* a libris vett. repudiatur. 876. V.: — *ego scio.* Ch. *tun', obsecro?* Sed Pal.: *ego scio tume atumne obs.* 877. Soloece libri: *Quo ego scio* Sequor Palatinum. 878. Pal.: Q. (sic) *sintantimus.* V.: *si an.* V. 882.: *Quin ergo comm., si tu vides?* nullis quidem numeris. 884. V. *Longinquom*, sed Pal.: *Lon cum*, h. e. *Longum.* Ceterum vulgo: *metuis? omnia Comm.* Personas distinxit Acid. 886. Male libri: *neque est quoi.* 888. V.: *aedibus.* Cf. 910. 889. Sic MSS. V.: *arbitror.*

Sed qui ego istuc credam? vidistin', an de audito nuntias? i. t.
Eu. Egomet vidi. Ch. Quis eam adduxit ad vos? Eu. Enim inique rogas. t. t. c.
Quid tua refert, quicum istac venerit? Ch. Dum istic siet.
Eu. Est profecto. Ch. Opta ergo ob istunc nuntium quidvis tibi!
Eu. Quid, si optabo? Ch. Deos orabo, ut ejus faciant copiam.
Eu. Derides? Ch. Servata res est demum, si illam videro.
Sed quin ornatum hunc rejicio? Heus, aliquis actutum huc foras
Exite! illinc pallium mi ecferte! Eu. Hem, nunc tu mi ut places!
Ch. Optume adveniens, cape, puere, chlamydem atque istinc sta eloco:
Ut si haec non sint vera, inceptum hoc itiner perficere exsequar.
Vera dicis? Eu. Nil, Charine, te quidem quidquam pudet.
Non mihi credis? Ch. Omnia equidem credo, quae dicis mihi.
Sed quin introducis me ad eam, ut videam? Eu. Paulisper mane.
Ch. Quid manebo? Eu. Tempus non est intro eundi. Ch. Enicas.
Eu. Non opus est, inquam, nunc intro te ire. Ch. Responde mihi,
Qua causa? Eu. Operae non est. Ch. Cur? Eu. Quia non est illi commodum.
Ch. Itane? commodum illi non est, quae me amat, quam ego contra amo?
Omnibus me ludificatur hic modis. Ego stultior,
Qui isti credam. Conmoratur. Chlamydem sumam denuo.
Eu. Mane parumper atque hoc audi. Ch. Cape sis, puer, hoc pallium!
Eu. Sane hoc non in mentem venit dudum ut tibi dicerem.
Mater irata est vehementer patri, quia scortum sibi
Ob oculos adduxerit intus aedis, dum ruri ipsa abest.
Suspicatur, illam amicam esse illi. Ch. Zonam sustuli....
Eu. Eam rem nunc exquirit intus. Ch. Jam machaera est in manu....
Eu. Nam si eo ted introducam.... Ch. Tollo ampullam atque hinc eo.

890. V.: *S. quid* Junt. Ald.: *qui*. 891. *Enim* v. abest, hiante versu. Post quem inepte legitur 900. 894. Ita Junt. Ald. probante Acid. V.: *orato*. 898. Libri putide et *ἀμέτρως*: — *atque haec istinc* etc. 910. Hic versus ante 888. inculcatus vulgo legitur.

Eu. Mane, mane, Charine! Ch. Erras: me decipere haud potes.
Eu. Neque volo edepol. Ch. Quin tu ergo iter exsequi meum me sinis?
Eu. Non sino. Ch. Egomet me moror. Tu, puere, abi hinc intro ocius!
Jam indu currum escendi; jam lora in manus cepi meas!
Eu. Sanus non es. Ch. Quin, pedes, vos in curriculum conicitis,
In Cyprum recta: quandoquidem mihi pater exilium parat?
Eu. Stultus es. Noli istuc, quaeso, dicere. Ch. Certum est exsequi,
Operam ut sumam ad pervestigandum, ubi sit illaec .... Eu. Quin domi est.
Ch. Nam hic quod dixit, id mentitust. Eu. Vera dixi equidem tibi.
Ch. Jam Cyprum veni. Eu Quin sequere: ut illam vides, quam expetis.
Ch. Percontatus non inveni! Eu. Matris jam iram neglego.
Ch. Porro proficiscor quaesitum. Nunc perveni Chalcidem;
Video ibi hospitem Zacyntho; dico, quid eo advenerim;
Rogito, quis eam vexerit, quis habeat, si indaudiverit.
Eu. Quin tu istas omittis nugas ac mecum huc intro ambulas?
Ch. Hospes respondit, Zacyntho ficos fieri non malas . . .
Eu. Nil mentitust. Ch. Sed de amica inaudivisse se autumat.
Hic Athenis esse. Eu. Calchas iste quidem Zacynthiust.
Ch. Navem conscendo, proficiscor eloco, jam sum domi,
Jam redivi exilio. Salve, mi sodalis Eutyche!
Ut valuisti? Quid parentes? — Mecum ad matrem cedito —
Bene vocas; benigne dicis. Cras apud te; nunc domi.
Sic decet; sic fieri oportet. Eu. Eloquere, an tu somnias?
Hic homo insanust. Ch. Amicus quin properas medicarier?
Eu. Sequere, sis. Ch. Sequor. Eu. Clementer, quaeso: calcis deteris.
Audin' tu? Ch. Jamdudum audivi. Eu. Pacem componi volo
Meo patri cum matre: nam nunc est irata .... Ch. I modo!
Eu. Propter istanc. Ch. I modo! Eu. Ergo cura. Ch. Quin tu ergo i modo:
Tam propitiam reddam, quam, quom propitia est Juno Jovi,

919. V.: *in currum.* 920. Ita MSS. V. corrupto metro: *conjicitis.* 929. V.: *si ibi inaudiverit.* Pal.: *si Ibi inde audiverit.* Sequor Gruterum et Taubmannum. 935. V.: *redii.* Pal.: *redi.* 936. Edd. horrido numero: — *parentes mei valent? coena dabitur.* MSS.: — *parentis metuat mater dati.* 938. V. vitioso metro: Eu. *eho, quae tu somnias?* MSS.: *eloqueni s.* 939. V.: *H. h. non sanus est.* Vet. cod. Camer. etc.

DEMIPHO. LYSIMACHUS.

Huic scenae praescripserant vett. edd. versus XI sequentes:

Ly. Demipho, sapientum illud dictum te audisse reor saepius,
Voluptas est malorum esca: quod ea non minus homines
Quam hamo capiantur pisces. Hanc est quom fugiunt senes;
Tu tamen senectuti gratiam non habeas: quoniam haec tibi
Non abstulit modo, sed in amorem conjecit fortius,
Quo te consiliumque tuum atque mentem perdit funditus
Atque oculorum tibi praestringit aciem. Me quoque
In magnum conjecisti malum, nec, quid faciam, scio.
De. Lysimache, deum hoc arbitrium est non hominum.
Tute hoc tecum
Si cogites, non aequom te facere arbitrabere,
Quom amico homini tuique conscio ita suscenseas misere,
Quasi tu nunquam quidquam adsimile hujus facti feceris.
t. t. c. V, 3.
Ly. Edepol nunquam. Cavi, ne quid facerem. Vix vivos miser:
Nam mea uxor propter illam tota in fermento jacet.
De. Astego expurgationem habebo: ut ne suscenseat.
Ly. Sequere me. Sed exeuntem filium video meum.

EUTYCHUS. LYSIMACHUS. DEMIPHO.

Eu. Ad patrem ibo: ut matris iram sibi esse sedatam sciat.
t. t. c. V, 4.
Jam redeo. Ly. Placet principium. Quid agis? quid fit, Eutyche?
Eu. Optuma opportunitate ambo advenistis. Ly. Quid rei est?
Eu. Uxor tibi placide placata est. Cette dextras nunc iam.
Ly. Di me servant! Eu. Tibi amicam esse nullam nuntio.
De. Di te perdant! Quid negoti est nam, quaeso, istuc?
Eu. Eloquar.
Animum advortite igitur ambo. Ly. Quin tibi ambo operam damus.
Eu. Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo,
Suopte culpam generi capiunt, genus ingeniod inprobant.
De. Verum dicit hic. Ly. Tibi ergo dicit: eo id verum est magis:
Nam te istac aetate haud aequom filio fuerat tuo,
Adulescenti amanti, amicam emtam eripere argento suo.
De. Quid tu ais? Charini amica est illa? Eu. Ut dissimulat malus!

948. Ἀμέτρως libri: *At.* 953. V.: *placida et placata est. Certe* — Cf. Pseud. 11 etc. 958. V.: *Suapte — ingenium imp.* Sequor Gronovium. 958. V.: *illud.*

De. Ille quidem illanc sese ancillam matri emisse dixerat.
Eu. Propterea igitur tu mercatus novos amator, vetus puer?
Ly. Optume hercle! Perge, p e r g e! Ego adsistam hinc altrinsecus.
Quibus est dictis dignus, usque oneremus ambo. De. Nullus sum!
Ly. Filio suo qui innocenti fecit tantam injuriam!
Eu. Quem quidem hercle ego, indu exilium quom iret, reduxi domum:
Nam ibat exulatum. De. An abiit? Ly. Etiam loquere, larüa?
Temperare istac aetate istis decebat artibus.
De. Fateor: deliqui profecto. Eu. Etiam loquere larüa?
Vacuom esse istac ted aetate his decebat noxiis.
Itidem ut tempus anni, aetatem aliam aliud factum convenit:
Nam si istuc jus est, senecta aetate scortari senes,
Ubi loci res summa nostra est publica? De. Hei, perii miser!
Eu. Adulescentes rei agundae isti mage solent operam dare.
De. Jam obsecro, hercle habete vobis cum sportis, cum fiscina!
Eu. Redde filio!, sibi habeat jam, ut volt! De. Per me habeat licet.
Eu. Temperi edepol: quoniam ut aliter facias, non est copia.
De. Supplici sibi sumat, quod volt, ipse ob hanc injuriam,
Modo pacem faciatis, oro, ut ne mihi iratus siet.
Si hercle scivissem sive adeo joculo dixisset mihi,
Se illam amare: nunquam facerem, ut illam amanti abducerem.
Eutyche, ted oro (sodalis ejus es), serva et subveni!
Hunc senem para clientem! Memorem dices benefici.
Ly. Ora, ut ignoscat deliciis ejus atque adulescentiae.
De. Pergin' tu autem in hunc superbe invehere? Spero ego mihi quoque
Tempus tale eventurum, ut tibi gratiam referam parem.
Ly. Missas jam istas artis feci ego. De. Et quidem ego dehinc jam. Ly. Nihil.
Consuetudine animus rursus te huc inducet. De. Obsecro.
Satis jam ut habeatis! Quin loris caedite etiam, si lubet!
Ly. Recte dicis. Sed istuc uxor faciet, quom hoc resciverit.
De. Nihil opust resciscat. Eu. Quid istic? Non resciscet: ne time.

968. V.: *in.* 977. V.: *cum porcis*. Corr. Acid. et Salmas. 978. V.: —*habeat*. De. *jam ut volt, per me sibi h. l.* 979. Soloece libri: *copiae*, nec melius sequ. versu: *quid volt*. 985. Putide exemplaria: *para me el.* 987. Pro *in hunc* vet. liber Camer.: *huc*, Pal. *hia*. 993. V.: *quid istuc?* Alterum habet Pal., cujus tamen et ipsius descriptor *istuc* dederat initio. *Quid istic?* est formula tandem et aegre concedentium.

Eamus intro: non utibilis hic locus, factis tuis,
Dum memoramus, arbitri ut sint, qui praetereant per vias.
De. Hercle quin tu recte dicis: eadem brevior fabula
Erit. Eamus. Eu. Hic est intus filius apud nos tuos.
De. Optume est. Illac per hortum nos domum transibimus.
Ly. Eutyche, hanc volo prius agi rem, quam meum intro refero pedem.
Eu. Quid istuc est? Ly. Suam quisque homo rem meminit. Responde mihi:
Certon' scis, non suscensere mihi tuam matrem? Eu. Scio.
Ly. Vide! Eu. Me vide. Satis habes? Ly. Habeo. Atquaeso hercle, etiam vide!
Eu. Non mihi credis? Ly. Immo credo; sed tamen metuo miser.
De. Eamus intro. Eu. Immo dicamus senibus legem censeo,
Prius quam abeamus, qua se lege teneant contentique sint.
Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus,
Seu maritum sive hercle adeo coelibem, scortarier:
Cum eo nos hac lege agemus: inscitum arbitrabimur.
Et per nos quidem hercle egebit, qui suom prodegerit.
Neve quisquam posthac prohibeto adulescentem filium,
Quin amet, quin scortum ducat; quod bono fiat modo.
Si prohibuerit, clam plus perdet, quam si praebuerit palam.
Haec adeo ex hac nocte primum lex uti teneat senes.
Bene valete atque, adulescentes, haec si vobis lex placet,
Ob senum hercle industriam vos aequom est clare plaudere.

1008. *hac* V.: *hic*. 1011. V.: *Q. amet, et sc. d.* 1012. V.: *Si quis proh.* Abest quis a Iunt. et Ald. V. quoque: *praehibuerit palam*, quod metro minus convenit. 1015. Itidem ἀμέτρως edd. *hacce*. Pal. et olim cusi: *hac*.